This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`





TABVLARIVM ECCLESIAE ROMANAE

SECVLI DECIMI SEXTI,

IN QVO

MONVMENTA,

RESTITVTI CALICIS EVCHARISTICI,
TOTIVSQVE CONCILII TRIDENTINI
HISTORIAM
MIRIFICE ILLVSTRANTIA,
CONTINENTVR.

OMNIA

AD FIDEM AVTOGRAPHORVM
BIBLIOTHECAE GOTHANAE
DILIGENTER EXACTA

NVNC PRIMVM CVM ANNOTATIONIBVS SVIS
PVBLICAVIT

ERNESTVS SALOMON CYPRIANVS,
THEOLOGIAE DOCTOR, ET PROTOSYNEDRII
GOTHANI PRAESES VICARIVS.

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE,
IMPENSIS WOLFFG. LVDOVICI SPRINGII.
1743

I A 116.

BIBLIOTECA BODL

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO III.
GOTHANO,
DVCI SAXONIAE,
IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE ET WESTPHALIAE,
COMITI PROVINCIALI
THVRINGIAE,
MARCHIONI MISNIAE,
PRINCIPIS DIGNITATE COMITI
HENNEBERGIAE,
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGI,
DYNASTAE RAVENSTEINII
ET TONNAE,

PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO,

FELICITATEM SEMPITERNAM PRECOR

ERN. SAL. CYPRIANVS, D.

* * *

Neminem ignorare arbitror, SERENISSIME PRINCEPS, multorum ſapientum hanc opinionem fuiſſe, vitam ſine literis mortem eſſe, ac hominis vivi ſepulturam. Vt enim mercatores merces ſuas quoquo modo vendibiles faciunt, ac ſuum cuique pulchrum eſt; ita toti mundo perſvaſum ivere doctores iſti, humaniorum literarum ſtudiis nihil ad beatam vitam vtilius, nihil amabilius, nihilque publicae

rei

rei fructuoſius reperiri poſſe. Quae ſententia altius radices egit, ac latius propagata eſt eorum iniquitate, qui, eruditionem acerbe et penitus odiſſe, magnum ac memorabile facinus exiſtimarunt. Cum enim Nero, omni bona arte, ac ſapientiae profeſſoribus in exilium actis, monumenta clariſſimorum ingeniorum in foro exurenda curaſſet; cum Licinius Caeſar literas peſtem ac venenum reipublicae nominaſſet; cum Caligula de abolendis Homeri carminibus, amovendisque ex omnibus bibliothecis Virgilii et Livii ſcriptis conſilium cepiſſet; tum vero literati homines, vt ſolent in contrarias partes rapi mortalium animi, cultiora ſtudia coelo aequaverunt, atque in iis laudandis non raro proceſſerunt extra modum.

Sed hic etiam medium tenent beati, atque ex vitae genere ac cuiusvis ſcopo literarum curſum neceſſitudinemque metiuntur. Adipiſcundae felicitatis adiumenta

ſunt elegantiores literae, non ipſa felicitas, aut vitae beatae faſtigium. Omnibus vtiles ſunt, ſed neutiquam omnibus neceſſariae, nec ſemper ſuis cultoribus prudentiam ac probitatem afferunt, quibus publica ſalus continetur. Multi enim ſine literis et viderunt, et fecerunt, quae ex vſu patriae eſſent, obſervatumque eſt hiſtoriarum ſcriptoribus, ſaepe illiteratos ſapientiſſimos, eruditos flagitioſos ſtultiſſimosque exſtitiſſe.

Etſi autem non inviti largimur, ſingulos cives eruditione facile carituros; tamen civitates ipſas ex earum neglectu tantum detrimenti et cepiſſe, et capere, quantum commodorum ex doctrinae cultura diſciplinisque ad illas affluit, cum amplificandae publicae ſalutis experientia, tum omnia antiquitatis monumenta perdocent.

Eſt igitur proprium munus boni principis, intelligere, debere ſe humanitatis ſtu-

dia

dia amare, ac colere, earumque ſubſidia comparare diligenter, tum decus et dignitatem literariae rei ſuſtinere.

Multa familiae tuae lumina, CELSISSIME PRINCEPS, hac laude floruerunt, tritavus maxime tuus, contra omnem fortunam armatus, Ioannes Fridericus, elector, de quo Melanchthon teſtatus eſt, plura eum legendo ſcribendoque quotidie peragere, quam et ipſe, et Hieronymus Schurfius; * ſed

* *Narrat Ioannes Sturmius, dedicatione dialogorum in partitiones oratorias Ciceronis, his verbis:* Franckfordiae proxime cum apud Philippum Melanchthonem coenarem, de Ioanne Friderico, Saxoniae Duce, dixit, plura hunc Ducem legendo, ſcribendoque quotidie peragere, quam et ipſe, et Hieronymus, vt opinor, Schurpfius, Iurisperitus. Eſt autem omnium opinio, hos duos in legendo caeteris, qui Wittenbergae ſunt, labore, anteire: tametſi pauci non diligentiſſimi ſint in illo gymnaſio. Lutherus enim non tam aetate, quam valetudine affecta eſt: vt, ſi quantum velit, et cupiat, tantum conetur ſuſcipere: non diuturnam huius lucis vſuram acciperet. Itaque hi duo plura, quam caeteri perlegere dicuntur: et per mihi magnum eſſe videretur: ſi cum altero ſolum Princeps eius gentis componeretur: vt, vel Hieronymo par, vel prope ſimilis diligentia Philippo eſſet: et mirabile eſſet Ducem, quod nomen Regum appellationi proximum in terris eſt, et Saxoniae Ducem, tanta

ſed ego tres tantum Fridericos commemorabo, in quos literatorum hominum oculos inprimis eſſe converſos video.

FRIDERICVS III. Saxoniae ſeptemvir, cuius tu nomen geris, quemque ſapientem vſurpari notum eſt, ad illam publicae rei peſtem, ignorantiam et barbariem, comprimendam; extinguendam, funditus delendam natus eſſe videtur rerum harum intelligentibus. Condidit enim academiam Wittebergenſem, matrem cultioris literaturae in Germaniam tunc demum illatae, aluitque communem vniverſae patriae praeceptorem, Philippum Melanchthonem, et plures omni doctrinarum genere excultos viros, quorum ſtudio antiquitatis monumenta rariſſima conquiſivit, ac in archivum Wittebergenſe abdidit. Cum anno cIↃ cccc xciii. in Palaeſtinam

tanta praeditum induſtria, et ſtudio cognoſcendi. Nunc vero quid ſtatuendum eſt: cum tanti viri diligentia duorum induſtriae anteponatur; quorum alter diligentiſſimus, alter doctiſſimus, vterque ſtudioſiſſimus haberetur?

nam proficiſceretur, conterraneum meum, Graecarum Latinarumque literarum ſcientiſſimum, D. Martinum Polich, Mellerſtadtium, ſocium itineris elegit, dignumque habuit, per quem codices Graecos, in bibliotheca tua etiam nunc magna cura aſſervatos, diligentiſſime coëmeret. In reditu Venetiis, ac tota Italia, claſſicorum vtriusque linguae autorum novas editiones, Aldorum opera perfectas, quae nunc inſtar veterum manuſcriptorum aeſtimantur, pretio parare iuſſit, Wittebergamque tranſtulit, vt iis ſapientiae ſtudioſi publice vterentur. Sed cum Mauritius, Saxo, electoralem ditionem dignitatemque tuae familiae ademiſſet; facile paſſus eſt, hos codices Witteberga in academiae Ienenſis bibliothecam transportari: quorum iacturam memini academiae Wittebergenſis ornamentum, Conradum Samuelem Schurzfleiſchium, iterum iterumque dolenter deploraſſe.

SERENITATIS TVAE Pater, qui ſempiterna in laude verſabitur, FRIDERICVS II. GOTHANVS, admirabilis aetatis ſuae Phoenix, cui erogatio pecuniarum in libros, in manuſcripta, in numophylacium, in pinacothecam, ex vſitata benefaciendi conſvetudine, iucundiſſima erat, locupletavit ſane bibliothecam tuam inſigniter, multa librorum millia, et in his Hoſianum literarum commercium ei adiecit, auxit etiam in ſcholis gymnaſiisque docentium ſalaria, meque pro pauperibus, pro eruditis, pro literaria ſupellectile ſupplicantem nunquam paſſus eſt moeſtum a ſe diſcedere.

Tu vero, CELSISSIME PRINCEPS, FRIDERICE III. quantum ſtudii ab ineunte aetate in literis artibusque contriveris, quam operam elegantioribus ſcientiis dederis in provinciarum tuarum commoda iam deſinentem: quantopere in itinere tuo Helvetico, Italico, Gallico, Anglicano, Batavo, Dani-

Danico, Svecico et Germanico cum manuſcriptos, tum typis expreſſos libros, praeſtantia raritateque commendabiles, indagaveris, iisque bibliothecam Fridenſteinenſem feceris locupletiorem: quantis impenſis, ad gubernacula reipublicae divinitus admotus, rem librariam iuveris, latisque legibus, de ſelectu ingeniorum ad ſtudia ſe applicantium, civium tuorum ſaluti conſultum volueris: haud ſinunt animi tui moderatio, ac gloriae fuga, a me, ut par erat, praedicari. Non poſſum tamen gratam poſteritatem hoc celare penitus, nuper te ea Iulii Pflugii, Naumburgenſis epiſcopi, authentica monumenta, quorum copiam huius tabularii prima ac tertia parte fecimus, pretio non contemnendo bibliothecae tuae intuliſſe. Haec autem omnia, iuxta cum aliis antiquitatis reliquiis, quas hoc libello viſum eſt ab interitu vindicare, tibi, CELSISSIME PRINCEPS, quia omnia tua ſunt, demiſſe offero ac dedico, Deumque precor, vt te,

ac Domum tuam celſiſſimam, aeternum proſperet, mitiſſimum tuum Gothanarum ditionum regimen, quod ne quidem invidiae obtrectatio lacerare poteſt, nunquam non fortunet, atque populum tuum ſuo amore complectatur, praeſidioque muniat. Dabam Fridenſteinii e bibliotheca tua, Calendis Martii A. O. R. cIↃ IↃCC XLIII.

PRAE-

PRAEFATIO.

I. *Operis occaſio.*
II. *Titulus.*
III. *Argumentum*
IV. *Monumentorum fides hiſtorica.*
V. *Editoris bona fides.*

I.

NUnquam putavi fore, vt haec monumenta publicarentur. Collegeram enim, ac magno pretio ea fini coëmeram, vt hiſtoriae eccleſiaſticae amatoribus inſervirent quidem privatim, publice autem ornarent celſiſſimi Principis mei bibliothecam, et ad eam perluſtrandam veri cognoſcendi cupidos peregrinatores allicerent. Pluris certe aeſtimantur, quae toto terrarum orbe ſemel tantum reperimus, minoris autem, quorum affluens copia cum raritatis, tum antiquitatis

gratiam ademit tabulis avthenticis. Satis igitur mihi esse debebat, diligenter custodivisse chartas eam ecclesiae Romanae periodum describentes, cui rerum gestarum magnitudine, ac extremo pene discrimine, inde a Caesaris, Constantini primi, ad Christum transitu parem non habuit. In illis autem comparandis negare non possum, eximiam operam navasse virum generis nobilitate, vsu rerum, ac munerum graviſſimorum perfunctione illustrem, CHRISTIANVM AB VFFEL. Is enim, donec apud nos supremam redituum praefecturam gerebat, non solum, quod excellentibus status publici administris semper in more positum fuit, literatos homines fovit ac tuitus est; sed etiam in erogandis sumtibus, quos aulicae bibliothecae augmenta ornatusque postularent, suam propensionem nunquam permisit desiderari.

Sed profecto est ita hominum vita comparata, vt multa accidere possint, quae aliquid nobis consilii novi esse capiendum persvadeant. Quamobrem etiam mihi propositum tenere non fuit integrum, posteaquam a sereniſſimo Principe meo, qui his chartis emendis sumtus largiter suggesserat, magnates nonnulli semel atque iterum petierunt, vt epistolae Hosianae, quae sibi vsui essent, describerentur. Ea enim res multum temporis ac numorum postulabat, nec aderant mihi eru-

eruditi, ac rei diplomaticae gnari, laborumque patientes notarii, qui exſcripta ad avtographorum fidem exigere, et in ea valorem autoritatemque exemplorum primigeniorum transferre poſſent ac vellent. Quocirca cum id multum lucis allaturum hiſtoriae veritatique videretur; conſtitutum mihi tandem eſt, haec monumenta emittere, atque hoc ſyntagmate publicis conſecrare vtilitatibus.

II. Vocavi hoc opus tabularium, id eſt, locum, in quo tabulae, ſcripta, et inſtrumenta publica, rerumque geſtarum indices aſſervantur. Non ſemel Cicero voce vſus eſt. Libro III. de natura Deorum capite XXX. ait: *Sed exeamus e theatro: veniamus in forum, ſeſſum ite precor. Quid? vt iudicetur, qui tabularium incenderit?* Et pro Archia circa medium: *Hic tu tabulas deſideras Heraclienſium publicas, quas Italico bello, incenſo tabulario, interiſſe ſcimus omnes.*

Nominavi eccleſiae Romanae tabularium; editurus deinceps, ſi Deus volet, etiam orientalium chriſtianorum archivum, quandoquidem multa Ieremiae, patriarchae Conſtantinopolitani, Gabrielis, Philadelphiae archiepiſcopi, Theodoſii Zygomalae, aliorumque Graecorum avthentica monumenta in celſiſſimi Principis mei bibliotheca habentur, haud obvia in Cruſii Turco-graecia, edi autem digna in primis.

Non

Non dubito, eccleſiam Romanam amplius decies mille tabularia habere poſſe, quanquam pleraque non ad vniverſum corpus, ſed ad varia corporis membra ac dioeceſes attinentia: cum contra ſynodi Tridentinae acta ad totum pontifici Romano ſubiectum chriſtianorum coetum pertineant. Etſi igitur hic chartophylax pauca antiquitatis monumenta continet, vt nihil in hoc ſtudiorum genere, ac ne quidem Cherubini bullarium, perfectum, aut omnibus numeris abſolutum eſſe poteſt; tamen res ipſa docet, conſtruxiſſe me aliquod eccleſiae Romanae, quae ſeculo XVI. per ſynodum Tridentinam de integro coagmentata eſt, tabularium, ac in illud iuſte ad me perlata documenta congeſſiſſe, non ſecus ac Thuanus aliquam ſui temporis hiſtoriam conſcripſiſſe creditur, licet res plurimas per quatuor orbis partes geſtas praetermiſiſſet.

Quod meum bene de publica re merendi ſtudium qui in peiorem partem vertent, eos Galliae literatae decus, Ioannem Mabillon, a quo muſeum Italicum exſtructum locupletatumque eſt, Dilingenſes etiam, cancellariae Anhaltinae editores, Cochleumque, actorum Lutheri collectorem, ac innumerabiles alios, qui in conquirendis variarum eccleſiarum reliquiis deſudarunt, prudentibus viris vehementer reclamantibus, oportebit vituperare.

III. Ha-

III. Habet autem hoc tabularium tres quaſi pluteos. In primo continentur calicis evchariſtici a Pio IV. laicis reſtituti monumenta originalia: quae neſcio an vſpiam, vt heic collecta ſunt, liceat invenire. Secundus exhibet magnorum ac eruditorum virorum epiſtolas ad Hoſium datas. In quas ſi nonnullae vilioris argumenti irrepſiſſe videbuntur; cogitandum eſt lectoribus, etiam in editis olim Hoſianis haud paucas exigui ponderis comparere, heic autem quasdam nos retinuiſſe ſive ad indicandum eius aetatis, qua ſcriptae ſunt, curiarum eccleſiaſticarum, Romanae inprimis, ſtylum et ſummorum virorum eloquentiam; ſive ad hiſtoriae civilis ac literariae in Polonia connexionem dilucidandam, et ad explendas lacunas, quae in Reſciana Hoſii vita frequentes deprehenduntur. Praetermiſi tamen multas, quae ad rem familiarem, aut privata litigia pertinebant. Abiecimus quoque Ioannis Maxſinskii, et Nicolai Radzivilii, a Socinianis in errorem rapti principis, ſacroſanctum Trinitatis myſterium dehoneſtantes centunculos. Denique ſemovendas putavimus omnes illas chartas, quae vitae privatae hallucinationes aut commemorabant, aut aliis exprobrabant. Sunt nobis ſane in promtu eiusmodi epiſtolae, quae certiores facerent etiam incredulos, illuſtriſſimos quosdam eccleſiae Romanae proceres ab infirmitatibus humanis, animi-

que perturbationibus non longius abfuiſſe, quam pauperculos evangelicorum theologos. Sed doctorum eccleſiae παραπτώματα, tanquam ſtercus ex auro, colligere, ac in communes locos congeſta atheis, epicureis et fanaticis exſibilanda proiicere, quod ſub exitum ſeculi nuperi in ſua hiſtoria haeretica Gottfridum Arnoldum feciſſe meminimus; id vero, me iudice, eſt nihil credendi artificio, ipſique atheiſmo dulciſſimum pabulum ſubminiſtrare, ac de religione chriſtiana peſſime mereri. Si Deo libitum eſt, eccleſiae regendae non angelos, ſed homines praeficere; relinquamus ei ſuum antiquum morem. Chriſti diſcipulum non tam aliorum vivendi diſciplinam ad calculos vocare decet, quam ſuum ipſius pectus continuo pietatis ſtudio exornare. In tertium pluteum comportavi variorum eccleſiae Romanae defenſorum, qui ſeculo poſt Chriſtum natum XVI. pro ea militarunt, ex pluribus ſelecta documenta, quae ab avtographis ſtudioſiſſime tranſcribenda curavimus.

Adſperſi ſubinde his antiquitatis reliquiis annotationes quasdam, praecipue biographicas, idque in gratiam lectorum rarioribus libris, et hiſtoriarum cognitione carentium, quibus pleraque infructuoſa, et, vt ita dicam, absque hodegeta, arena ſine calce futura erant, quandoquidem, vt Cicero de finibus libro V. capite XXIX. ait, etiam in ſenatu ſemper eſt aliquis, qui interpretem poſtulet.

IV.

IV. Scio, literis privatim ſcriptis, niſi adverſus earum autores, non facile ineſſe fidei hiſtoricae autoritatem, poſſe tamen vetuſtate exoletas in luçem edi, cum inde nemo in periculum adducitur, aut inſtruitur accuſatio demortuorum. Recte igitur Cicero philippicae ſecundae capite IV. ait: *Quis unquam, qui paulum modo bonorum conſuetudinem noſſet, literas ad ſe ab amico miſſas, offenſione aliqua interpoſita, in medium protulit, palamque recitavit? Quid hoc eſt aliud, quam tollere e vita vitae ſocietatem, tollere amicorum colloquia abſentium? Quam multa ioca ſolent eſſe in epiſtolis, quae prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur? Quam multa ſeria, neque tamen vllo modo divulganda?* Et Apuleius in apologetico non immerito queritur: *Eadem via multi rei cuiusvis maleficii poſtulabuntur, ſi ratum futurum eſt, quod quisque in epiſtola ſua vel amore vel odio cuiuspiam ſcripſerit. Magum te ſcripſit Pudentilla, igitur magus es. Quid enim ſi pictorem, ſi medicum? Quid ſi conſulem me ſcripſiſſet, conſul eſſem? Quid denique ſi innocentem? Num aliquid horum putares idcirco, quod illa dixiſſet?* Ad quem Apuleii locum Scipio Gentilis ita commentatur: *abſurdiſſimum eſt, vt et privatis ſcripturis, et contra alium credatur. Notae ſunt iuris noſtri ſententiae L. non epiſtolis. L. rationes. L. exemplo. C. de probation.*

Neque illud me fugit, quod teſtes dicunt, non ſine

vlla dubitatione credendum esse; sed sapientiam iudicis requiri ad testimonia aestimanda, momentoque suo ponderanda. Vnde Cicero pro Fonteio sic alloquitur iudices: *Si hoc praescriptum lege, aut officio putatis, testibus credere: nihil est, cur alius alio iudice melior, aut sapientior existimetur. Vnum est enim, et simplex aurium iudicium, et promiscue, et communiter stultis, ac sapientibus ab natura datum. Quid est igitur, vbi elucere possit prudentia? vbi discerni stultus auditor, et credulus, ab religioso, et sapienti iudice? nimirum illud, in quo ea, quae dicuntur a testibus, coniectura, et cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi aequitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bonae, quanta cura, quanto timore dicantur. Aemilii Scauri, cuius iniurati nutu prope terrarum orbis regebatur, iurati testimonio, neque in C. Finbriam, neque in C. Memmium creditum est. Noluerunt ii, qui iudicabant, hanc patere inimicitiis viam, quem quisque odisset, vt eum testimonio posset tollere.*

Ad postremum etiam illud compertum habemus, divino * humanoque iure singulari ac vnico testi fidem non esse habendam. Quamobrem Q. Scaevola, cum testis in reum productus id respondisset, quod salutem perichitantis magnopere laesurum videbatur, discedens adiecit, ita sibi credi oportere, si et alii idem asseverassent, quoniam vnius testimonio credere pessimi

* Deut. 19, 15. 1. Tim. 5, 19.

exem-

exempli eſſet. Vere igitur Scipio Gentilis commentario in apologiam Apuleii p. m. 304. ſcribit: *Vnius et ſingularis teſtis teſtimonium ne audiri quidem leges volunt.*

Quod cum clarum vtique teſtatumque ſit; tribuant lectores, quantum volent, epiſtolis privatorum. Me eorum iudicium non magnopere conturbabit. Sed ita ſe res non habet, cum miniſtri principum, in muneris ſui actu et adminiſtratione, de herorum ſuorum cauſa ad alios negotiorum publicorum procuratores dant literas. His enim fides publica ineſt, quae hiſtoriarum cognitioni maxime ſuffragatur.

V. Dixi, quae hoc libello vſuros ſcire oportere exiſtimavi. Conſequens eſt, vt de mea in eo emittendo voluntate aliquid proferam acutioribus ingeniis diiudicandum. Edidi haec monumenta fide optima, ac recipio, avtographa me iis oſtenſurum, quibus delectabile erit, heic deſcripta cum illis male olentibus contendere. Vereor autem, ne quibusdam cautionem nimiam, aut ſuperſtitioſam videar adhibuiſſe. Vt enim omnes intelligerent, mihi bonam fidem cordi eſſe; ne quidem acerbas illas contumelias, quibus proteſtantes in hoc opere affecti ſunt, delevi, aut expunxi, et eo minus, quod mihi miſeriam ac vanitatem deſtinationum humanarum, clarorumque virorum vehemens nocendi ſtudium ob oculos ſiſterent, non ſatis expendentium il-

lud tritum: *vita brevis vetat ſpes inchoare longas.* Iucundum erat, maximorum Caeſarum, aliorumque principum cogitationibus, gaudiis, moeroribus, conſiliis, evanidis quidem hodie, ſed tamen hiſtoriarum diligenti animo voluptatem afferentibus, procul aegritudine intereſſe. Iucundum erat, volvere ac revolvere chartas, quas illi ſuis oculis * vſurpaſſent, ſuisque attrectaſſent manibus. Sed cum cogitarem, vnico illo ſeculo, quo haec acta ſcriptaque ſunt, ſeptendecim pontifices Romanos, quatuor Caeſares, amplius ducentos cardinales, innumerosque alios egregios viros, morte vitam ſuam confeciſſe, plenam laboribus, ſudoribus, aerumnis, etiam calamitatibus, quas ſibi, in paucorum dierum ad aeternitatem itinere, quidam mutuo intuliſſent; hunc fructum hauſi ex papyro tineis ac vetuſtatis carie adeſa, vt, quantum eſſet in rebus inane, meditarer enucleate, vitaeque brevitate, ac eius pompa fugaci, ſolicitius conſiderata, exhortationem veterum chriſtianorum etiam magnificentiſſimo vanitatum ſtrepitui arbitrarer anteponendam: *aeterna ſequamur!* Scribebam Gothae Calendis Martii clɔ Iɔcc XLIII.

* *Cicero libro II. de legibus capite ſecundo:* me quidem ipſae illae noſtrae Athenae non tam operibus magnificis, exquiſitisque antiquorum artibus delectant, quam RECORDATIONE SVMMORVM VIRORVM, vbi quisque habitare, vbi ſedere, vbi diſputare ſit ſolitus: ſtudioſeque eorum etiam ſepulchra contemplor.

SE-

* *

SERIES MONVMENTORVM.

PARS PRIMA.

1. *Pius IV. Iulio Pflug, epiſcopo Naumburgenſi* - 1
2. *Maximilianus II. Caeſar eidem* - - 9
3. *Ferdinandus I. eidem* - - - 12
4. *Antonius, archiep. Pragenſis eidem* - - 15
5. *Articuli Caeſaris de vſu calicis* - - 16
6. *Thannerus Ioanni de Monte* - - 26
7. *Cithardus Pflugio* - - - 27
8. *Caniſius Hoſio* - - - - 31
9. *Idem eidem* - - - 34
10. *Pauli II. bulla coenae contra Georgium B. R.* - 38

PARS SECVNDA.

1. *Olaus Magnus Hoſio* - - - 51
2. *Glogowski Hoſio* - - - - 54
3. *Cardinalis Puteus cardinali Hoſio* - - 58
4. *Idem eidem* - - - 60
5. *Lipomanus Hoſio* - - - 61
6. *Idem eidem* - - - 63
7. *Idem eidem* - - - 64
8. *Idem eidem* - - - 65
9. *Idem eidem* - - - 66
10. *Idem eidem* - - - 70
11. *Idem eidem* - - - - 71

12. Lipomanus Hosio 72
13. Idem eidem 73
14. Puteus Hosio 74
15. Borromaeus Hosio 76
16. Puteus Hosio 83
17. Borromaeus Hosio 84
18. Puteus Hosio 86
19. Idem eidem 87
20. Otho, Cardinalis Augustanus, Hosio 88
21. Borromaeus Hosio 95
22. Idem eidem 99
23. Augustanus Hosio 101
24. Puteus Hosio 102
25. Augustanus eidem 103
26. Puteus Hosio 105
27. Augustanus Hosio 107
28. Puteus Hosio 109
29. Augustanus Hosio 111
30. Borromaeus Hosio 111
31. Hosius Pflugio 113
32. Puteus Hosio 118
33. Idem eidem 119
34. Augustanus Hosio 120
35. Madrutius Hosio 122
36. Hosius Pflugio 124
37. Augustanus Hosio 125
38. Borromaeus Hosio 127
39. Idem eidem 128
40. Puteus Hosio 129
41. Hosius Pflugio 131
42. Tridentinus Hosio 133
43. Hosius Pflugio 136
44. Borromaeus Hosio 138
45. Idem eidem 143

46. Moronus Hosio - - - 144
47. Simoneta Hosio - - - 146
48. Borromaeus Hosio - - - 148
49. Puteus Hosio - - - - 150
50. Borromaeus Hosio - - - 151
51. Hosius Pflugio - - - - 153
52. Puteus Hosio - - - 155
53. Borromaeus Hosio - - - 156
54. Puteus Hosio - - - 159
55. Tridentinus Hosio - - - 161
56. Borromaeus Hosio - - - 163
57. Idem eidem - - - - 165
58. Idem eidem - - - 168
59. Puteus Hosio - - - 169
60. Borromaeus Hosio - - - 169
61. Idem eidem - - - - 171
62. Idem eidem - - - 172
63. Puteus Hosio - - - 173
64. Scripandus Hosio - - - 174
65. Puteus Hosio - - - 176
66. Augustanus Hosio - - - 177
67. Tranensis Hosio - - - 178
68. Augustanus Hosio - - - 179
69. Henricus, cardinalis infans, Hosio - - 181
70. Augustanus Hosio - - - 182
71. Henricus infans Hosio - - 183
72. Henricus, card. infans, Hosio - - 185
73. Idem eidem - - - 186
74. Augustanus Hosio - - - 187
75. Idem eidem - - - 188
76. Idem eidem - - - 189
77. Canisius Hosio - - - 190
78. Puteus Hosio - - - 193

79. Caniſius Hoſio 193
80. Puteus Hoſio 195
81. Idem eidem 196
82. Idem eidem 197
83. Caniſius Hoſio 198
84. Idem eidem 200
85. Aræ coeli Hoſio. 201
86. Cromerus Hoſio 203
87. Puteus Hoſio 206
88. Borromaeus Hoſio 207
89. Caniſius Hoſio 208
90. Borromaeus Hoſio 210
91. Idem eidem 210
92. Caniſius Hoſio 212
93. Idem eidem 214
94. Borromaeus Hoſio 217
95. Moronus Hoſio 218
96. Caniſius Hoſio 219
97. Idem eidem 222
98. Puteus Hoſio 224
99. Caniſius Hoſio 226
100. Idem eidem 227
101. Auguſtanus Hoſio 229
102. Puteus Hoſio 230
103. Caniſius Hoſio 231
104. Borromaeus Hoſio 232
105. Cromerus Hoſio 233
106. Auguſtanus Hoſio 234
107. Borromaeus Hoſio 235
108. Henricus infans Hoſio 236
109. Caniſius Hoſio 237
110. Auguſtanus Hoſio 239
111. Caniſius Hoſio 239
112. Idem

112. Idem eidem - - - - 240
113. Auguſtanus Hoſio - - - 241
114. Tridentinus Hoſio - - - 242
115. Auguſtanus Hoſio - - - 244
116. Idem eidem - - - - 246
117. Caniſius Hoſio - - - 247
118. Idem eidem - - - 248
119. Auguſtanus Hoſio - - - 250
120. Idem eidem - - - - 251
121. Idem eidem - - - 252
122. Borromaeus Hoſio - - - 253
123. Caniſius Hoſio - - - 254
124. Auguſtanus Hoſio - - - 255
125. Caniſius Hoſio - - - 257
126. Idem eidem - - - - 258
127. Tridentinus Hoſio - - - 260
128. Auguſtanus Hoſio - - - 261
129. Idem eidem - - - - 262
130. Puteus Hoſio - - - - 263
131. Borromaeus Hoſio - - - 264
132. Auguſtanus Hoſio - - - 264
133. Puteus Hoſio - - - 265
134. Caniſius Hoſio - - - 266
135. Mendoza Hoſio - - - - 268
136. Caniſius Hoſio - - - 299
137. Idem eidem - - - 300
138. Auguſtanus Hoſio - - - 300
139. Caniſius Hoſio - - - 301
140. Borromaeus Hoſio - - - 303
141. Auguſtanus Hoſio - - - - 305
142. Caniſius Hoſio - - - 306
143. Idem eidem - - - 310
144. Borromaeus Hoſio - - - 312

145. Pflugius Hoſio - - - - 313
146. Borromaeus Hoſio - - - - 315
147. Idem eidem - - - - 315
148. Idem eidem - - - - 316
149. Caniſius Hoſio - - - - 317
150. Borromaeus Hoſio - - - - 319
151. Petrus Miskowski Hoſio - - - - 319
152. Borromaeus Hoſio - - - - 322
153. Idem eidem - - - - 323
154. Idem eidem - - - - 324
155. Auguſtanus Hoſio - - - - 324
156. Borromeus Hoſio - - - - 325
157. Caniſius Hoſio - - - - 326
158. Borromeus Hoſio - - - - 327
159. Borromeus Hoſio - - - - 327
160. Idem eidem - - - - 328
161. Caniſius Hoſio - - - - 329
162. Borromeus Hoſio - - - - 330
163. Caniſius Hoſio - - - - 331
164. Borromeus Hoſio - - - - 333
165. Caniſius Hoſio - - - - 334
166. Auguſtanus Hoſio - - - - 335
167. Idem eidem - - - - 336
168. Borromeus Hoſio - - - - 337
169. Auguſtanus Hoſio - - - - 337
170. Idem eidem - - - - 339
171. Idem eidem - - - - 340
172. Caeſar Ferrantius Hoſio - - 341
173. Lombardus Hoſio - - - 343
174. Borromeus Hoſio - - - - 344
175. Tridentinus Hoſio - - - 345
176. Borromeus card. Commendono - - - 346
177. Borromeus Hoſio - - - 348

178. Cro-

178. Cromerus Hoſio - - - 350
179. Borromeus Hoſio - - - 352
180. Franciſcus Torrenſis Hoſio - - - 353
181. Auguſtanus Hoſio - - - 357
182. Lombardus Hoſio - - - 358
183. Borromeus Hoſio - - - 360
184. Laynezius Hoſio - - - 361
185. Auguſtanus Hoſio - - - - 363
186. Lombardus Hoſio - - - 364
187. Andreas Patricius Hoſio - - - 367
188. Franciſcus Balduinus Hoſio - - - 368
189. Sanderus Hoſio - - - 370
190. Caniſius Hoſio - - - - 372
191. Sanderus Hoſio - - - 374
192. Laynez Hoſio - - - 376
193. Auguſtanus Hoſio - - - 378
194. Lombardus Hoſio - - - 380
195. Camillus Olivus Hoſio - - - 381
196. Caniſius Hoſio - - - 385
197. Lombardus Hoſio - - - 387
198. Auguſtanus Hoſio - - - - 388
199. Cardinalis S. Georgii Hoſio - - 389
200. Borromeus Hoſio - - - 391
201. Clodinius Hoſio - - - 392
202. Simoneta Hoſio - - - 393
203. Palaeotus Hoſio - - - - 394
204. Alciatus Hoſio - - - 396
205. Lombardus Hoſio - - - - 397
206. Caniſius Hoſio - - - - 398
207. Stanislaus Clodinius Hoſio - - - 400
208. Clodinus Hoſio - - - 402
209. Polancus Hoſio - - - - 404
210. Auguſtanus Hoſio - - - 405

211. Polancus Hoſio - - - - 409
212. Caſtaneus, archiepiſc. Roſſanenſis, Hoſio - - 411
212. Simoneta Hoſio - - - 412
213. Lombardus Hoſio - - - 413
214. Glagowsky Hoſio - - - 414
215. Polancus Hoſio - - - 416
216. Simoneta Hoſio - - - 418
217. Andradius Hoſio - - - 419
218. Lombardus Hoſio - - - 422
219. Maldonatus Hoſio - - - 424
220. Polancus Hoſio - - - 426
221. Andradius Hoſio - - - 427
222. Sanderus Hoſio - - - 428
223. Simoneta Hoſio - - - 431
224. Epiſcopus Olomucenſis Hoſio - - 432
225. Alexandrinus Hoſio - - - 434
226. Poſtellus Hoſio - - - 435
227. Maldonatus Hoſio - - - 442
228. Rotundus Hoſio - - - 444
229. Caniſius Hoſio - - - 448
230. Hosloninus Hoſio - - - 451
231. Sirletus Hoſio - - - 453
232. Clodzinsky Hoſio - - - 455
233. Simoneta Hoſio - - - 456
234. Alanus Copus Hoſio - - - 458
235. Idem eidem - - - 461
236. Carolus, card. Lotharingus, Hoſio - - 463
237. Bilia Hoſio - - - - 466
238. Zaiexkowsky Hoſio - - - 468
239. Maldonatus Hoſio - - - 469
240. Bilia Hoſio - - - 477
241. Alanus Copus Hoſio - - - 479
242. Miskovski Hoſio - - - 481

243. Lom-

243. Lombardus Hoſio - - - 483
244. Commendonus Hoſio - - - 485
245. Zaiexckowski Hoſio - - - 487
246. Patricius Hoſio - - - - 489
247. Auguſtanus Hoſio - - - 491
248. Bilia Hoſio - - - - 494
249. Commendonus Hoſio - - - 495
250. Hoſius epiſcopo Wladislavienſi - - - 498

PARS TERTIA.

1. Leo X. Pflugio - - - 519
2. Eraſmus Roterodamus Pflugio - - 523
3. Carolus V. Pflugio et aliis - - 524
4. Paulus III. Pflugio - - - 525
5. Idem eidem - - - 527
6. Cochleus Pflugio - - - 528
7. Paulus III. Carolo V. - - - 531
8. Cochleus Pflugio - - - 533
9. Pflugius Sidonio - - - - 536
10. Pflugius Vicelio - - - 537
11. Pflugius Theodorico Artopoeio - - 539
12. Pflugius Iacobo Breitenbachio - - - 541
13. Pflugius Welſero et Scheilio - - - 541
14 Pflugius Bonamico - - - - 543
15. Teſtimonium Mauritii, Saxoniae electoris, Pflugio datum 544
16. Stephanus Agricola Pflugio - - - 547
17. Auguſtanus Pflugio - - - 550
18. Caniſius Pflugio - - - 551
19. Pflugius Pio IV. - - - 553
20. Cromerus Pflugio - - - 554
21. Cromerus Puteo Cardinali - - - 555
22. Pius IV. Pflugio - - - 558

23. Delphinus Pflugio - - - 559
24. Idem Eidem - - - 561
25. Card. Trident. Pflugio - - - 562
26. Pflugius Caniſio - - - 563
27. Io. Sturmius Pflugio - - - 564
28. Eraſmus Langio - - - 566
29. Emanuel, rex Portugalliae, Friderico III. electori Saxoniae. 567
30. Epiſcopus Cracovienſis Culmenſi - - 570
31. Epiſcopus Cracovienſis Tidemanno, epiſcopo Varmienſi - 574
32. Caniſius Cromero - - - 576
33. Lipomannus Cromero - - - 577
34. Weigelius Rotundo - - - 578
35. Reſcius Cromero - - - 580
36. Coſtka Cromero - - - 583

PARS PRIMA,

RESTITVTI CALICIS EVCHARISTICI HISTORIAM COMPLECTENS.

I.

Breve Pii IV. quo Naumburgenſi epiſcopo largitur facultatem porrigendi populo calicem evchariſticum. Ex originali.

* PIVS PP. IIII. *

Venerabilis frater, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Cum ſacroſancta Tridentina ſynodus in ſeſſione de ſacrificio miſſæ habita, referendum ad nos eſſe decreverit negocium aliâs in eadem Synodo propoſitum de uſu ſacri calicis, alicuius nationis, vel regni populis concedendo: ut id nos conſilium caperemus: quod animabus ipſum calicem petentium ſalutare futurum eſſe judicaremus: peracto concilio, cha-

riſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus, Romanorum Imperator Electus, inſigni, & perpetuo ſuo pietatis zelo adductus, re prius, ſicut ad nos ſcripſit, communicata cum nonnullis præcipuis ſacri Romani Imperii Prælatis, ac Principibus Eccleſiaſticis, & dilecto filio, nobili viro, Alberto Bavariæ Duce, genero ſuo, per literas, & per oratorem ſuum diligentiſſime nobis expoſuit ingens, evidensque periculum, quod in Provinciis inclytæ nationis Germanicæ & aliis regnis, ac dominiis ſuis imminet religioni catholicæ: ne ibi penitus extinguatur: propterea quod illæ catholicorum reliquiæ tanto deſiderio communicandi ſub utraque ſpecie teneantur: ut non pauci iam ad hæreticos ſeſe ob eam ipſam cauſam contulerint, a quibus catholicæ fidei veritatem abiurare eoacti ſunt, & de cæteris, niſi calicis uſus ipſis concedatur, magnopere ne idem faciant, atque ita omnes ab Eccleſia recedant, verendum ſit. Itaque vehementer nos oravit, obſecravit, & inſtitit, ſuo, & ipſius Ducis Bavariæ nomine: ut tot Germanicæ nationis, & regnorum ac Provinciarum ſuarum populis opitulari, pro conceſſa nobis à Domino poteſtate vellemus. Qua eadem de re idem Bavariæ Dux, Princeps non genere magis, quam pietate inſignis, ac nobilis per oratorem ipſe quoque, & per literas diligentiſſime nobiscum egit; multique præterea doctrina, religione, prudentiaque præſtantes viri nos hortati ſunt. Commota fuerunt, perinde ac debuerunt, & penitus concuſſa viſcera noſtra dolore quodam intimo, poſtquam de tot animarum jactura, pro quibus Chriſtus Dominus noſter pretioſiſſimum ſuum ſanguinem in ara crucis effudit, & de tanto, ac tam manifeſto diſcrimine, quod Catholicorum reliquiis in illa nobiliſſima natione & dictis regnis, ac dominiis impendet, ex tam piorum Principum & aliorum gravium virorum teſtimonio cognovimus. Huic igitur periculo, quod proponitur, pro paſtorali officio, cupientes obviam ire, & multorum infirmitati paternæ charitatis viſceribus ſubvenire, ne unquam de nobis dici poſſit, tot pereuntes animas a nobis neglectas fuiſſe, & non feciſſe nos quicquid potuerimus, ut nutantes confirmaremus, la-

ſos erigeremus, errantes in ſalutis viam reduceremus, de Fraternitatis tuæ zelo, diligentia, & circumſpectione confiſi, ſi ita eſſe, & ſaluti animarum expedire cognoveris, in quo conſcientiam tuam oneramus, tibi & iis, qui maturo rectoque judicio ſubdelegabuntur à te, tenore præſentium de poteſtatis apoſtolicæ plenitudine facultatem damus, atque concedimus eligendi & deputandi Catholicos ſacerdotes, qui in Provincia tua utramque ſpeciem decenti ordine ſervato & omni offenſione vitata, quæ oriri poſſet inter communicantes ſub utraque & ſub una tantum ſpecie, miniſtrare poſſint, illam ex devotionis fervore petentibus: dummodo ii, qui illam petierint, cum ſancta Romana Eccleſia communionem habeant, & cum cæteris in rebus fidem ejus, doctrinamque ſequantur: tum hoc quoque confiteantur, profiteantur, & credant, in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento tam ſub una, quam ſub utraque ſpecie verum & integrum Chriſti corpus eſſe, nec Romanam Eccleſiam erraſſe aut errare, quæ exceptis duntaxat ſacerdotibus celebrantibus, cæteros tam clericos, quam laicos ſub ſpecie tantum panis communicat, & præterea contriti ac confeſſi, munere ſacramentalis abſolutionis accepto, ad ipſam ſub utraque ſpecie communionem ſumendam accedant. Vt vero etiam lapſis, ſi ad gremium matris Eccleſiæ redire voluerint, remiſſo rigore canonum conſulamus, permittimus, ut ſi vere, & ex animo reſipiſcant, erroresque & hæreſes, in quibus fuerint, apud te, vel ſubdelegatos abs te deteſtentur, abiuratio eis ſecreta ſufficiat, iniuncta tamen eis pœnitentia ſalutari, niſi magis eam abiurationem publice fieri expedire, tibi, ipſisve ſubdelegatis viſum fuerit, quod arbitrio veſtro relinquimus, atque ita ab omnibus pœnis, cenſuris, & ſententiis, in quas propter hæreſis crimen incurrerint, abſoluti & fidelium unitati, ac ſacramentis Eccleſiæ reſtituti, ipſi quoque ad communionem ſub utraque ſpecie admitti poſſint. Illud Fraternitatem tuam monemus, & diligenter curare volumus, ac mandamus, ut confeſſores, & Sacerdotes abs te illisve, quibus tu hanc poteſtatem ſubdelegabis, eligendi & deputandi in concionibus &

hortationibus ſuis ſedulo populum ſub utraque ſpecie communicaturum doceant, adhortentur, ac moneant, ut integrum Chriſtum, ſicut diximus, tam ſub una, quam ſub utraque ſpecie, contineri fideliter credat, confiteatur & teneat. Dat. Romae apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVI. Aprilis MDLXIV. Pont. Noſtri Anno Quinto.

Ant. Florebellus Lauellinus.

Inſcriptio.

Venerabili fratri Iulio, Epiſcopo Naumburgenſi.

ANNOTATIONES.

I. *Eccleſiae Ro. confeſſio de inſtituta divinitus vtraque ſpecie.* II. *Eiusdem confeſſio de praxi veteris eccleſiae:* III. *Origo communionis ſub vna absque dolo invaluit.* IV. *Veterum pontificum ſententia de neceſſitate calicis.* V. *Tridentini concilii lex de communione ſub vna.* VI. *Ferdinandi Caeſaris interceſſio.* VII. *Pii IV. conceſſio calicis.* IIX. *Nova ablatio calicis ex euchariſtia.*

I.

In Chriſti ſchola, poſt divinae veritatis cuſtodiam, primas tenet caritas, vnde omnia chriſtiani hominis officia proficiſcuntur. Non autem in mutua tantum & otioſa benevolentia ponitur ea, quam ſoſpitator noſter ſuis praecepit, dilectio; ſed actuoſa eſt ac congregabilis, vultque chriſtianorum coetus ac celebrationes eſſe, & a piis ita obiri, ut fratribus pro virili ſubveniant atque opitulentur. Igitur vt chriſtianos chriſtianis conciliaret ad amabilem ſocietatem, eosque arctiſſimo amoris vinculo conglutinaret humani generis redemtor; ſacram coenam inſtituit, ſectatoribus ſuis omnibus ſocialiter frequentandam, quam veteres agapen, ſeu, dilectionem vocarunt. Quemadmodum vero coena legitima fine potione vix intelligi poteſt; ita fatetur eccleſia Romana in conciliis Conſtantienſi ſeſſione XIII. & Tridentino ſeſſione XXI. Chriſtum, teſtatorem moribundum, non ſolum corpus comedendum, ſed & ſeorſim ſanguinem ſuum bibendum inſtituiſſe. Poſtremum concilium ait capite primo dictae ſeſſionis: *Chriſtus Dominus in vltima coena venerabile hoc ſacramentum in panis & vini ſpeciebus inſtituit.*

II. Ea-

II. Eadem eccleſia non negat, ab initio laicis etiam calicem exhibitum fuiſſe. Concilium Tridentinum capite II. ſeſſionis XXI. in re clariſſima timidius loquitur: *licet ab initio chriſtianae religionis non infrequens vtriusque ſpetiei vſus fuiſſet.* Conſtantienſe dicta ſeſſione absque omni circuitione inquit: *Licet in primitiva eccleſia huiusmodi ſacramentum reciperetur a fidelibus ſub vtraque ſpecie.* Non puto, in Romanae eccleſiae doctoribus, qui hodie florent, vel vnicum repertum iri, quem huius veritatis oblivio capere poſſit. Non cepit ſane Angelum Manrique, qui annalium Ciſtercienſium tomo I. anno 1109. capite III. diſerte ſcribit: *Sciat lector, communionem ſub vtraque ſpecie olim in vſu etiam totius eccleſiae, cap. cum omne, cap. comperimus, de conſecratione, diſtinctione ſecunda. Vnde & miniſtrando Chriſti ſanguini calices habebantur, miniſteriales ideo nuncupati, de quibus in vitis pontificum frequens mentio. Extant carmina miniſteriali calici inſcripta, quem beatus Remigius, Remorum archiepiſcopus, eccleſiae ſuae obtulit, hunc ipſum eius vſum ſignificantia:*

Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro,
Iniecto, aeternus quem fudit, vulnere Chriſtus.

Addit Lindanus, calices in plerisque eccleſiis vſque in illum diem extare, quibus ſanguis Domini communicabatur.

Sed proferemus etiam teſtes religioſos ſuperiore recentiores. Primus eſt Ioannes Bona, optimis cardinalibus annumerandus, quem ob editam pſalmodiam divinam Iacobus Hommey, initio ſupplementi patrum, ſacram eccleſiae luſciniam vocat. Is liturgicarum II. capite XVIII. copioſe docet, ſemper & vbique ab eccleſiae primordiis, vſque ad ſeculum XII. ſub ſpecie panis & vini communicaſſe fideles, cum ſolenni evchariſtiae celebrationi adeſſent, coepiſſeque paulatim eius ſeculi initio vſum calicis obſoleſcere, plerisque epiſcopis eum populo interdicentibus, ob periculum irreverentiae & effuſionis Addit, hanc rem negare non poſſe, qui vel leviſſima rerum eccleſiaſticarum notitia imbutus ſit.

Alter eſt Ioannes Mabillon, cui veritatis profeſſio aliquoties magno malo fuit. Hic, cum *recentiorem morem* vocaſſet, vt laici ad vnius tantum ſpeciei participationem admitterentur; ſubiicit tandem: *communionem ſub vtraque ſpecie viguiſſe ad initia ſeculi XII. conſtat ex iis, qui tunc florebant, autoribus. Ante annum MCXX. communio ſub vtraque ab eccleſia immutabiliter retinebatur.*[a]

III. Neſcio, an luculenter probari poſſit, ante aeram concilii Conſtantienſis vllum epiſcoporum Romanorum decretum extare, quo calicis vſu laicos o-

a *Commentario in ordinem Romanum, quem muſeo Italico praemiſit, to. II. p. 61.*

maino prohibuiſſent. Amans varietatis novitatisque humanum ingenium eſt, quamobrem evchariſtiam etiam ſub vnica ſanguinis ſpecie aliquando parvulis miniſtratam eſſe, Mabillon & Ruinart obſervarunt. [b] Mihi idcirco fit vero ſimile, calicem ab initio plebi non dolo malo, ſed ſuperſtitione immodica ſurreptum eſſe, praeſertim ab anno MCCXV. quo Innocentius III. in concilio IV. Lateranenſi canone primo decreverat, in ſacramento altaris, quod nemo, praeter ſacerdotem, conficere poſſit, transſubſtantiari panem in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti. [c] Pii hominis eſt, ſummo ſtudio vitare profanationem effuſionemque ſanguinis ſoſpitatoris noſtri. Iam vero dogma de transſubſtantiatione in mentes chriſtianorum hanc ſententiam ingerit, per conſecrationem ſacerdotis in evchariſtia, ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis, & ſubſtantiam vini in eſſentiam ſanguinis Chriſti ita deſinere, vt tamen ſpecies, ac accidentia omnia panis & vini remanerent. Cum igitur, peracta conſecratione, non panis ſubſtantia, ſed tantum eius figura externa ac ſpecies credatur adeſſe, quanquam difficile eſt explicatu, quomodo vermiculi, qui ſaepe in hoſtiis conſecratis naſcuntur, nudam ſpeciem corrodere poſſint; cumque, vini ſubſtantia abolita, merus Chriſti ſanguis in calice contineri exiſtimetur; ſatius fore putarunt non improbi epiſcopi quidam, plebem ſemper arceri a calice, quam Domini ſanguinem ſemel in terram effundi. Illi tamen, qui e manibus Papae evchariſtiam ſumſerunt, adhuc circa annum MCCCC. vtraque ſpecie fruebantur, teſte Mabillono capite XIX. commentarii in ordinem Romanum ſic ſcribente : *Conſtat, ſub finem ſeculi XIV. communionem ſaltem paſchalem in miſſa pontificia fuiſſe celebratam ſub vtraque ſpecie.*

IV. Veteres pontifices eos, qui ſe malitioſe abſtinebant calice, ſacrilegii damnarunt. Certe Leo M. ſermone IV. de quadrageſima capite V. Manichaeis ideo, quod ſanguinem redemtionis noſtrae haurire prorſus declinarent, *ſacrilegam* ſimulationem tribuit, & Gelaſius I. decreti parte III. de conſecratione, diſtinctione II. canone XII. iis, qui ſumta tantummodo corporis ſacri portione a calice ſacri cruoris abſtinent, praecipit integri ſacramenti perceptionem, additque hanc cauſam : *quia diviſio vnius eiusdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.* Eruditiſſimi cardinales, Bellarminus & Baronius, de Gelaſiani canonis ſententia plane diſſentiunt. Ille L. IV. cap. XXVI. de evchariſtia ait, probabile eſſe, Gelaſium loqui de ſolis ſacerdotibus ſacrificantibus, quos minime deceat, vnam ſpeciem ſine altera ſumere. At haec expoſitio frigida videtur Baronio. *Noſtri*, inquit, *qui repugnant haereticis, Gelaſium de ſacerdote ſacrificante dixiſſe, interpretantur. At re vera nulla*

b *Ille d. l. p.* 100. *hic aliis primorum martyrum editis anno* 1713. *p.* 200.
c *In conciliis Hardvini to. VII. col.* 18.

nulla ibi de ſacerdote ſacrificante mentio habetur: vt plane, quod generaliter eſſe dictum apparet, ad ſacerdotes minime reſtringi debere, ſatis intelligi poſſit. Reiicimus igitur frigidam eiusmodi, qua haud indigemus, ſolutionem. [d]

V. Proinde cum agnoſcat Baronius, generaliter eſſe dictum a Gelaſio, abſque calice non percipi integrum ſacramentum, nec ſine grandi ſacrilegio in evchariſtiae myſterio ſacrum cruorem a ſacri corporis portione dividi poſſe; durum profecto intolerandumque viſum eſt multis gentibus, quod concilium Tridentinum capite II. ſeſſionis XXI. conſuetudinem, ſub vna ſpecie communicandi, pro lege habendam decrevit, primoque canone eos, qui ſentiunt, Chriſti verba: *bibite ex hoc omnes: hoc facite:* praeceptum divinum continere chriſtianos omnes obligans, diſertis verbis, anathemate percuſſit. Etenim velut vna voce, promulgata hac lege, exclamatum eſt: *ſed vetuere patres, quod non potuere vetare.* Non eſt eundum inficias, pontifices, qui paulo ante habitum hocce concilium occidentalem eccleſiam rexerunt, parcos fuiſſe in vſu calicis concedendo: vnde Petra ſancta ſcribit: *Solis chriſtianiſſimis Galliae regibus, ob ingentia ipſorum merita erga ſanctam ſedem, facta eſt poteſtas a Clemente VI. communicandi ſub vtraque ſpecie, qua ipſi praerogativa vtuntur duntaxat tum in die inaugurationis, tum in vltimo vitae deficientis viatico.* [e] Probe novi, etiam clericis non conſecrantibus, ſeu, vt loquuntur, non conficientibus, ipſique Friderico III. Caeſari, licet iuxta cum Paulo II. ſacra coena Romae vteretur, calicem eſſe negatum: qua de re haec narrat Auguſtinus Patricius, epiſcopus Pientinus: [f] *Communicavit ſummus pontifex altaris ſacramentum cum imperatore, diacono, & ſubdiacono, de pane tantum: de calice autem, etſi conſuetudo ſit, communicantes cum pontifice participare; propter inſurgentem tamen Huſſitarum ac Boëmorum damnatam haereſim, quae calicis potationem ad ſalutem neceſſariam putat, praeter pontificem bibit nemo.*

At enim concilium, vt acta loquuntur, in ſpiritu ſancto congregatum, quae improbata Romae ſynodus Baſileenſis ſeſſione XXX. decreverat, ſibi proponere ad imitandum, ac anno CIↃIↃLXII. maximam haeredum partem dimidio bonorum a Chriſto relictorum in evchariſtia excludere, imo legem, quae alias honeſtati contraria ſolet prohibere, vniverſalem condere, qua laici re pretioſiſſima, a teſtatore inſtituta, in nomine ſanctae Trinitatis privarentur; id vero aſperum valde, infeſtiſſimumque religioni chriſtianae factum habebatur,

eo

d *Annalium an.* 496. *in editione Plantiniana to. IV. p.* 520.

e *Notis in epiſtolam Molinaei ad Balzacum p.* 47. *Prodiit liber Antverpiae e Plantiniana an.* 1634. *Dedit tamen Paſchalis II. Henrico V. imperatori ſibi inimiciſſimo, corpus & ſanguinem domini. Vid. Harduini concilia to. VI. P. II. col.* 1909.

f *Apud Mabillonium to. I. parte II. muſei Italici p.* 265.

eo magis, quod concilium Baſileenſe Bohemis, quicunque eam conſuetudinem haberent, vtramque ſpeciem inito pacto permiſerit, ac calice vſos pro catholicis, ac eccleſiae filiis habuerit. g Certe ſtatim ab initio oratoribus Bohemis reſponſum eſt: *vos, qui talem vſum habetis, communicabitis ſub duplici ſpecie cum auctoritate eccleſiae.* h

VI. Maxime vero Caeſar Ferdinandus primus, qui calicis ademtionem iamdudum graviter tulerat, pietatique detrimentoſam eſſe crediderat, poſt publicatam hanc legem, vt Pius IV. refert, i iudicio epiſcoporum, ſeptemvirorum eccleſiaſticorum, & catholicorum principum adiutus, ſummopere poſtulavit vſum calicis pro Germania, & ditionibus ſuis haereditariis. Idem petiit Ferdinandi gener, Albertus V. Bavariae Dux, qui iam antea communionem ſub vtraque ſpecie ſuis indulſerat, quod Hanſizius nuper tomo II. Germaniae ſacrae k in vita Michaelis, Salisburgenſis archiepiſcopi, his verbis commemorabat: *Cum Albertus in vſu calicis adhibendo popularium importunitati paulisper ceſſiſſet, revocavit cum antiſtes, populitque, vt* (anno CIↃ IↃ LVII.) *novo decreto ritum illum ex omni ditione proſcriberet.* De Ferdinandi Caeſaris indefatigabili deſiderio huius rei perficiendae haec tradit Ignatius Agricola: l *In Boiaria inferiore accenſa denuo fuit ſitis ſane improba calicis evchariſtici. Significarat Ferdinandus Caeſar, lento, quo obiit, morbo decumbens, ſummo pontifici, poſtremum ſibi ſolatium fore, ſi vulgandi cum plebe ſacri calicis facultas concederetur. Eccleſiaſticorum enim ſeptemvirum, epiſcoporum & principum catholicorum judicio eventurum eſſe, vt magna vbique foret populorum ad eccleſiam reditio. Audiit tandem poſtulata pontifex, & vero magna Viennae laetitia conceſſio excepta fuit, ſcripſitque Romam Zacharias Delphinus, Pii nuntius, intra menſes quatuor non integros, ſi Lutheranorum multitudinem in tres partes diviſeris, facile duas ad fidei catholicae communionem revertiſſe. Solatium exinde natum eſt vniverſale, ſed quale fricatio eſt prurigini.*

VII. Tandem igitur Pius, obiecta ſpe magna vtilitatis, reditusque plurimorum ad ſedis Romanae obedientiam, ex conſilio multorum cardinalium ac praeſulum, quorum ſententiam clanculum rogaverat, commoveri ſe paſſus eſt, vt anno CIↃIↃLXIV. die XVI. Aprilis epiſcopis nonnullis, tametſi, vt ipſe, apud Pallavicinum loquitur, ab huiusmodi rebus novis abhorreret, facultatem largiretur, euchariſtiam ſub vtraque ſpecie adminiſtrandi. Inter hos epiſcopos, vt parte tertia huius tabularii oſtendemus, ſin minus potentia & opibus, certe

g *Balbinus L. V. epitomes cap. V. notis p. 522.*
h *Ap. Harduinum to. VIII. col. 1096.*
i *Ap. Pallavicinum hiſt. concilii Tridentini L. XXIV. c. XII. n. 8.*
k *Pagina 621.*
l *In hiſtoria ſocietatis Ieſu Germaniae ſuperioris, decade III. n. 117.*

certe ob doctrinam ſingularem, ac rerum ſacrarum experientiam, praecipuus erat Naumburgenſis, Iulius Pflug, ad quem ſcripta eſt epiſtola Pii, ex originali, quod in bibliotheca Gothana aſſervatur, a nobis ſupra publici iuris facta.

Ferdinandus per Gurzenſem epiſcopum dicto anno CIↃIↃLXIV. die XVIII. Iunii, qui dies ſolis erat, pontificis conceſſionem calicis Viennae, in templo ſancti Stephani, finita concione e cathedra ſacra curavit publicandam, ac poſt dies pauculos, nimirum XXV. Iulii, ſeu feſto Iacobi, migravit ad Dominum, ceu ex Maximiliani II. literis ad epiſcopum Naumburgenſem miſſis apparet, quarum exemplum graves ob cauſas ex originali ſubſcripſi.

Maximilian der ander von Gottes gnaden Erwelter Rœmiſcher Kaiſer zu allen zeitten Meerer des Reichs &c.

Erwirdiger Fürſt lieber Andechtiger. Wir geben deiner Andacht mit betrüebtem gemüet, genedigelich zu erkhennen, Das der Allmechtig Got nach ſeinem gœtlichen willen, weillandt den Allerdurchleuchtigiſten Fürſten, Herren Ferdinannden Rœmiſchen Kayſer &c. vnnſern geliebten Herren vnd Vattern hochlœblicher gedechtnus, als ſein Lieb vnnd Kay: Majeſtæt &c. etliche monat heer, mit ſchwerer leibs ſchwacheit behafft geweſen, geſterigs abents aus diſem zeitlichen Leben, zu ſeinen gœtlichen gnaden erfordert: welches wir D. A. genediger mainung nit verhalten wellen. Zweiuels one D. A. werde gedachts vnnſers geliebten Herren vnnd Vatters tœdtlichen abgangs halben mit vns ain getreues mitleiden tragen.

Vnnd nachdem vns numeer gebüren will, vns der kayſerlichen dignitet vnnd wirde, auch der Adminiſtration des erledigten Kaiſerthumbs zu vnnderfahen, So ſeindt wir in namen des Almechtigen entſchloſſen ſolche Purde des heilligen Romiſchen Reichs Adminiſtration auf vns zu nemen, vnnd daſſelb Rœmiſch Kayſerthumb, zu vorderſt Got dem Almechtigen zvv Lob vnnd ehr, gemainer Criſtenhait, vnnd ſonnderlich dem heilligen Reich, teutſcher Nation, vnſerm geliebten Vatterlandt vnndt allen deſſelben glidern vnnd Stenden zu aufnemen, wolfart vnnd gedeyen, mit genedigem getrewen Vleis vnnd ſorgfeltigkhait zu adminiſtriern vnnd zu regirn. Alle des heilligen Reichs glider vnd Stennde, vnnd iedes derſelben Inſonnderhait bey iren habennden Priuilegien, Freihaiten, Rech-

ten, gerechtigkhaiten, altem lœblichen heerkhomen, friden, rhue vnnd Rechten (nit weniger dann gedachter weillend vnnſer lieber Herr vnnd Vatter, mit ſonderm rhuem gethon:) nach allem vnſerm euſſerſten Vermœgen, zu Conſeruieren, zu handthaben, zu erhalten, zu ſchüzen vnnd zu ſchirmen. Der vnzweiflichen træſtlichen zuuerſicht vnnd genzlichen hoffnung, der Almechtig werde vns zu ſolchem allen, wie wir aus ſeiner ſondern ſchickhung vnnd Verordnung darzue khomen, Alſo auch darzu ſein gœtliche gnad, vætterliche milde hilff, macht vnnd ſterckhe genedigclich mittailen vnnd verleiben. Dein Andacht auch, als vnnſer vnnd des Reichs geborſamer fridliebender Fürſt, ſich gegen vns aller ſchuldigen gebür, zuerzaigen wiſſen, vnnd alles das Jhenig was D. A. vnnſere vnnd des heilligen Reichs aufgerichte hailſame Conſtitutionen, Satzung, Abſchide, vnnd gemainer auſſgekhündter Lanndfriden, vnnd deſſelben Executions Ordnung auflegt, Ires thails, vnnd ſo uil an derſelben mit allem getrewen vleis hanndthaben, befürdern vnnd volntziehen helffen. Daran thuet D. A. zuſambt dem, das ſolches zu erhaltung fridens vnnd rhue im heilligen Reiche, vnnd D. A. auch derſelben Lannden vnnd Leutten ſelb zu meerer ſicherhait vnnd allem gueten gelanngen wirdet, Vnns ain ſonder angenembs guets gefallen. Gegen D. A. hinwiderumb mit allen gnaden zuerkhennen. Geben in Vnſer Stat Wien den Sechs vnnd zwaintzigiſten tag July. Anno im vier vnnd ſechzigiſten, vnnſerer Reiche des Rœmiſchen im andern, des Hungeriſchen im erſten, vnnd Beheimiſchen im Sechtzehennden

Maximilian.

Ad mandatum Domini Electi Imperatoris proprium.

Vt. Jo: Bapt. Weber, D.

Dem Erwirdigen Juliuſſen
Biſchouen zur Naumburg vnſerm
Fürſten vnd lieben andechtigen.
Naumburg.

Haller.

IIX. Re-

IIX. Retulit Pius IV. in cardinalium ſenatu die XIV. Iulii, cum Ferdinandus adhuc in vivis eſſet, conceſſionem calicis Viennae inmenſa laetitia exceptam eſſe, ſcripſiſſeque Zachariam Delphinum, in aula caeſaris nuntium apoſtolicum, iam duas tertias haereticorum partes ad frugem redactas. Formula Germanica a Gurzenſe recitata, eodem anno typis impreſſa eſt, in qua diſerte dicitur, non ſolum in Stephani templo, ſed etiam in omnibus aliis, evchariſtiam ſub vtraque exhibitum iri cupientibus. Poſtea tamen calicis vſus denuo ſublatus eſt tam clericis non conſecrantibus, ſeu, conficientibus in miſſa, quam laicis etiam plenis fortunarum ac maieſtatis. Qua de re ita ſcribit cardinalis Pallavicinus dicto loco: *Sed brevi compertum eſt, id eſſe inſtar breviſſimi levamenti, quod interdum ex nocentis poculi delectatione experitur aegrotus. Verumtamen hoc experimento opus erat ad evellendam ex animis Germanorum perſuaſionem, quod ſynodi ac pontificis difficultas in eo concedendo ſalutem nationis praepediret. Cetera tum ea in melius mutatio, tum etiam conceſſionis effectus amplius progreſſa non ſunt: vnde ſedente Gregorio XIII. ac poſtea Sixto V. obeuntibus nonnullis ex Epiſcopis, quibus impertita fuerat poteſtas, dubitatum fuit, an gradui illa intelligeretur tradita, adeoque perdurans in ſucceſſoribus, an perſonis, adeoque cum ipſarum vita decedens. Et hoc poſterius pro vero habitum eſt, adeoque non obtineri vſum licitum illius conceſſionis, niſi a ſacerdotibus, quibus memorati epiſcopi viventes contulerant. Hic fuit exitus illius tam diuturni ac tam celebris poſtulati, qui docuit, quantum fallat ſpes ingentium bonorum, quae mortales praeſagiunt in obtinendis Romae quibusdam inuſitatis relaxationibus.*

Quam diu in Auſtriacis provinciis duraverit evchariſtia ſub vtraque, dicere non habeo. Balbinus L. V. epitomes capite X. ait: *Optimi principes, Carolus V. & Ferdinandus I. vrgere nunquam deſierunt, impetravitque Ferdinandus I. (quod Viennae in templo S. Stephani An. 1564. die Dominica poſt S. Viti feſtum, Pragae vero 21. Iunii per archiepiſcopi Pragenſis, Antonii, decretum, publicatum eſt) vt omnibus in regno Bohemiae, caeteriſque provinciis vicinis Auſtriacorum principum, liceret catholicis ſub vtraque evchariſtiam ſumere. Meminere ſenes ex ſocietate quoque noſtra patres, in ſacello S. Annae (in templo S. Clementis) populo catholico, ſub vtraque ſpecie evchariſtiam ſolitos aliquamdiu porrigere, vt olim narrantes audivi.*

II.

Ferdinandi I. epiſtola ad Naumburgenſem epiſcopum, cui breve pontificis de concedendo laicis calice incluſit.

Ex originali.

Ferdinand von Gottes gnaden Erwelter Rœmiſcher Kaiſer zu allen zeiten merer des Reichs. Erwirdiger Fürſt lieber Andechtiger, Wir geben deiner Andacht gnediglich zuuernemen, das wir vor diſer zeit aus ſonndern Criſtlichem vætterlichem Eifer, etliche anſehenliche Chur vnd Fürſten freundtlich vnnd gnediglich dahin vermügt, das Sie in ſachen die heilig Chriſtlich Religion betreffent, Ire gelerte, Fridliebende vnnd der Religion ſachen verſtänndige Reth, an vnnſern Kayſerlichen Hof verordnet, welche die vorſteende mengl vnnd gebrechen, neben vnnſern darzue deputierten ſtatlichen Räthen zu erwegen vnnd auf alle mügliche mittl vnnd weg, wie der ſachen zu helffen, vnnd ein merer Abfall zufür khomen, auch die Chriſtlich geborſam zu erhalten, ſich zu bedenckhen, vnnd zu berathſchlagen, vnnd alſdann dieſelben Ire bedenckhen nach notturfft zu eræffnen, In beuelch gehabt.

Vnnd als Wir in ſolcher Hanndlung gedachten Chur vnnd Fürſtlichen Geſanndten ſonnderlich auch diß fürhalten laſſen, Das die Communion Sub Vtraque Specie diſer zeit vnnd zuuor etliche Jar her, alſo hefftig von vilen auch guetherzigen Catholiſchen begert, Alſo das, wo in ſolchem Articul linderung gefunden, ſonnders zweiffl dardurch nit vvenig mœcht erhalten vverden, das auch deßhalben die vergangne Jar villerley Tractation vnnd hanndlung nit allain im Reich Teutſcher Nation, ſonndern auch in den nechſtgehaltnen Conciliis fürganngen, Alſo das in ſolchenn Tractætten vill, vnnd etvvo auch der merer thail, die Jezgedachten Tractætten beigevvonet, (darunder vill anſehenlicher, frommer guetherziger, gelertter Leutb, auch etvva mit auß Teutſcher Nation geborn) darfür geachtet, das zuerhaltung des noch vberigen Catholiſchen geborſamen Hauffens ſolche Communion Sub Vtraque Specie, ſo hoch nit zu beſtreitten. Dievveill dann obangeregte Abgeſanndte Reth, die ſachen in irem beſchluß auf hinder ſich bringen an obberürte Chur

vnnd

vnnd fürſten, vnnd auf einſchikhung an die Bæbſtlich heiligkhait geſtelt, ſonderlich vveil die ſach der Communion, von den Vættern auf nechſtgehaltnem Concilio verſamblet, Irer B. Hl. frei haimb geſetzt, vnnd dann volgents darauf die drey Geiſtlichen Chur fürſten am Rhein, durch ain ſchreiben, den Achten Decembris verſchines drey vnnd ſechzigiſten Jars, diſes vnnd annders, vnns vnnd dem hochgebornnen Albrechten Pfalzgrauen bei Rhein Herzogen In obern vnnd Nidern Bairn, vnnſern lieben Sun, Vettern vnnd Fürſten, zu vnnſern vnnd ſeiner L. wolgefallen geſtelt, die ſachen bei Irer B. Hl. anbringen zu laſſen, mit Freundtlichem erclern, gegen vnns, vvas In dem gannzen werckh auf ſolch anſuechen durch die B. Hl. bevvilligt, Indulgiert vnnd zuegelaſſen, das Ire Liebden ſolches geborſamblich veruolgen vvolten. So haben vvir vnnd auch ſein des Herzogen von Baiern lieb die ſach der Communion Sub Vtraque Specie, neben anndern an Ir B. Hl. mit vvolbedachter peſter gelegenhait gelanngen laſſen, vnnd dieſelb dahin gebracht, das Ir Hl. in chrafft deren an etliche Ertzbiſchoff vnnd Biſchoff, vnnd ſonnderlich auch an dein Andacht außgangnen Breuien frei Indulgiert vnnd bevvilligt, das Ire Liebden, auch dein vnnd Ire Andachten durch ſich oder Ire nachgeſetzte, den Layen ſolche Communion Sub vtraque Specie, raichen vnnd geben mægen, das auch Iren Liebden, auch deiner vnnd Iren Andachten zu deren Guettachten baimbgeſetzt, vvie ſolche Communion zum fueglichiſten ins Werckh gericht mæg vverden, Alles nach vveittern Inhalt der jezgemelten von Iren Hlt. außgannngen Breuien, deren dein Andacht das, ſo an ſie lauttet, bieneben zu emphahenn. Es haben aueh die Bæbſtlich Hlt. vnns derhalben zuegeſchrieben vnnd die Copeien der außgannngnen Breuien Vberſchickht, auch vnns daneben ermonet, vnnſers thails die ſachen dahin helffen zu riehten, damit ſolche Communion mit maiſter frucht gemainer Criſtlichen Kirchen vnnd der Chriſtglaubigen, ins Werch gebracht vverde, darauf vvir aus Chriſtlichen gemuet vnnd vætterlicher ſorgfeltigkhait nit vnnderlaſſen, die ſachen in nottvvendige vleißige berathſchlagung zu zieben, vnnd dieſelb etlichen fromen gelerten Gottsfürchtigen Mennern, mit allen Vmbſtennden zu ervvegen, vnnd dann vnns Ire Bevvegnußen ſchrifftlich zu eræffnen mit vleiß zu beuelchen. Auf vvelches vnnß ain ſchrifftlichs Bedennckhen, vvie die Com-

munion Sub Vtraque mit vvenigiſter zerrüttlichait Peſter gelegenhait vnnd nach der Bæbſtlichen Hlt. vvillen vnnd gemuet, zum fruchtbarlichiſten anzuſtellen, Vbergeben vvorden, vvie dein Andacht hieneben auch zuuernemen. Dievveil dann vvir in vnnſerm Criſtlichem vnnd Kaiſerlichen Gevviſſen nit annders befunden, dann das ſolches alles zu diſer ſachen nach gelegenhait jeziger Leuff ganntz Ratſamb vnnd dienſtlich ſeie, vnnd vvir darumben mit denen Erzbiſchouen vnnd Biſchouen, deren Prouintz vnnd Dioceß, vnnſere Erbliche Künigreich vnnd Landt erraichen, in Hanndlung ſtehen, die Communion Sub Vtraque, Vermœg gemelts bedenckhens ins Werck zu richten;

So haben vvir nit vnnderlaſſen wollen, ſolch vnnſer bedenckhen, guetachten vnnd Vorhaben Deiner Andacht hiemit auch zu entdeckhen, zu D. A. hohen Verſtanndt vnnd gvviſſen ſtellend, ſolche Communion Sub Vtraque in Deiner Andacht Prouintz gleichffals Vnnd auf ain gleicheformige Weiß anzuſtellen, Nachdem Vnns gar nit zweifft, wo durchaus, ſouil Immer mœglich, in ſolcher Verænnderung vnnd anſtellung, ainerlay vveiß gehalten, vnnd alle vnnderſchiedlickhait vmbgangen, das es zu merer ainigkhait, vertreulichait, friden vnd Rue groſſe Verurſachung geben wurde, Do ſonnſt Diverſitas doctrinae et modi *allerlay Zwitracht, Vnainigkhait, Emulation vnnd Vnuertrewlichait geperen mœchte, welliches wir Deiner Andacht alſo ganntz gnediger mainung nit verhalten wollen, Vnnd ſein Derſelben mit allen gnaden Vorder wolgenaigt. Geben in vnnſer Stat Wienn den XX. tag Juny Ao. LXIIII. Vnnſerer Reiche des Rœmiſchen im XXXIIII: vnnd der anndern im XXXVIII.*

Ferdinand mp.

Ad mandatum ſacrae Caeſareae Maieſtatis proprium

Vt. Jo. Bap. Weber, D.

Inſcriptio.

Dem Erwürdigen Juliuſen Biſchouen zur Naumburg, Vnnſerm Fürſten Rath vnd lieben Andæchtigen.

L. Kirchſchlager.

ANNO-

ANNOTATIO.

Pontifex brevia epiſcopis non recta, ſed per Caeſarem miſit, qui Iulio Pflug illud, quod paulo ante exhibuimus, transmittendum curavit, iuxta cum articulis de prudente brevium vſu in aula elaboratis, & approbatis, velut ex hac Ferdinandi epiſtola innoteſcit. Sed articulos demum poſt Caeſaris mortem accepit Iulius, vti mox docebimus.

III.

Archiepiſcopus Pragenſis epiſcopo Naumburgenſi mittit articulos de recto vſu calicis. Ex originali.

Reverendiſſime Domine.

S. Redditae mihi ſunt literae D. V. reuerendiſſimae, ex quibus intellexi, per errorem nuper inter occupationes meas, eidem non eſſe tranſmiſſos articulos de Communione ſub Vtraque ſpecie, id vero negotii tum dedi Doctori Nicolao Cromero, meo in ſpiritualibus vicario, vt & regulam mitteret, & D. V. R. literis reſponderet, ſed per obliuionem fortaſſis alterum non eſt factum. Mitto autem eos per hunc proprium grammatophorum, quos in prouincia mea ſacerdotibus diligenter inſinuaui articulos, & nudius tertius cum iiſdem Cromerum in Morauiam miſi.

Archidux Ferdinandus heri Vienna huc reuerſus eſt. Tres hi fratres de rebus omnibus inter ſe fraterne & optime conuenerunt. Funus Imperatoris ſanctae recordationis manet adhuc in ſacello caſtri Viennenſis, transferendum huc Pragam, vbi Imperator Maximilianus cum Vngaris Poſonii, & cum Auſtriacis Viennae prius comitia celebrauerit, conducturus & ipſe cum imperatrice huc funus paternum, quod circa feſtum S. Michaelis futurum exiſtimo. Ferdinandus in priori ſtatu & conditione, hoc

hoc eſt, locum tenens, nobiſcum manebit diutius, quam credebamus. Nos hic in dies pro defuncto divina celebramus, & paulatim parentalia & pompam pro funerando Caeſare inſtruimus. Interea arbitror me domi manſurum. Si ergo D. V. R. huc venire volet, rogo ut hoc faciat citius, erit mihi eius adventus gratiſſimus. Modernus imperator Mathiam Cythardum ſibi pro eccleſiaſte aſciuit. Valeat D. V. R. Datum Pragae die 19. Auguſti Anno 1564.

Eiuſdem reuerendiſſimae D. V.

addictiſſimus

ANTONIVS, Archiepiſcopus
Pragenſis.

IV.

Articuli de prudente vſu calicis, Caeſaris iuſſu conſcripti, & inter alios etiam Naumburgenſi epiſcopo per archiepiſcopum Pragenſem miſſi. Ex archiepiſcopi protographo.

Sacra Caeſarea Maieſtas Dominus noſter clementiſſimus poſtea quam intellexit inſtantem petitionem ſuam, quam fecit primum per ſuos oratores in ſacro Tridentino Concilio, deinde vero apud ſanctiſſimum in Chriſto patrem ac Dominum, Dominum Pium, Sanctae Ro. ac vniuerſalis Eccleſiae ſummum Pontificem, iam tandem exauditam eſſe, ſacrique Calicis vſum iis, qui digne illum in communione ſanctae Catholicae matris Eccleſiae petent, poſthac minime eſſe denegandum; exiſtimauit, nunc ſummam adhibendam eſſe curam ac diligentiam, ne quod ſuprema ac legitima Eccleſiae auctoritate iam licet, illicito vllo modo ad vſum praximve redigatur, quinimo ne ipſa conceſſio in ſenſus

ſus non veros a quo quam trahatur, ac ne quod a Maieſtate ſua Caeſarea pia mente procuratum fuit, & eiuſdem Eccleſiae auctoritate ob eam precipue cauſam conceſſum, vt diu fruſtra exoptata fidelium concordia fieret; ſchiſma maius, deterioreſque pariat contentiones. Quare tametſi Maieſtas ſua Caeſarea nihil minus cogitat, quam falcem in meſſem eiuſdem Sanctiſſimi D. N. caeterorumque Epiſcoporum immittere, quando quidem probe nouit, ac lubenter & aperte profitetur, quod minime ad Principes ſeculares, ſed ad Eccleſiaſticum Ordinem pertineat, de rebus fidei ſtatuere, grauioreſque religionis, & fidei cauſas ad Apoſtolicam ſedem, ſacraque Concilia Diuina Dei diſpoſitione eſſe reſeruatas, Verumtamen, vt Majeſtas ſua Caeſarea tanquam primogenitus Eccleſiae filius ſupremuſque eius Aduocatus ac defenſor, omnem ſuam promptitudinem, aſſiſtentiam, & auxilium pro legitima executione piae huius ſacri Calicis conceſſionis ſeu permiſſionis ita exhibeat, vt fructus inde, Deo auſpice, animabus fidelium ſalutaris proueniat; Viſum eſt Maieſtati ſuae Caeſareae negocium dare piis aliquot & doctis, paciſque ſtudioſis viris, qui in Dei nomine ac S. ſpiritus gratia inuocata diligenter cogitarent, perpenderent, examinarentque omnia, quae iuxta formam emanatae iam conceſſionis ſacri calicis vſum illius [quantum humana diſcretio, cautela, diligentiaue aſſequi poteſt] fructuoſum reddant; deque tandem omnibus, ſuper quibus vnanimiter eos conuenire contingeret, Caeſaream ſuam Maieſtatem commonefacerent. Cum itaque ab iiſdem Caeſareae ſuae Maieſtatis mens ac voluntas diligenter fuerit executioni demandata, placuit ſuae Caeſareae Maieſtati, quae ab illis pie propoſita ſunt, cum R^mis Archiepiſcopis & Epiſcopis, quorum prouintiae ac Dioeceſes Maieſtatis ſuae Regna, ac inferioris Auſtriae Dominia patrimonialia attingunt, pro ſacri calicis diſpenſatione delegatis tenore praeſentium benigne conferre.

Quoniam vero in hac tota actione vnicus Maieſtatis ſuae ſcopus eſt, vt ſacri calicis rectus vſus inſtituatur, piaque Eccleſiae intentio votivum ſortiatur effectum, antequam ea exponantur,

tur, quae ſeruanda pii viri conſuluerunt, nonnulla, ſine quibus inſtitutum hoc vtiliter executioni mandari minime poſſe videtur, praemittenda eſſe duxit.

Conceſſionis huius fructum ex confeſſorum & Concionatorum diligentia inprimis pendere plane conſtat; licet autem de ſalutari peccata confitendi more, quo ab initio Catholica Eccleſia vnanimi ſanctorum antiquorum patrum conſenſu vſa eſt, & modo etiam vtitur, non ſit praeſentis inſtituti ex profeſſo diſſerere, maxime cum praeſupponendum ſit, ſacerdotes Conſcientiarum praeſides ac Iudices diuina ordinatione inſtitutos, a confitentibus Sacramentalem Confeſſionem ſemper requirere, ac poteſtate dimittendi retinendique peccata diuinitus eis tradita, nequaquam abuti: Tamen quae hoc tempore, quo calix populo laico exhibebitur, praecipue introducenda & promouenda, ipſiſque confeſſoribus diligenter obſeruanda videntur, haec ſunt.

Primum Dei populus ita docendus, exhortandus atque admonendus videtur, vt intelligat, ſentiatque Romanam Eccleſiam, ſub qua matre ac magiſtra caeteris diuiſim Eccleſiis fides catholica tradita eſt, nequaquam eſſe ideo reprehendendam, quod in ſacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatuat, vel mutet, quae ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire iudicarit, quinimo poteſtate ſua rectiſſime, ac piiſſime vſam eſſe.

Videtur inſuper populum ita docendum, exhortandum atque admonendum eſſe, vt in ſanctiſſimo Evchariſtiae ſacramento ſub qualibet ſpecie totum & integrum diuinitate, anima, corpore & ſanguine Chriſtum contineri & ſumi firmiter credat; ac, quod ad fructum Sacramenti attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem defraudari eos, qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt, ideoque aſſerentes, ſub vna panis ſpecie integrum Chriſtum non ſumi, aeque ac docentes, paruulis antequam ad annos diſcretionis peruenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiae communionem, a piis fidelibus, Eccleſiaſticam vnitatem ſeruantibus, eſſe reiiciendos,

endos, piisque pariter ac prudentibus Confeſſoribus faciendum erit pro viribus, vt quiſque ſentiat, quod ſi ad communionem accedet, niſi integram atque inuiolatam eam teneat, & credat fidem, quam Sol iuſtitiae Chriſtus Ieſus docuit, Apoſtoli & Beatus Petrus, ac eius legitimi ſucceſſores tradiderunt, & praedicta Catholica ſpiritu ſancto ſuggerente Eccleſia perpetuo retinuit, reum eum eſſe corporis & ſanguinis Domini, Iudiciumque ſibi manducare ac bibere.

Et quoniam Caeſarea ſua Maieſtas non ſine dolore intellexit, eſſe in Dominiis ac Regnis eius, & praeſertim in Auſtria, qui conquerantur [neſcitur qua incuria] ſacerdotes in aliquibus locis, vtplurimum omnes, qui ad Confeſſionem accedant, publice & illorum facta quaſi in corona audire, ac mox deinde abſoluere, ideoque non poſſe ſingulos omnia peccata mortalia, quibus ſi conſcientiae ſuae latebras diligenter prius explorarent, Deum ſuum mortaliter ſe offendiſſe animaduerterent, apud ſolum ſacerdotem ſecreto confiteri, ſalutaria ſuperinde conſilia quaerere, ac per abſolutionem poſtmodum a peccatis releuari arbitratur Maieſtas S. Caeſarea Catholicum apprimeque pium confitentium zelum fouendum eſſe:

Quare vt ſacerdotum omnium inprimis autem Dominorum Ordinariorum hac in re diligentia merito requiritur, remediumque ab eis ſedulo expetitur, ita etiam confeſſores omnes in eiuſdem ſuae Maieſtatis Dominiis degentes, ſerioſe videntur praemonendi, vt in priuatis ſecretis Confeſſionibus audiendis, prudenter ſe gerant, iuxtaque captum confitentium, quorum omnium & ſingulorum una atque eadem non eſt ratio, procedant tandemque cui vel lac, vel ſolidus cibus conueniet, lac ſolidumue cibum pie praebeant, caueantque perdiligenter, ne Theologalibus difficultatibus, aliiſue occultis myſteriis, captum confitentium excedentibus [quae omnia inutilium diſputationum, vnde haereſes etiam proh dolor ortae ſunt, multarumque deinceps diſcordiarum cauſa & fomentum extiterunt] vel confitentes deterreant, vel leuiter a ſacra communione, quae digne ſumentibus medicina ſemper eſt ſalutaris,

arceant aut expellant, ſed rite omnia tractantes, incorrupteque diſponentes, Dei gloriam atque animarum ſalutem duntaxat ſe quaerere oſtendant.

Et poſteaquam legitima Catholicae Eccleſiae auctoritate prouiſum quoque eſt, vt in recipiendis ad Eccleſiae vnitatem & gremium lapſis vere poenitentibus de rigore canonum remittatur, videtur tum Reuerendis D. Ordinariis, quam caeteris Sacerdotibus prudenter maximaque cum circumſpectione agendum eſſe, vt non modo ea praeſtentur, atque exigantur (vbi tamen de lapſis notoriis ac ſcandoloſis agetur) quae in ipſa conceſſione pro diſciplina Eccleſiaſtica conſervanda, pie ſunt expreſſa, verum etiam cum promiſcua plebe, quae ignorantiae vitio vel errorum tenebris obducta, vel in erroribus nata, atque hactenus educata fuit, tanta cum charitate procedatur, vt ea ipſa erroris ſui a Confeſſore ſuo diligenter admonita ac deſuper munere ſacramentalis abſolutionis accepto, in foro conſcientiae plane tuta & in unitate Eccleſiae conſtituta, ad communionem admittatur.

Efficiantque pii ſacerdotes, vt quae pro rerum, locorum, perſonarum ac temporum conditione ad Dei honorem, pœnitentiumque utilitatem expedire cognouerint, ea ipſos prudenter impleuiſſe conſtare poſſit. Denique in confeſſionibus, & in concionibus ita ſe gerant, vt obſervantiam conditionum, quae ſanctiſſimi D. conceſſioni pio conſcientiarum ſubleuandarum ſtudio inſerta ſunt, chriſtianis exhortationibus, & ſana doctrina efficaciter ac ſuauiter introducant. Super eſt de illis loqui, quae ſuae Maieſtati a ſaepe nominatis piis viris pro ſacri calicis adminiſtratione pientiſſime propoſita fuerunt.

Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti non aliter, quam ex calice propter formam in Eccleſia perpetuo vſitatam, adminiſtrandus eſſe videtur, caliceſque plures & capaciores, quemadmodum maior, aut minor communicantium frequentia requiret, poſſent praeparari. Et quoniam totus Oriens atque aliae nationes ſub Rege Poloniae & magno Duce Moſcouiae degentes, licet vtramque ſpeciem laicis dare conſueuerint, hoc tamen ſeruarunt,

& ho-

& hodie obſeruant, vt infirmis vnica tantum ſpecies porrigatur; examinare debent pii quique cum reuerentia periculum, ne propter motum atque aëris mutationem, Vini ſpecies, dum longius extra Eccleſiam portatur, vel ob eam cauſam diutius cuſtoditur, aceſcat, aut alteretur.

Sufficiat igitur piis fidelibus, quotieſcunque ad Eccleſiam venient, Euchariſtiae Sacramentum ſub vtraque ſpecie illis porrectum, ſi tamen ante confeſſi fuerint, ac ſecundum Diui Pauli Doctrinae Catholicum ſuper his verbis intellectum, ſe ipſos probauerint, ſumere. Quod ſi forte contingeret, infirmum aliquem ſanguinis Domini mero Deuotionis feruore ita ferri, vt ſacerdos (cuius diſcretio hac in parte requiritur) conſolationem hanc ei minime cenſeat eſſe denegandam, pro inconuenienti nequaquam haberi poſſe videtur, ſi ſacerdos in ipſa infirmi domo Miſſam celebraret, atque infirmum ſub Miſſa communicaret, ſed in caſu neceſſitatis, ac ſi id pro conſolatione anxiarum mentium omnino expediens eſſe videretur, & maxime vbi tempus vel locus, aut etiam extremum aegrotantium periculum Miſſam celebrari non patietur, poſſet aliquando in Ciuitatibus, terris ac caſtris debita cum reuerentia ſummaque cum diligentia ſacramentum Euchariſtiae ſub vtraque ſpecie ad infirmi aedes, quae ab Eccleſia nimium non diſtabunt, perferri, atque vt id (quod tamen vt ſupra dictum eſt, non niſi in caſu verae neceſſitatis eſſet faciendum) rite ac ſine ſcandalo fiat, procuranda erunt in omnibus Eccleſiis id generis vaſa tanta arte parata, vt clauſo eorum orificio, etiamſi huc atque illuc iactentur, ne gutta quidem liquoris, (niſi forſan frangantur) exire inde poſſit, ac vbi ad infirmum peruentum erit, ſanguis eidem non aliter, quam ex calice adminiſtretur.

Quod ſi propter ruſticos, (ad quos ob locorum diſtantiam, caeteraque impedimenta, ſacerdotes ſanguinem adferre non debent) nova quaedam difficultas oriretur, vel alia inciderent, quae novitate remedii indigerent, poterunt ea omnia ad Apoſtolicam ſedem humiliter referri, hac enim ratione provinciarum

neceſſitatibus pro Dei gloria & Eccleſiae tranquillitate rite conſuli, ac prouideri poſſe videtur.

Quo autem praecaueatur, ſanguinem Domini communicantibus neque deficere, neque ſupra, quam par ſit, abundare, diligentiam adhibebunt pii ſacerdotes, non modo conſecrando ſub miſſa eam alterius ſpeciei quantitatem, quae communicantium numero, quem ipſi pro ſua diſcretione majore ex parte cognoſcere ſtudebunt, conveniat. Quod ſi quid abſoluta communione ſupererit, id a ſacerdotibus cum tremore, ac debita reuerentia ſiue eodem ſeu etiam altero ſubſequenti die ſumatur. Caſu autem quo aliquid defecerit, diligenter elaborandum erit, vt ex ſacerdotibus, quibus miſſarum celebrandarum officium incubuerit, ita paulatim alter alteri ſuccedat, vt quicquid in vno Altari defuerit, ex altero ſuppleatur, vel ſaltem, vt vbi numerus ſacerdotum non fuerit ſufficiens, differatur reliquorum, qui acceſſuri erant, communio in craſtinum. Tempus vero magis conueniens Euchariſtiam Populo diſpenſandi procul dubio erit, quod & a primaeuis Eccleſiae temporibus planum eſt hactenus fuiſſe obſeruatum, vt ſcilicet ſub Miſſa Populo communio detur, quamvis in maiori hebdomada, atque in Die natiuitatis Domini, Reſurrectionis & Pentecoſtes, propter frequentiam communicantium recte liceat, vt etiam extra miſſam Sacerdotes ante Altare Domini, ſeruatis omnibus, quae Catholica Eccleſia ſemper obſeruauit, ac ſeruat, ſacram Populo vtramque ſpeciem ſub Miſſa tamen antea conſecratam, omnibus rite illam appetentibus, exhibeant.

Ac ne ſchiſma inter fratres ullum oriatur, quinimo, vt ex hac ſacri Concilii & Apoſtolicae ſedis gratia & conceſſione illud obtineatur, quod pii viri iam multum diuque in votis habuerunt, nempe, vt vinculum charitatis ſarciatur ac conſeruetur, atque vt omnes in ſancta vnius Catholicae, ac Apoſtolicae Eccleſiae vnitate, non modo vno & eodem ore Deum glorificent, ſed vnum atque idem eſſe exterioribus quoque ſignis dignoſcantur, pie arbitrati ſunt, ſyncereque conſuluerunt, Miniſtrorum, templorum

&

& Altarium differentiam prorſus tollendam eſſe, pariter etiam prius & poſterius in re tanti momenti omnino eſſe euitandum.

Quare omnes tam ſub vna, quam ſub vtraque ſpecie communicaturi indiſcriminatim ad communionem accedere debere, hoc tamen ordine omnino obſeruato, vt ſacerdote Catholico, qui corpus Domini ſub ſpecie panis praebet, in medio Altaris exiſtente, Leuita vel alius ſacerdos Catholicus miniſtrans, e dextro Altaris cornu calicem ſacrum, e Siniſtro vero, & infra Altaris gradus aedituus, vel aliquis alius honeſtus laicus, meram ablutionem vini non conſecrati, quemadmodum hactenus in vſu fuit, porrigat, Ita vt ii, qui vnica ſpecie contenti eſſe volent, ad illum puta aedituum ſolum, qui vero ſub vtraque communicare maluerint, etiam ad ſacrum calicem ſeſe conferre queant. Ne vero Chriſti oues eſuriant, neue paruuli panem petant, & non ſit, qui frangat eis, praemittendam conſuluerunt piam aliquam Populo exhortationem, praeſertim in publica & frequenti communione in lingua Vernacula, verbis tamen eiuſmodi conceptam, vt populus ex ea ſummatim de eſſentialibus ad doctrinam fidei ſanctiſſimi Euchariſtiae Sacramenti, atque eius fructum inſtruatur, doceaturque, tam illos, qui ſub altera, quam qui ſub vtraque communicant, vtroſque carnem & ſanguinem Domini integre ac rite ſumere, atque vt iuxta Pauli ſententiam, manducans non manducantem contemnere non debet, ita bibenti, ne contemnat non bibentem, cauendum erit: Et quemadmodum per varietatem huius ritus fides aut religio minime variatur, ita debere omnes ſolicitos eſſe ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.

Simili modo quandoquidem rudes homines mentem a terrenis haud facile auocant, ad animos in gratiarum Deo actionem & laudem excitandos, poſſet poſt communionem hymnus aliquis, vel Pſalmus cum reſponſorio inſtituto conuenientes & ab Epiſcopo diligenti examinatione praemiſſa, approbati, vulgari lingua decantari.

Super his omnibus expreſſa Dominorum Ordinariorum diligentia requiritur in viſitatione bis aut ſemel ſaltem in anno per vniuer-

vniuerſam Dioeceſim per Catholicos prudentes, Doctos, & Dei gloriam quaerentes, non auaros, non in fide dubios, imperitosque homines, inſtituenda executionique demandanda ; Certe alioquin in Die tremendi Iudicii de manibus eorum, animae ſibi ſubditorum requirentur, ſentientque ſe hominibus & Deo potiſſimum diſplicuiſſe.

Hæc ſunt pia illa ſalutariaque conſilia, quae vt Caeſareae ſuae Maieſtati ſyncere exhibita ac propoſita ſunt, ita ſaepe nominatis reuerendiſſimis D. Praelatis, conceſſioni tamen Apoſtolicae ſedis, ſacrique Concilii innitendo, benigne ſignificanda eſſe duxit, non vt eorundem munus, quemadmodum etiam ſuperius tactum eſt, ſibi uſurpare, aut quicquam contra boni Imperatoris ac priuilegiorum Eccleſiaſticorum defenſoris officium attentare vnquam cogitauerit, ſed vt protectionis atque aſſiſtentiae ſuae Caeſareae ſtudia cum Apoſtolicae ſedis ſacrique Concilii ſtudiis pie coniuncta eſſe, ſaepenominati Romani Epiſcopi omnino ſentiant, ac quid eis liceat pariter & quid expediat perpendant, certumque habeant, Maieſtatem ſuam Caeſaream in executione promiſſorum ita effecturam, vt favor & auxilium Maieſtatis ſuae eis nunquam deſit.

Haec omnia Maieſtas ſua Caeſarea tam Reuerendo Domino Zachariae Delphino Epiſcopo Pharenſi Sanctitatis ſuae Nuncio, quam caeteris R^mis praenominatis Archiepiſcopis & Epiſcopis benigne ſignificare voluit. Cupit autem Maieſtas ſua Caeſarea hoc pium & ſaluberrimum negocium ſine omni dilatione per reuerendiſſimos Dominos Archiepiſcopos executioni demantari. Vbi ſane Maieſtatis ſuae Caeſareae iudicio curandum erit, vt etiam ſuffraganei Epiſcopi ab Archiepiſcopis ſubdelegandi nihil difficultatis faciant, neque moras nectant, ſed cum ipſi talia per ſe ſoli paſſim per vniuerſam Dioeceſim ſuam praeſtare non poſſint, mox huiuſmodi facultatem Praelatis, Decanis ruralibus, Parrochis, Prioribus, Guardianis, ſeu aliis monaſteriorum Praepoſitis, tribuant, eoſque de iis omnibus, quae ſupra ſcripta ſunt, copioſe edoceri curent, vt Deo propitio hoc inſtitutum ad Dei gloriam & ſalutem, quietem

quietem & vnitatem Eccleſiae ac Germaniae, Regnorumque & Dominiorum Maieſtatis ſuae Caeſareae iam tandem perficiatur. Quemadmodum Maieſtas ſua Caeſarea futurum ſibi plane perſuaſum habet, atque id Caeſarea ſua beneuolentia pariter ac benignitate lubenter recognoſcet. Decretum per Maieſtatem ſuam Caeſaream Die decima quarta Junii Anno Domini 1564.

Poſt ſcripta.

Sequimur antiquum ritum hic in Boëmia in eo, vt ſacrificans alio calice vtatur, cum adſunt communicantes, ii quoque alio, ex quo eis ſacratiſſimus cruor porrigitur, ſicut ſacrificus vbi plures hoſtias conſecrat, eam tantum conſumit, quam eleuat, ſic eadem quoque calicis ratio habetur, vt hoc, quod offertur, abſumat, de alio populum communicet.

Inſcriptio.

Reuerendiſſimo in Chriſto Patri,
Domino Julio Epiſcopo Numburgenſi,
Domino & fratri obſeruandiſſimo.

ANNOTATIO.

Poſtremis vitae ſuae annis Caeſar Antonii, archiepiſcopi Pragenſis, conſilia in cauſa religionis potiſſimum ſequebatur. Quamobrem ei etiam mittendorum ad Pflugum articulorum dederat negotium. Sed cum inter labores multos oblivio hujus mandati ſive Antonio, ſive Cromero obrepſiſſet; toto fere menſe, poſtquam Caeſar e vita diſceſſerat, miſit hanc epiſtolam cum articulis archiepiſcopus. De Antonii rebus geſtis ſatis multa narrant Pontanus Bohemiae piae libro III. circa finem, & Balbinus miſcellaneis hiſtoricis regni Bohemiae decadis I. L. VI. parte II. capite VIII. vbi ait: *Poſt concilium Tridentinum Antonius effecit, vt in regnis Ferdinandi I. ad tempus communio ſub vtraque permitteretur, quod per omnes ejus terras publicatum eſt.*

V.

Excerptum ex epiſtola anno cIↃ IↃ LXIV. feſto Ioannis Baptiſtae ad Io. de Monte ſcripta Pragae, e curia archiepiſcopali, a Bernardo Thanner, archiepiſcopi Antonii in concionibus ſubſtituto. Ex autographo.

Imperator noſter clementiſſimus adhuc trahit vitam dono Dei mortuo ac viuo ſimilior. Sereniſſ. Archidux cum domino Archiepiſcopo clero & populo ſingulis feriis ſextis hic circa metropolitanam eccleſiam habere ſolet proceſſionem cum Litaniis pro ſalute & vita Maieſtatis ſuae. Deus conſeruet Maieſtatem ſuam eccleſiae, imperio ac nobis omnibus aliquot adhuc annos. Amen. Proximo die 18. menſis huius Epiſcopus Gurcenſis, ſatis alias de Lutheraniſmo ſuſpectus, Viennae pro concione publicauit indultum apoſtolicum de permiſſione calicis & ſatis quidem ambigue, ita enim aſſuefactus eſt.

Inſcriptio.

Reuerendo ac eximio viro, domino
Ioanni de monte, Canonico Cizaeno &
Erphordienſi, amico ſuo obſeruando.

C. Zeitz.

ANNOTATIO.

Gurcenſis in Carinthia epiſcopus, qui anno M D LXIX. ſynodo Salisburgenſi interfuit ac ſubſcripſit, [a] Vrbanus ille eſt, quem ob natales incognitos Auſtriacum vocant. Puer enim quinquennis non procul Vienna repertus eſt, a Turcis praedam facientibus relictus. [b] Anno M D LXII. quo conceſſionem calicis publicavit, erat etiam epiſcopatus Vindobonenſis adminiſtrator. [c]

VI. *Ci-*

a *Apud Hanſizium Germaniae ſacrae tomo II. p. 629.*
b *Obſervarunt hoc Mezgeri fratres hiſtoriae Salisburgenſis L. VI. p. 1145.*
c *Legatur l'hiſtoire eccleſiaſtique d'Allemagne to. II. pag. 80. 93. Liber prodiit Bruxellis, anno 1724.*

VI.

Cithardi epiſtola ad Naumburgenſem de piis deſideriis Caeſaris, & de Concilio Tridentino.

Ex avtographo.

Obſervantiam meam perpetuam cum omni Reverentia & ſubjectione. Quod parcius ad Celſitudinem tuam nunc ſcribam, Reuerendiſſime Illuſtriſſimeque princeps, non tam frequentia offitiorum meorum, quam Decani tui candor eximius facit, quem multis nominibus mihi charum offitio literarum apud eandem Celſitudinem Tuam & fideliter & copioſe functurum, pro ſuo erga me ſtudio, meaque in illum fide, certiſſime mihi perſuadeo. Caeſarea Maieſtas, cum nuper ex Cardinali Lotharingo aliiſque quibuſdam magni nominis viris ſacri Concilii Tridentini negotia non eo ordine aut modo procedere intelligeret, qui nobis aliiſque piis & Catholicis Regibus ac principibus ſpem certam optati exitus praeberet; pro eo, quo ardet zelo ac ſtudio feruentiſſimo, promouendi ea, quae ad Dei gloriam propagandam ac priſtinam Eccleſiae Catholicae vnitatem ac tranquillitatem pertinere videntur, ad ſanctiſſimum dominum Noſtrum priuatim, ad Concilii vero legatos & patres coniunctim prolixas literas dedit, quibus pro munere aduocati ſupremi Eccleſiae Dei, cum omni reuerentia & modeſtia, ea proponit, quibus violentiae horum temporum ac incommodis multis partim praeſentibus, partim imminentibus obuiam iri poſſe, prudenter exiſtimat. Vrget autem ſua Majeſtas inter reliquos, ſequentes articulos:

1. Vt tam abruptio & intempeſtiua Concilii diſſolutio, quam eiuſdem colore quocunque quaeſita ſuſpenſio, modis omnibus caueatur, quod alioqui nulla eius ſemel aut diſſoluti, aut ſuſpenſi, redintegrandi, reuocandique hoc exulcerato tempore ſpes ſit futura reliqua.

2. Vt Concilio ſua antiqua relinquatur libertas, adeo vt non ſolum legatis pontificiis, verum & Caeſareis, aliorumque Regum ac Principum Catholicorum oratoribus, integrum ſit, ea quae neceſſaria ſunt, pro ſuarum prouinciarum ſalute ac conſeruatione, in Concilio proponere. Eius poſtulati cauſam prebuit Decretum nuper aeditum in Concilio, vt nemo praeter ſolos Legatos proponeret. Vafre quidem, vt propoſitum Reformationis, quam Caeſar aliique vrgent, euertant & excutiant, vti quidam iudicant.

3. Vt patribus ac Theologis in Concilio libera permittatur non modo dicendi, ſed & decernendi facultas, ne ſcilicet in rebus Concilii (vt vocant) Oecumenici, quo vniuerſalis Eccleſia repraeſentatur, neceſſe ſit ſemper, vti ſit, Romam quaſi ad ſecundarium Concilium recurrere, & ex eodem primam regulam & directionem petere.

4. Vt acriter Reformationis negotium tam in capite quam in membris inſtituatur. De Conclaui ſcilicet Romano, Electione pontificis, Cardinalium, Epiſcoporum ac praelatorum Maiorum incipiendo, Item de Beneficiis ac Reſidentia. Quarum rerum neglectus tempeſtates has & procellas horrendas in Eccleſiam Dei inuexit.

5. Admonet pontificem & obſecrat per omnia ſacra, perque eius benignitatem, qui noſtras miſeratus calamitates, cum in forma Dei eſſet, ad formam ſerui, mortemque crucis pro reducenda oue perdita ſe demiſit, vt ad Concilium venire non detrectet, promittitque itidem, ſuam Maieſtatem Tridentum venturam, & cauſam laborantis Eccleſiae Chriſti publicam viribus, opibus, ac ſanguine ſuo promoturam.

6. Coarctatio petitur licentiae diſpenſationum, aut potius diſpenſationi licentiarum.

7. Vt calicis vſus, ex conſenſu & authoritate Eccleſiaſtica, pro conſeruandis exiguis Catholicae noſtrae religionis reliquiis concedatur, fiatque prouiſio & diſpoſitio, pro temporum horum iniquitate, ſuper coniugio ſacerdotum.

8. Vt

8. Vt pro adminiſtratione ſacrorum aliiſque rebus Eccleſiaſticis nihil penitus exigatur.
9. Vt officiis omnibus recte proſpiciatur, habeaturque in promotione ad dignitates aetatis, qualitatis, virtutum, ac meritorum praecipua ratio.
10. Vt abſcindatur prorſus Simonia, exemptioneſque ſecularium & regularium, quatenus expedit, tollantur.
11. Vt ſcholae piae cum applicatione partis redituum Monaſteriorum & Eccleſiarum ditiorum erigantur.
12. Ne ſententia excommunicationis pro leuibus cauſis feratur, ſed ad verum vſum applicetur.
13. Vt confitiatur ſumma doctrinae Chriſtianae, cum poſtilla, Cathechiſmo, explicatione Ceremoniarum, ſimulque indicentur, qui libri amplectendi, qui fugiendi ſint.
14. De tollendis commendis, regreſſibus ac omnibus iſtis ſcandaloſis practicis.
15. Vt ſtatis temporibus Synodi & concilia prouincialia celebrentur.

Poſtremo vt Canones de vita & honeſtate Clericorum renoventur, & executioni mandentur.

Magna Caeſaris pietas & ſingularis prudentia videt non alia meliori fortiorique ratione bonos in officio contineri, malos vero reduci poſſe, quam ſi, ſordibus iſtis craſſiſſimis e domo Dei expurgatis, ſinguli offitio ſuo fungentes, primum Deum, poſtea populi auerſos animos nobis conciliemus. Expectamus reſponſum ſanctiſſimorum, quod deus foelix largiatur. Mantuanum Cardinalem ac Guiſium ducem rebus publicis ante tempus exemptos grauiſſime lugemus omnes. Deus ruinas Eccleſiae ſuae ex alto proſpiciat, haſque tempeſtates, componat. Eccleſiae paſtor ſummus Chriſtus Jeſus Celſitudinem Tuam rebus publicis quam diutiſſime ſeruet incolumem, cui me quam humillime commendo, futurus eiuſdem & amantiſſimus & obſeruantiſſimus ſemper. Vtinam ad horulam vnam colloquio Tuo doctiſſimo frui liceret. Datum quam citiſ-

ſime & tumultuarie Oeniponti, Dominica Oculi, poſt concionem ſacram An. 1563.

Celſitudinis Tuae

obſeruantiſſimus

Matthias Cithardus,
Concionator Caeſareus.

Reuerendiſſimo in Chriſto Patri ac domino, D. Julio Pflugio, Epiſcopo Naumburgenſi, Domino ac Patrono meo benigniſſimo.

ANNOTATIO.

Hanc Cithardi epiſtolam idcirco monumentis hiſtoriam reſtituti calicis evchariſtici illuſtrantibus inſerendam putavi, quoniam a viro integerrimo, quem Caeſar cum tota aula ſingulariter dilexit, ſcripta eſt. Fuit is Ferdinando I. a ſacris confeſſionibus & concionibus, eiusque arcanam de rebus eccleſiaſticis, inprimis de calice, ſententiam optime habuit cognitam. De vita Cithardi paucula commemorat Pantaleon in proſopographiae illuſtrium Germanorum parte III. in anno CIↃ IↃ LXII. vocatque theologiae doctorem Antverpiae natum. Chriſtianus, Neoſtadienſis in Auſtria epiſcopus, anno CIↃ IↃ LXXI. eius conciones XXVII. poſthumas, quibus primam Ioannis epiſtolam interpretatur, edidit Coloniae, Maximiliano II. dedicatas, Cithardumque multis laudibus cumulavit. His annectuntur duae conciones Cithardi in funere Ferdinandi I. Viennae habitae, in quarum priore narrat auctor, caeſarem in invaletudine ſua praecepiſſe, ne in vltimo agone, ac decretoria mortis horula, maieſtatis, aut titulorum vllam mentionem faceret Cithardus, ex verbo Dei morienti ſolatium allaturus; ſed ſe tantum nomine in baptiſmate accepto ſic compellaret: *Ferdinande*, mi frater, pugnato, vt pius Chriſti miles, eſtoque Domino tuo fidelis vſque ad mortem. Addit Cithardus: *Quod ego etiam obſequenter perfeci.* Niſi omnia me fallunt, hic eſt ille Cythardus, quem Stanislaus Reſcius in vita Hoſii L. I. cap. XXV. virum catholicum, ordinis S. Dominici patrem religioſum, eloquentiſſimumque vocat, cui Hoſius Viennae, cum illuc a Pio IV. congregandi concilii Tridentini cauſa ablegatus eſſet, conciones quasdam ſuas, ad

ad praeſentem aulae civitatisque Vindobonenſis ſtatum accommodatas, tradiderit. Erat Cithardus poſt Ferdinandi obitum & Maximiliani II. confeſſionarius. *

* *Vide ſupra p. 16.*

VII.

Epiſtola Caniſii ad Hoſium, qua conceſſioni calicis euchariſtici mira quadam praeiudicatae opinionis ſignificatione intercedit.

Ex avtographo.

Pax Chriſti, Illuſtriſſime Domine Patrone.

Ingentes ago gratias amplitudini tuae, quae ſubindicauit, gratum ſibi fore aduentum meum. Id quod ego ſic interpretor, vt certum ſit argumentum ſummae tum beneuolentiae, tum humanitatis, qua me prorſus immerentem his annis proſequitur dignitas tua, cui alioquin anno ſuperiore ſatis iſthic moleſtus hoſpes fui. Nunc Dei gloria & Eccleſiae commodum ita poſtulare videntur, vt ab hac aula non digrediar, quantumuis priuatae commoditates alio vocent inuitentque. Vbi autem nullus hic vſus erit Caniſii, vltro quidem amplectar & venabor occaſionem omnem cum amiciſſimos Patres inuiſendi, tum Illuſtriſſimo Patrono me totum ſubjiciendi. Multa hic feliciter eſſe confecta gaudeo, Deoque gratias ago, qui Illuſtriſſimi Cardinalis D. Moroni praeſentiam ſacrae ſynodo inprimis vtilem reddidit apud Caeſ. Mai. Sublata ſunt non vulgaria impedimenta, vt ille coram exponet procul dubio, quae futuris ſynodi actionibus vehementer aduerſarentur. De reliquis ad noſtros plura. Nuntiabit etiam aliquid D. Staphylus, qui negotio calicis nimium implicatus mihi videtur: vtinam in potioribus operam Eccleſiae mandae nauaret. Sed libenter inter ſe diſſentiunt etiam medici:

ci: quod vnus pro pharmaco praebet aegroto, alius aut toxic aut noxium interpretatur. Sentiant vtut velint principes: e re malim cum Episcopis in re huiusmodi sacra, quam cum P cipibus istis sapere. Librum autem aduersus Synodum nu editum ostendet dictus Illustrissimus D. Cardinalis, vti prom plura in eo maledicta cumulantur, quam in priore illo Ratis nae prius excuso, qui hic etiam iterum assuitur. Adieci n quaedam, si tamen D. Staphylus ea non misit antea.

Centuriatores modo distracti sunt, vt communes op conferre non possint ad centurias reliquas absoluendas. Do nus Jesus amplitudinem tuam diu nobis incolumem tuea Oeniponti 17. Maii 1563. D. Seldius intra mensem se abdic munere, quod hactenus magna cum laude sustinet in hac a Neque constat de successore. Dominus largiatur virum Cat licum Caesari pro Vicecancellario, qui pro dignitate graui l prouinciae faciat satis.

Seruus in Christo

P. Canisius.

Illustrissimo Domino et Reverendissimo Patri D. Stanislao Hosio, Cardinali et Episcopo Warmiensi, S. Synodi praesidi, Patrono amplissimo

Tridenti.

ANNOTATIONES.

I. Petrus Canisius, cuius vitam post Matthaeum Raderum Franciscus chinus scripsit Ingolstadii CIↃIↃCXVI. publicatam, anno Christi CIↃIↃ ortus est Noviomagi, Friburgi autem anno CIↃIↃXCVII. aetatis LXXVI vendi inter mortales finem fecit. Tanto Canisii amore flagravit societat su conditor, vt cum Petrus Faber, primus Ignatii Loiolae sodalis, [a] eum e manis omnibus primum societati adiunxisset, dignum habuerit, quem socii pri

[a] *Lege Orlandini historiam societatis Iesu L. I. n. 76.*

primum praepoſitum provincialem in Germania conſtitueret, vti Ribadeneira l. IV. cap. XV. vitae Ignatii, & Sacchinus ſub finem libri I. commentariorum de Caniſii vita [b] memoriae prodiderunt. Factum id anno CIↃIↃLVI. quo diem ſuum obiit Ignatius. Ab eo potiſſimum tempore & eruditione ſingulari, & in pontifices Romanos ſtudio obſequiove, & labore incredibili, in cathedra cum academica, tum eccleſiaſtica, ac itineribus plurimis, ſcribendis etiam catecheſi & aliis operibus tolerato, ſummoque haereticorum odio, in tantam apud ſuos claritudinem pervenit Caniſius, vt Romae omnibus aetatis illius theologis anteponeretur. Hinc non Hoſius ſolum opera ſua ei recognoſcenda miſit; [c] ſed et cardinalis Auguſtanus, Otto Truchſeſius, cum Caniſius ſe ex itinere Dilingam contuliſſet, ſuis manibus huic Petro pedes lavit. [d] Inprimis autem Caniſii laudes amplificatae ſunt diligentiſſima opera, quam concilio Tridentino cum anno CIↃIↃXLVIII. Bononiae, tum anno CIↃIↃLXII. Tridenti praeſens, [e] abſensque poſtea conſiliis plurimis dedit, calicisque vſum, a ſe e Bavaria propulſatum, [f] enixiſſime diſſuaſit. Intelligitur eius de hac re ſententia ex literis, quas iam edimus, vt hoc exemplo diſcant partium ſemel electarum amore capti, quantopere etiam ſumma ingenia delirare poſſint, cum purpuriſſum pro pulchritudine habere incipiunt, vnique veritati ſtudere definunt.

II. De Friderico Staphylo, cuius a Caniſio hac epiſtola mentio facta eſt, retulit nuper Ignatius Agricola, [g] eum cum integra quinque liberorum et vxoris familia e Lutherano catholicum factum Ingolſtadianae academiae, tanquam illuſtriſſimum ſidus, anno CIↃIↃLXI. affulſiſſe, cum per integra duo luſtra cum Luthero et Melanchthone familiariter egiſſet. Verum eſt, ac narrat ipſe Staphylus in ſuis libellis Germanicis adverſus Iacobum Andreae, eccleſiamque evangelicam editis, ſe Wittebergae toto decennio Lutherum et alios audiviſſe, qui ſane dicere poterant, quod Cicero L. VII. epiſtola V. ad Atticum ſcripſit: *Sero reſiſtimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos.*

Commendaverant Wittebergenſes Staphylum Alberto ſeniori, Boruſſiae Brandenburgicae Duci, a quo in Regiomontanam academiam theologiae profeſſor vocatus eſt. Sed cum poſtea Andreas Oſiander, tanquam primarius theologiae lector, in eandem academiam migraſſet; obtrectarunt inter ſe, ac acerbiſſimae

b *Pagina* 109. *Confer Orlandinum l. c. L. XVI. n.* 2.
c *Sacchinus commentariorum de rebus geſtis Caniſii L. I. p.* 98.
d *Sacchinus L. II. p.* 142.
e *Agricola in hiſtoria provinciae ſocietatis Ieſu Germaniae ſuperioris decade I. n.* 153. *decade III. n.* 75. *Sacchinus. L. I. p.* 39. *L. II. p.* 192.
f *Agricola decade II. n.* 80. *ſqq.*
g *Dicto loco dec. III. n.* 23. *ſqq.*

biſſimae lites conſecutae ſunt, quae vni mortem, alteri exilium attulerunt. Refert Ioannes Funckius, qui litium illarum pars magna fuit, relatione anno CIↃIↃLIII. de controverſia Oſiandri Germanice edita, dixiſſe tum Staphylum: *aut ego peribo, aut haec ſchola pereat!*

IIX.

Alia Caniſii epiſtola, qua mentem ſuam de conceſſo calice, aliisque magni momenti rebus explanat.

Pax Chriſti. Illuſtriſſime Domine Patrone.

Cum mihi nuntiatum eſt, D. Cromerum diſceſſiſſe Vienna, conſtituere apud me non potui, qua ratione literas iſthuc commode deſtinarem. Sed quia Romani patres vt ſcribam admonent, tentabo ſane non expectato diutius cliente aut familiari, quem ab amplitudine tua huc mittendum eſſe arbitrabar. Fui aliquantiſper Oeniponti, apud noſtros etiam vixi Monachii & Ingolſtadii, ſicut antea Dilingae ob nouum conſtitutum illic e noſtris collegium haeſi, vt proinde ad tempus reliquerim Auguſtanam cathedram, ad quam his ego diebus me recepi. Etſi enim quae ſacrum concilium Tridentinum nuper decreuit, ea ne promulgentur quidem vſquam in Germania, ſed neque in Italia, vt audio: tamen ſtudemus obſeruare, quemadmodum patres optime ſtatuerunt, vt conuentus & ſocietates hominum religioſorum, qui apud nos ſunt, ſubinde viſitentur, & a ſuis ſuperioribus coram officii ſui admoneantur. Auſpicabor autem a principe Bauariae, qui, ſi vllus alius, in Germania tuetur catholiciſmum, & Lutheranis ob id inuiſus eſt maxime, quod nouatores in ſua ditione comprimit, ſectarios excedere jubet, & primarios ex nobilitate viros in vinculis tenet. Hi non ita pridem religionis ergo aduerſus principem ipſum conſpiratione facta, neſcio quas turbas concitare moliebantur. Sed patefacta eſt haec

haec proditio, quam animo conceperant hoſtes primum Eccleſiae, deinde principis ſui: qui examinata cauſa, crimen confeſſi ſunt publice, & quam ſupplices petebant veniam, non impetrarunt, coniecti ſtatim in eum carcerem, qui proprius eſt hominum ſceleratorum. Incertum, an vitae periculum euaſuri ſint perfidi homines: certe propoſita in nobilibus paucis ſeueritas permultis metum iniicit, & Bauaros in religionis officio diligentiores facit.

Comes ab Ortenburg Bauariae fines attingit ditione ſua, qui mutata religione concionatorem Lutheranum ruſticis dederat: ad hunc audiendum turmatim vicinis e pagis plerique confluebant, nimirum doctrinae nouae, quae carnalis eſt, lenociniis blandiſque promiſſis delectati. Princeps comprehendi iuſſit concionatores huiuſmodi duos, accepta ab illis etiam iuramenti fide, vt Bauariam hoc loco perturbare ceſſarent. Arcem deinde comitis occupauit. Cui optimo principi noſtras operas denegare non potuimus, cum poſtularet quatuor e noſtris in Bauariam inferiorem Theologos & concionatores mitti, vt ſanarent corruptos in fide vulgi animos, eosque reſtituerent Eccleſiae matri, a qua multi ad exemplum finitimae Auſtriae ſe ipſi ſegregauerant. Ergo pergunt noſtri docendo Bauaris prodeſſe, iamque ad ſacra miſſae myſteria paulatim redit populus, & falſas de pietate opiniones magis magisque deponit, tum monaſteria & ſchola viſitantur, Epiſcopo quidem annuente. Nunc ſcribitur, parochos vt plurimum indoctos, monachos circa cultum diuinum negligentes admodum, plerosque in legendis haereticorum libris occupatos, ſacerdotes in excipiendis confitentium peccatis ſupra modum ineptos reperiri, vt aliquando ne formam quidem abſoluendi proferre norint. In popularibus variae opiniones & ſectae vigent. Inter octo millia plebeiorum inuenti ſunt 340, vnius ſpeciei communione ſacra contenti, duplicem vero ſpeciem poſtularunt 101: ſed eorum, qui neque ſub vna neque duplici ſpecie communionem in Miſſa expeterent, 2281 ſeſe noſtris obtulerunt. Quos offenderunt haereticorum libros apud ſacer-

dotes, eos tum confringendos, tum exurendos curarunt: nunc inuehuntur libri catholicorum a nobis deſignati, vt norint miſeri paſtores errantem gregem rectius paſcere, ſeque & alios in ſana Eccleſiae doctrina confirmare.

Haec de Principe Bauarico. Non libet porro de calice in Auſtriam aperte porrecto, et Viennae publicato dicere: quae res catholicos animos magis offenderet, niſi Pontif. max. authoritas acceſſiſſet. Sed credo hac de re iſthuc ex vrbe perſcriptum eſſe: vt repetitione mea opus non ſit apud ſapientem. Boemicum clerum laudo, qui conceſſionem oblatam reſpuit, et expedire non putauit, calicis vſum in ſuas Eccleſias inuehi: quod ſi quidam catholicorum calicem expetant, hos jubent ad Eccleſias Huſſiticas ire, bibendi calicis gratia. Salisburgae modo celebratur conuentus procerum Eccleſiaſticorum, et vix caueri poterit, vt opinantur, quin permittatur etiam Bauaris vſus calicis, ob eandem, quam dixi, pontificis maximi conceſſionem. Faxit Dominus, vt hac ratione ſanentur aegri, & nouatorum ſeditioſi conatus minime confirmentur. Facilius fuerit praeſcribere, quam obtinere conditiones in ſumendo calice neceſſarias. Requieſcat in ſancta pace catholicus imperator, de cuius morte nihil dubito, quin cognouerit celſitudo tua. Reliquum eſt, vt bene precemur ſucceſſori D. Maximiliano Caeſari, vt paternae pietatis inſiſtat veſtigiis, & rem catholicam catholicus perpetuo tueatur. Bene illi cum Pontif. Max. conuenire gaudemus. De Numburgenſi Epiſcopo D. Julio illud cognouimus, quod ex hac vita & ipſe migrauit: ſit Chriſtus illius animae propitius: quodque Saxoniae princeps Elector occuparit Eccleſiam: nimirum vt has etiam catholicorum reliquias Chriſtus amittat, & nullus extet epiſcopus, vbi nouum regnat idolum.

De Caluini morte, vt ſic dicam, Herodiana legimus, quod menſibus aliquot miſer homo cum variis & letalibus morbis grauiter conflixerit, & poſtremo vermibus & pediculis infelicem carnem corrodentibus reſiſtere non potuerit: ſic deſperabundus & praeſenti vltione irati Dei percuſſus vitam doctrinamque perditam

ditam horrendo fine concluſit, cuius memoria eſt eritque ſemper in maledictione. Accepi tandem, priuſquam has abſoluerem, quae miſit ad me & Illuſtriſſimum Cardinalem noſtrum Celſitudo tua. Ingentes ago gratias de adjunctis duobus aureis. Habent nunc Antuerpiae, quod miſi, confeſſionis opus correctum, & nouam praeterea, quae nobis allata eſt, eiuſdem operis acceſſionem. Commendaui cauſam D. Henrico, nec dubito, quin aduigilabit ille, vt ſatisfiat tuae pietatis expectationi. In me nulla futura mora eſt, vbicunque tali ac tanto patrono poſſum gratificari. Vidimus acta Braunſpergenſia, & ſingulares egimus gratias diuinae bonitati, quae nobis ob oculos ſtatuit veterum illorum epiſcoporum exemplum, qui nihil non curae & operae & diligentiae adhibebant, errantes vt oues in ſuum ouile reuocarent, ſuaſque vt animas pro dilectis ouibus ponerent, Chriſti nimirum ſummi paſtoris formam imitantes. Audiuit eadem acta praelegi ſibi cancellarius & concionator Principis Bauarici: magnaque ſunt voluptate perfuſi, pulchram & iucundam ſane narrationem intelligentes. Cupiebant ea ſibi tranſcribi omnia: ſed ſedulo cauimus, ne aliquid tranſcriberetur, cum ita viſum eſſet tuae dignitati. Placuit idem ſcriptum in aula illuſtriſſimi noſtri Cardinalis, quem nos etiam gaudebamus hoc praeclaro exemplo magis & magis excitari atque confirmari in officio ſuo paſtorali.

Caeterum non poteſt mihi non eſſe gratum hoc ſtudium tuae pietatis, quod ſocietatis noſtrae tangatur deſiderio, cupiatque nonnullos ex fratribus, & in his Caniſium ſuum iſthuc accedere. Quare ſcripſi Romam, & commendaui hoc inſtitutum reuerendo patri noſtro Generali, qui ſane celſitudini tuae, vt par eſt, libenter gratificatur. Quod ad me attinet, non ego gratuitim in Pruſſia viuam duce ſancta obedientia, meamque pollicitor operam optimo patrono debitam, etſi parum ego fortaſſe iſthic videar effecturus. Fiat autem Domini voluntas: a Cardinale ad Cardinalem, ex Sueuia in Pruſſiam Chriſtus me tranſferat, ſi hoc nomini ſuo ſancto gratum & Eccleſiae commodum

eſſe queat. In illo bene valeat celſitudo tua Illuſtriſſima, cui me commendo reuerenter. Auguſtae 8 Auguſti 1564.

Vt addam aliquid de P. Henrico, quem nominatim expetiuit Celſitudo tua, reliquit ille cathedram Colonienſem, & alibi praeeſt noſtris, vtilem ſane operam Collegio nauans. Adiunxi de Maieſtate Chriſti nouam diſputationem, quae noſtris authoribus Ingolſtadii aduerſus Smidelinum nuper habita fuit. De morte D. Staphili non attinet repetere, Chriſtus illi propitius eſſe velit.

Seruus in Chriſto

P. Caniſius.

Inſcriptio

Reuerendiſſimo in Chriſto Patri,
& Illuſtriſſimo Domino, D. Stanislao
Hoſio, Cardinali & epiſcopo Varmienſi, patrono ampliſſimo.

ad manus proprias.

IX.

Bulla coenae, qua Georgius, Bohemiae rex, excommunicatus eſt.

Paulus eps Seruus ſeruorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Conſueuerunt ſancte memorie Romani Pontifices predeceſſores noſtri ad retinendam puritatem religionis Chriſtiane & ſanctam fidelium ſocietatem ab offenſione ſeruandam arma iuſtitie per miniſterium apoſtolatus annis ſingulis in preſenti celebritate exercere. Nos itaque vetuſtum & ſolemnem hunc morem

rem tenentes ex parte omnipotentis Dei patris & filii & ſpiritus ſancti auctoritate quoque beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius & noſtra excommunicamus & anathematizamus omnes hereticos Gazaros Patarenos, pauperes de Lugduno Arnaldiſtas Speroniſtas Paſſagerios Vicleuiſtas ſeu Huſſitas, fraticellos de opinione nuncupatos & quoscunque alios hereticos quocunque nomine cenſeantur et omnes fautores receptatores & defenſores eorum. Et licet ſuperiore Anno nominatim ob ſuorum criminum magnitudinem & vt vitaretur ex contagione ipſius periculum excommunicauerimus maledixerimus & anathematizauerimus perditionis alumnum Georgium alias Jerſicum de Conſtat & Poyebrat tunc totius nunc vero partis Regni Bohemie occupatorem quia tamen idem Georgius Sathane eius patris arte ſeductus pertinatius in ſua damnata hereſi in qua ſe natum & educatum aſſerit, perſeuerans, vt eam manifeſtiorem efficiat ſuis erroribus peſtiferis non contentus vicinarum partium & preſertim inclyte nationis Germanice Chriſti fideles in ſuum nefandum errorem trahere, eoſque propterea inuadere ac totis conatibus perſequi non ceſſat, Nos conſiderantes quod tanto ſit maioribus penis mulctandus quanto in ſua nefanda hereſi damnabiliter indureſcit, eundem Georgium ſuis grauioribus culpis atque damnatis erroribus exigentibus, auctoritate predicta denuo excommunicamus maledicimus & anathematizamus, nec non omnes & ſingulas ſententias cenſuras & penas tam a iure quam a nobis iuſto Dei iudicio promulgatas aggrauamus & reaggrauamus eumque ſuperna maledictione ſicut maledicti fuerunt Dathan & Abiron, quos terra ſuſtinere non valens viuos abſorbuit & ſicut Judas Scharioth traditor redemptoris noſtri maledicimus & vt talem ab omnibus vitari mandamus. Item excommunicamus maledicimus & anathematizamus Victorinum etiam perditionis alumnum eiuſdem Georgii filium qui armis quoad poteſt Chriſtianos & preſertim Cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Fridericum Romanum Imperatorem ſemper Auguſtum inuadere & hoſtiliter perſequi non ceſſat. Item excommunicamus

mus & anathematizamus omnes & ſingulos ipſi Georgio hereti-
co adherentes aſſiſtentes obſequentes ac fauentes, & nominatim
iniquitatis filium Iohannem Rochezanam hereſis eiuſdem Ge-
orgii alias Jerſici precipuum defenſorem, & pro adminiſtratore
eccleſie Pragenſis nulla ſuffultum auctoritate ſe gerentem, ac ipſi
alias auxilium conſilium vel fauorem clam vel palam directe vel
indirecte prebentes cuiuſcunque dignitatis ſtatus gradus ordinis
preeminentie vel nobilitatis fuerint etiamſi pontificali Regali Re-
ginali Ducali Marchionali aut alia quauis eccleſiaſtica vel mun-
dana prefulgeant dignitate, & qui ſecum comertium habent vel
habebunt quomodo libet in futurum, nec non omnes & ſingulos
ſibi militantes ac arma offenſibilia vel defenſibilia, nec non vi-
ctualia cuiuſuis generis ſint miniſtrantes. Item excommunica-
mus & anathematizamus damnate hereſis defenſorem Gregori-
um de Heymburg qui ſicut alias iuſto iudicio hereticus declara-
ri promeruit, ita nunc quoque in ſupradicto Bohemie Regno
petra ſcandali & lapis offenſionis factus eſt, & dum poſt vendi-
tam animam turpi lucro prophanatori illi Georgio alias Jerſico
adeſſe non ceſſat cornua in ſacroſanctam Romanam eccleſiam, &
ſedem Apoſtolicam cunctorum fidelium matrem atque Magiſtram
erigere & eius mandata contemnere atque canonicas cenſuras
pertinaci ſpiritu perferre non veretur. Item excomunicamus &
anathematizamus omnes & ſingulos cuiuscunque ſtatus gradus
conditionis aut preeminentie exiſtant etiamſi pontificali Regali
& Reginali aut quauis alia eccleſiaſtica vel mundana prefulgeant
dignitate qui perfidis hereticis Vicleuiſtis qui in huiuſmodi dam-
nata Vicleuiſtarum hereſi pertinaciter permanſerunt arma e-
quos ferrum plumbum lignamina ſal oleum vinum veſtes victua-
lia & alia quecunque ad vſum hominum pertinentia aut queuis
alia preſidia publice vel occulte ſubminiſtrant, ac per ſe vel ſubdi-
tos ſuos afferri faciunt vel permittunt cum quibus dicti Vicleui-
ſte Chriſti fideles & catholicos quomodolibet impugnant ſeu
offendere poſſunt, nec non omnes & ſingulos Vicleuiſtarum eo-
rundem adherentes fautores defenſores & receptores cuiuſcun-
que

que ſtatus Nobilitatis excellentie aut conditionis exiſtant etiamſi pontificali Regali Reginali aut quauis alia eccleſiaſtica vel ſeculari ſint prediti dignitate aut conſentientes vel preſtantes eiſdem in premiſſis quomodocunque & qualitercunque auxilium conſilium vel fauorem ipſoſque omnes et ſingulos declaramus continuatores & fautores hereſis atque omni beneficio dignitate & honore eccleſiaſtico ac mundano denuntiamus fuiſſe & eſſe priuatos. Item excommunicamus & anathematizamus omnes falſarios bullarum ſeu literarum apoſtolicarum & ſupplicationum gratiam vel iuſtitiam concernentium per ſummum pontificem vel Vicecancellarium ſeu gerentes vices eorum, aut officium Vicecancellarii ſancte Romane eccleſie de mandato pontificis predicti ſignatarum ipſius nomine ſeu Vicecancellarii aut regentis officium predictum ſignantes ſupplicationes easdem. Item excommunicamus & anathematizamus omnes & ſingulos conſpiratores aut coniuratores contra perſonam ſtatum vel auctoritatem Romani Pontificis etiamſi pontificali Regali Reginali aut alia quauis eccleſiaſtica vel mundana dignitate prefulgeant, omneſque complices & fautores eorum nec non conſcios conſpirationum & coniurationum huiuſmodi & non reuelantes aut eis conſilium quomodolibet preſtantes auxilium vel fauorem, illiſque ex parte omnipotentis Dei maledicimus declarantes eos omni honore ac dignitate eccleſiaſtica vel mundana fuiſſe & eſſe priuatos. Item excommunicamus & anathematizamus omnes violatores eccleſiaſtice libertatis & illos preſertim qui contra ſacrorum canonum inſtituta eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis ſine licentia ſpeciali Romani Pontificis collectas vel alia onera aut queuis grauamina realia vel perſonalia imponunt vel exigunt, aut imponi vel exigi faciunt aut procurant. Item excommunicamus & anathematizamus omnes piratas & Latrunculos maritimos & illos precipue qui Mare noſtrum a Monte argentario vſque ad Terracinam diſcurrere & nauigantes in illo depredari mutilare interficere & rebus ac bonis ſuis ſpoliare hactenus preſumpſerunt & preſument,

ac omnes receptores eorum & eis auxilium dantes conſilium vel fauorem eiſque & cuilibet eorum maledicimus, ipſorumque omnia bona confiſcamus & occupantibus libere concedimus & donamus. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos qui equos ferrum arma lignamina & alia prohibita deferunt Sarracenis Turchis & aliis Chriſti nominis inimicis quibus Chriſtianos oppugnant. Item excommunicamus & anathematizamus impedientes ſeu inuadentes victualia vel alia ad vſum Romane Curie neceſſaria adducentes vel ne ad Curiam ipſam adducantur vel defferantur impedientes ſeu perturbantes & qui talia faciunt vel defendunt cuiuſcunque fuerint ordinis preeminentie & ſtatus etiamſi pontificali Regali Reginali vel quauis alia eccleſiaſtica vel mundana prefulgeant dignitate. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos qui ad ſedem apoſtolicam venientes vel recedentes ab eadem nec non illos qui iuriſdictionem ordinariam vel delegatam aliquam non habentes in eadem Curia manentes temeritate propria capiunt ſpoliant & detinent aut ex propoſito deliberato verberare mutilare vel interficere preſumunt & qui talia fieri faciunt ſeu mandant. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos qui in terris ſuis noua pedagia imponunt vel prohibita exigunt. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos qui per ſe vel alium ſeu alios quoſcunque perſonas eccleſiaſticas vel ſeculares ad Romanam curiam ſuper eorum cauſis & negociis recurrentes illasque in eadem proſequentes aut procuratores negociorum geſtores Aduocatos vel promotores eorum vel etiam Auditores & Judices ſuper dictis cauſis & negociis deputatos occaſione cauſarum vel negociorum huiuſmodi verberant mutilant vel occidunt aut bonis ſpoliant cuiuſcunque preeminentie dignitatis ordinis conditionis aut ſtatus fuerint, etiamſi pontificali Regali Reginali aut quauis alia prefulgeant dignitate. Item excommunicamus & anathematizamus omnes mutilantes vulnerantes vel interficientes ſeu capientes & detinentes ſeu depredantes

dantes Romipetas & peregrinos ad Vrbem cauſa peregrinationis ac deuotionis accedentes & in ea morantes & recedentes ab ipſa & hys dantes auxilium conſilium vel fauorem eorumque bona confiſcamus. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos qui per ſe vel alium ſeu alios directe vel indirecte ſub quocunque titulo vel colore occupant detinent vel hoſtiliter diſcurrunt vel inuadunt, aut occupare detinere diſcurrere hoſtiliter preſumunt almam Vrbem Regna Sicilie Trinacrie Inſulas Sardinie Corſice Terram citra farrum Patrimonium beati Petri in Tuſcia Ducatum Spoletanum Comitatum Venayſini Sabinenſem Marchie Anconitane Maſſe Trabane Romandiole Campanie atque Maritime prouincias & Terras ſpecialis commiſſionis & Arnulphorum Ciuitateſque noſtras Bononienſem, Ferrarienſem, Beneuentanam, Peruſinam, Auinionenſem, Tudertinam & alias ciuitates, terras & loca vel iura ad ipſam eccleſiam ſpectantia & pertinentia ac adherentes fautores & defenſores eorum ſeu in hys dantes eiſdem auxilium conſilium vel fauorem. Item excommunicamus omnes & ſingulos Collectores & Succollectores alioſque Officiales & omnes ac ſingulos cuiuſcunque dignitatis aut preeminentie fuerint qui ſcientes habentes detinentes aut occultantes res pecunias aut bona collecta contra Infideles pro expeditione ſeu Cruciata & ad ipſam Cruciatam pertinentia illa aſſignare ſoluere & reſtituere recuſant negligunt vel contemnunt, aut detinentes vel occupantes non reuelant vel illis auxilium conſilium preſtant vel fauorem. Item licet plures Romani Pontifices noſtri predeceſſores diuerſis eccleſiis & piis locis indulgentias plenarias conceſſerint & felicis recordationis Pius pp. II. immediatus etiam predeceſſor noſter legitimis ex cauſis & preſertim vt melius rei publice Chriſtiane conſuleretur ac contra Turchos feruentius intenderent, eas ſuſpenderit, noſque etiam eiſdem ex cauſis ſuſpenſionem ipſam comprobauerimus & gratam habuerimus prout approbamus & gratam habemus illamque ad beneplacitum apoſto-

lice ſedis perdurare decernimus tamen ſicut plurimorum relatione fide dignorum querelante, accepimus nonnulli iniquitatis filii ordinationum & mandatorum apoſtolicorum contemptores atque ipſius reipublice Chriſtiane non minus quam ipſe Turchus inimici in ſuarum & aliorum fidelium animarum graue periculum indulgentias huiuſmodi tanquam non ſuſpenſas predicare & publicare preſumunt, nos ad huiuſmodi eorum rebellionem refrenandam excommunicamus & anathematizamus omnes & ſingulos huiusmodi quiſic ſuſpenſas indulgentias deinceps quouis modo publicantes vel predicantes aut illis vtentes locorum ordinariis ſub ſimilibus ſententiis cenſuris & penis quas contrafaciendo ipſo facto incurrant harum ſerie iniungentes, ne in eorum ciuitatibus & dioec. ſimiles indulgentias publicari vel predicari faciant vel permittant. A preſentibus autem cenſuris & penis que caſus preſcriptos ſequuntur ſexum omnino nullum conditionem hominum nullam eximimus non Patriarchas non Archiepiſcopos non Epiſcopos non cuiuſuis generis prelatos, non Reges non Reginas non Duces non Marchiones non Comites non vllius alterius dignitatis vel nominis preſidentes, velut quenque priuatum ita eos obnoxios eſſe & reos preſentium cenſurarum decernimus, nolentes priuilegium vllum, vllam indulgentiam, vllas apoſtolicas litteras vim quamcunque verborum habentes proceſſibus hys noſtris obſtare. Rogamus omnipotentem & miſericordem Deum & ſuppliciter deprecamur, vt animas que vinculis harum cenſurarum ligate non ſunt ne ligentur conſeruet, que vero ligate ſunt ad ſalutem & meritum abſolutionis conuertat. Nos tamen hanc ipſam abſolutionem nobis tantum & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus reſeruamus articulo mortis duntaxat excepto, in quo etiam ſatiſfactionem & cautionem canonicam ab eis eſſe volumus exigendas ſimili excommunicationis ſententia innodantes ſacerdotes illos tam ſeculares quam cuiuſuis ordinis regulares qui ſic excommunicatos & anathematizatos etiam in ipſo mortis articulo con-

conſtitutos aliter quam vt prefertur abſoluerint eiſque predicationem lectionem adminiſtrationem ſacramentorum auditionemque confeſſionum interdicimus per preſentes. Vt autem huiuſmodi noſtri proceſſus ad communem omnium noticiam deducantur litteras apoſtolicas huiuſmodi proceſſus continentes in Valuis Baſilice Principis Apoſtolorum nec non eccleſie ſancti Marci de Vrbe affigi faciemus que proceſſus ipſos ſuo quaſi ſonoro preconio & patulo inditio publicabunt, vt ij quos huiusmodi negocium contigerit, quod ad ipſos non peruenerint, aut ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem pretendere vel ignorantiam allegare cum non ſit veriſimile apud ipſos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum excommunicationis anathematizationis denunciationis maledictionis confiſcationis donationis conſtitutionis declarationis ſublationis reuocationis innodationis interdicti & predictionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Rome apud Sanctum marcum Anno Incarnationis dominice Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octauo. Decimo octauo Kal. Maii Pontificatus noſtri Anno Quarto.

(L.S.)

L. Dathus.

ANNOTATIONES.

I. *Quamobrem haec bulla huic operi inſerta ſit?* II. *Eſt bulla coenae, cui excommunicatio Georgii Regis immiſta, et ad varios epiſcopos, vt publicarent, transmiſſa eſt.* III. *Georgii pro calice obtinendo ſtudium ſub Pio ſecundo.* IV. *Paulus II. eum excommunicat ac regno privat.* V. *Alia quaedam ad hanc bullam intelligendam cognitu neceſſaria.*

I.

Hoc exemplum a bulla originali, quae in bibliotheca Gothana cum plumbeo Pauli II. ſigillo intemerata habetur, ideo his monumentis ſubiecimus, quia a Bohemis tota de calice concertatio ſanguinolenta ortum traxit, atque haec Pauli II. atrox ſententia Bohemiae regi, Georgio Podiebradsky, cumprimis ob calicis ab Huſſitis reſtituti vſum, horrendas diras imprecatur, innumerosque Bohemos devovet nunquam auditos, aut errorum convictos. Huſſitae inde ab ortu ſuae ſectae adeo cupidi ſacri calicis fuerunt, vt non ſolum praecipuus eorum Dux Zisska, iam circa annum CIↃCCCCXX. epiſtolis ſuis militaribus ſubſcriberet: *Ioannes, frater Zisska de calice*, pictores autem imaginem Zisskae ſic adornarent, vt angelus ei calicem de coelo porrigeret; [a] ſed etiam calix Huſſitarum teſſera militaris fieret, ac in templis, in parietibus et vtenſilibus tam frequens depingeretur, vt poetae hunc verſum, quem etiam Spondanus annalium Baronii continuatione anno CIↃCCCCXXL numero II. recitavit, luderent:

Tot pingit calices Boëmorum terra per vrbes,
Vt credas Bacchi numina ſola coli.

Huſſo certe propugnatus calicis vſus mortem acceleravit, teſte Dubravio: *Si Huſſitae*, inquit, *rectam inſtitiſſent viam, nunqvam illis Hus e carcere reſcripſiſſet, illos tandem reperiſſe poculum, quod ſibi mortem acceleraret. Inter alia, quae Huſſo in concilio obiiciebantur, quo celerius cremaretur, articulus de calice eum praegravabat.* Diſcimus praeterea ex libro XXIII. Dubravii, Huſſo combuſto, finitoque concilio Conſtantienſi, Huſſitarum ſacerdotes ſe promiſcue calixtinos vocaſſe, quanquam paulo poſt nomen hoc illis peculiariter adhaeſit, qui, cum in ceteris inſtitutis idem fere, quod eccleſia Romana, ſentirent, tamen pro vſu calicis, perinde vt Huſſitae reliqui, acriter dimicarunt. Deſciverant qui-

a *Balbinus epitomes rerum Bohemicarum L. IV. cap. IX. p. 465.*

quidem Huſſitae a maioribus ſuis multis in rebus, ortaeque inter ipſos diſſenſiones variae, varii coetus, ac prorſus disiunctae eccleſiae. At in appetendo retinendoque calice ſumma omnium concordia manſit.

II. Ceterum bulla haec illa ipſa eſt, quae dicitur *bulla coenae Domini*, per quam quotannis in qualibet feria quinta magna *(die viridium)* excommunicantur nominatim haeretici dogmata ſua iſta aetate ſpargentes, quorum catalogus ſubinde augetur, vel minuitur pro lubitu pontificum, vt apparet ex Bullario Cherubini ſub Vrbano V. Iulio II. Paulo III. Gregorio XIII. et Paulo V. Varia huius bullae exemplа olim ſingulis annis deſcribebantur in camera apoſtolica, [b] et collata cum eo, quod pontifex legerat et probaverat, ſigillo plumbeo muniebantur, in cuius vna parte Pauli et Petri, in altera pontificis tunc regnantis, ac throno inſidentis imago cernitur. Hinc in noſtro membranaceo haec ſubſcripta ſunt: *Collatum cum originali concordat. G. Blondus. De curia. Io. Baptiſta.* Et in tergo: *ſcripta in camera apoſtolica.* Atque omnia iſta exempla pro avthenticis, ſeu, originalibus habebantur. Noſtrum hoc, quod Georgium de Cunſtadt, Bohemorum regem, anathemate percutit, ad diverſos epiſcopos, quorum eccleſiis ab Huſſitis timebat, miſit Paulus II. pontifex. Inter alios anno CIↃCCCCLXIX. XXIII. Februarii hanc bullam etiam ad archiepiſcopum Lugdunenſem transmittebat, addita peculiari epiſtola, qua eam *literas excommunicationis originales* dicit, ac in virtute ſanctae obedientiae mandat, vt contra Georgium de Pogiebrat, Huſſitarum haereſin totis conatibus defendentem, ter ſingulis annis, tribus feſtivis diebus, infra miſſarum ſolennia, in omnibus totius Lugdnnenſis provinciae templis non tantum Latino, ſed et vernaculo ſermone publicetur. [c] Dubium autem eſt, an Lugdunenſis mandato huic obtemperaverit. Nam Edmundus Richerius, celebris ille, ſed parum gratus Romae, doctor theologiae Sorbonicus, defenſione libelli de eccleſiaſtica et politica poteſtate, capite ultimo, numero XXII. libri IV. docet, bullam coenae, quae maxima ex parte iuri divino et naturali adverſaretur, non eſſe receptam in Gallia.

III. Georgius Podiebradius, (Pogiebratium vocat cardinalis Piccolominus) qui anno CIↃCCCCLVIII. regnum occupavit, anno autem CIↃCCCCLXXI. e vita exceſſit, a Calixto III. pro rege legitimo habitus, poſt Ioannem Rabenſtein quatuor oratores ad Pium II. miſerat, inter alia vſum calicis euchariſtici omnibus

b *Hodie bulla coenae quotannis imprimitur typis, et poſt factam die viridium publicam excommunicationem divenditur, ac diſtribuitur.*

c *Epiſtolam exhibet Harduinus to. IX. col. 1488. conciliorum.*

bus precibus oraturos. Sed in cardinalium conventu respondit pontifex, calicem Bohemis nec necessarium, nec vtilem esse: concilium Constantiense definiviſſe, non licere ab institutis ecclesiae abire, quae Dei spiritu regeretur: communicante turba, & quoties calix ad remotiores aegrotos portaretur, effusionis periculum fore: compactorum Basileensium nullam vim esse: sub vnaquaque specie & corpus, & sanguinem contineri: *(scilicet! hoc ignorabat Christus supervacuum calicem instituens)* ceteras gentes indigne laturas, sibi prohiberi Bohemis concessa: nationes quietas operae pretium non esse, nunc commovere: non videri consultum, a prioribus papis calicem negantibus dissentire: quod oratores petant, ad vitam aeternam non pertinere, fumum quendam & inanis gloriae ventum quaeri: hortari se oratores, vt contenti sint, sub specie tantum panis corpus Domini sanguinemque assumere ad salutem.

Quae heic commemoravimus, omnia narrat, qui conventui illi interfuit, Iacobus Piccolominus, cardinalis, & episcopus Papiensis, libro VI. commentariorum Mediolani, cum privilegio provinciam Mediolanensem tum tenentis Galliarum regis, Ludovici XII. anno CIↃIↃVI. editorum folio CCCXCVIII.

IV. Post Pii II. mortem Paulus II. pontifex creatus est, qui cum antecessoris duritiem nulli vsui fuisse animadvertisset, Georgium non tam desiderio calicis, quam odio Pii pertinacem mansisse initio arbitrabatur. Sed cum eum sua opinio fefelliſſet; vocatis in senatum patribus, commentariisque actorum perlectis, sententiisque dictis, una omnium voce rex periurus, sacrilegus ac haereticus declaratus est. Paulo post et regno eum solenniter privavit pontifex. *Dies natalis Christi*, inquit in fine dicti libri Picolominus, *pronuntiandae damnationi edicitur. Quo die, peracto sacro solenni, pontifex in magna hominum frequentia marmoreum suggestum ascendens, quod ante summum altare in basilica Petri ad dexteram est, ex diplomate sententiam recitavit, regnoque Boemum privavit.*

Vix est, vt pontificem inveniamus maiori zelo communionem sub vtraque impugnantem, quam Paulum II. Nam anno primo sui pontificatus, quasi re bene gesta, scribebat ad ecclesiae metropolitanae Pragensis capitulum, Sigismundum Caesarem, imperiale diadema suscipientem, communionem sub vna tantum specie e manu Eugenii IV. sumsisse, vt fidem, quam profiteretur, toto mundo spectante suo exemplo firmaret: idemque obseruasse Fridericum III. cum imperiales insulas a Nicolao V. susciperat, seque, vt praedecessorum suorum fidem

ac

ac morem apertius teſtaretur, et adverſantium deteſtaretur errorem, proximo paſchate anni MDLXV. omni populo ſpectante ſub vna tantum ſpecie ſacramentum eucharistiae laicis exhibuiſſe. d

V. De Rokyczana, quem, tanquam eccleſiarum Huſſiticarum praeſulem haec bulla damnat, multa narrant Dubravius, ac ceteri rerum Huſſiticarum ſcriptores, ſed non absque partium ſuarum notabili ſtudio. Errores ipſius e Wenceslai de Crumlow, eccleſiae Pragenſis decani, opere adverſus Rokyczanam ſcripto recenſet Balbinus epitomes rerum Bohemicarum L. V. capite X. vbi ait: *Die XXII. Februarii MCCCCLXXI. obiit Ioannes Rokyczana, quem regis Georgii pontificem poſſis dicere; vnus ille fax fuit, qua Georgii tempore Bohemia ſuccenſa conflagraret; homo eloquentiſſimus, ſed idem ſeditioſus, et tantum non haereſiarcha. Eius errores ſeptuaginta peculiari opere (quod ſaepe inter manuſcriptos codices invenies) recitavit Wenceslaus de Crumlovia, decanus eccleſiae Pragenſis. Accuſſatio graviſſima eſt, quod a nemine in epiſcopum conſecratus, ſacerdotes ordinarit; unde etiam in marmore ſepulchri epiſcopali in habitu cum pedo exciſus ſpectatur. Funus hominis perditiſſimi regina Iohanna praeſentia ſua honoravit. Vidi eius tumulum Pragae in Baſilica Deiparae Teinenſi, ante B. V. altare prope ſacrarium: additus eſt in marmore clypeus, in quo ſtat Rokyczana, in clypeo viſitur exciſa ſolea (nam Fabri in Rokyczanenſi ſuburbio ſilium omnes fuiſſe ſciunt,) et in ſoleae medio ſtella. Circa tumulum exſculptos verſiculos, vtpote ineruditos, non eſt operae pretium referre.*

Victorinus, regis filius, qui heic excommunicatur, a Friderico III. caeſare anno CIↃCCCCLXII. princeps imperii Romani, et Dux Munſterbergenſis in Sileſia creatus eſt. Diploma caeſaris habetur in Sommersbergi diplomatario Bohemo-Sileſiaco. e

De Heimburgo in hac bulla excommunicato, viro animi dotibus excellentiſſimo, non vacat multa adſcribere. Balbinus f haec de illo narrat: *Sigismundus, Auſtriae Dux, cum Nicolaum de Cuſa Cardinalem, et Epiſcopum Brixinenſem, cuſtodiae mancipaſſet, Pius II. pontifex Ducem excommunicavit. Habebat Dux a ſecretis Doctorem quendam iuris, Gregorium Heimburg, patria Francum orien-*

d *Epiſtola extat in Balbini miſcellaneis decadis I. L. VI. P. I. c. IIX. p.* 185.
e *P.* 1077.
f *L. VII. ſectione IV. memorabilium p.* 220.

orientalem, is cum eſſet Latine ſimul et Teutonice omnium ſua aetate facundiſſimus, miſſus Romam orator, cum abſolutionem Duci impetrare non poſſet, appellationem a ſententia ſummi pontificis ad futurum concilium pro Sigismundo conſcripſit, et ad valvas eccleſiae Florentinae publicavit, quare pontifex et Ducem et oratorem excommunicavit, qui fugiens in Bohemiam ſe recepit, et ibi ducta vxore permanſit, cum ante Syndici munus Norimbergae geſſiſſet. Haec de Gregorio ab Heimburg, cui ſummam rerum maximarum aeque ac minimarum committebat Georgius, iſque regi author fuit, vt excommunicationes pontificum pro nihilo duceret, et ad futurum concilium, vt in epitome noſtra regem feciſſe vidimus, appellaret.

PARS

* *

PARS SECVNDA,

QVA

EPISTOLAE INEDITAE

A

CARDINALE HOSIO

ET

AD EVM SCRIPTAE

COMPREHENDVNTVR.

I.

Olaus Magnus Hoſio.

Ex avtographo.

Dolet concilii Tridentini dilationem.

Reuerendiſſime in Chriſto pater, & domine amantiſſime, ſalutem & omne bonum.

Suſpenſo ad biennium ſacro concilio pro die 28 aprilis, & mortuo legato eius die 28 Maji, ac epiſcopis diuerſarum nationum hinc inde ob temeritatem haereticorum ac bellicum tumultum diſperſis, me iterum in hanc communem patriam, Romam ſcilicet, contuli, vt hic in prima religionis ſede, quid amplius de eodem ſacro concilio ſperandum ſit, expectem. Et licet multorum opinio ſit, quod tarde aut nunquam, diebus praeſertim noſtris fiat, tamen ego, qui ſoleo & debeo

ſentire de Dei bonitate & miſeratione cum ſobrietate, non poſſum niſi inceſſanter Deum & omnes ſanctos rogare, tandem quaſi intolerabile hoc malum, quod patimur, vt auferat, vel vt ſaltem in tolerantia ſua & noſtra patientia mitigetur. Controuerſia illa periculoſiſſima inter Gallum & Imperatorem maximum praeſtat impedimentum, ne quid felicius ſolito expectare valeamus. Pontifex hic cum Cardinalibus bene valet, & cum his pauciſſimis feliciter valeat ex voto. Ex vrbe Roma e domo ſanctae Brigittae die 5 Julii 1552.

Reuerendiſſimae D. V.

deditiſſimus

Olaus, archiepiſcopus Vpſalienſis.

Reuerendiſſimo in Chriſto patri & domino, D. Stanislao, Dei gratia epiſcopo Warmienſi, Domino chariſſimo.

ANNOTATIO.

Olaus Magnus, cuius manu haec epiſtola ſcripta eſt, fratrem habuit Ioannem Magnum, Vpſalienſem archiepiſcopum, ac Sueciae primatem, autorem hiſtoriae Gothorum Sueonumque, quam, vt Ioannes in fine libri XXIV. ipſe narrat, in patriarchatu Veneto anno Chriſti 1540. ad finem perduxit, Olaus autem, poſt fratris obitum, anno 1554. Romae edidit, cuique anno 1560. Petrus Parvus Roſefontanus, eques Danus, librum Friderico II. Danorum regi dedicatum oppoſuit hoc titulo inſignitum: *refutatio calumniarum Ioannis Magni, quibus in hiſtoria ſua Danicam gentem inceſſit.* De Ioanne Magno initio refutationis ſuae haec narrat Roſefontanus: *Accidit, quod Leone X. defuncto Ioannes Magnus per Adrianum, maximum pontificem, a conſcribenda patriae hiſtoria ad archiepiſcopalem Vpſalenſis eccleſiae dignitatem, ſeu, vt ipſe de ſe praedicat, ad abolendas haereſes vocaretur. Quo tempore purior ſincerae pietatis doctrina paſſim in Eccleſiis regni Sueciae vires incrementaque maiora indies recepit. Huic itaque abolendarum haereſum negocio intentus, dum inſtituta per Archiepiſcopatum Vpſa-*

Vpſalenſem Eccleſiarum inſpectione, puram veteris Eccleſiae doctrinam profitentes acriter perſequitur, Guſtavus, qui modo regni Sueciae titulum gerit, libera cuſtodia, qua in Dania in arce Kallö apud Ericum Banner, ſplendore familiae ac nominis virum clariſſimum, eiusdem arcis praefidem aliquandiu aſſervabatur, clam contra fidem datam elapſus, in Sueciam reverterat: vbi magna regiminis, poſt fugam Chriſtierni ſecundi mutatione facta, rerum ipſe potitus, religionem paucis poſt annis mutare coepit. Hanc mutationem cum Ioannes Vpſalenſis, ſummus aliquanto ante Sueciae Antiſtes factus, improbaret, ac tanquam perniciosam haereſim exoſam haberet, ne ab ea contaminaretur, aut ab officio depoſitus in ordinem redigeretur, clam regno Sueciae, una cum fratre Olao Gotho, excedens Romam profugit, ac quicquid rerum antiquiſſimarum ex veteribus Suecorum pigmentis anilibuſve fabellis, vel ſua, vel amicorum opera in ſupplementum, atque perfectionem hiſtoriae inchoatae conqueſierat, eo ſecum aſportat. Vbi deinde, quam in patria inchoarat, pertexendae hiſtoriae operam in ocio navare pergit,

Verum ubi rem familiarem diminui magis atque magis ſentiret, Venetias profectus eius ciuitatis Patriarchae Vicarius, ſeu, vti loquuntur, ſuffraganeus conſtituitur: ibique ſcribendi patriae hiſtoriam complures annos continuatum ſtudium demum vtcunque abſolvit. Sed quia titulo prioris dignitatis homo ambitioſus atque elati animi adhuc tumeret, cuius tamen preter ſolam umbram iam nihil habebat, praeſentem hanc conditionem vti vilem, atque ſe indignam, pertaeſus ſpe priſtinae dignitatis recuperandae, iterum Romam mediocri cum comitatu redit. Vbi divenditis equis, ac dimiſſa familia, ad ſummam rerum anguſtiam poſtquam redactus eſſet, Paulus, Pontifex Maximus, eius nominis tertius vicem eius miſeratus, ne ſuſtentatio advenae omnino deficeret, neve inedia contabeſceret is, qui ne a Romanae ſedis obedientia recederet, profugus ab extremo prope boreali regno Romam venerat, in hoſpitali domo, quam vocant Sancti ſpiritus, eum collocavit. Vbi in magna rerum omnium penuria aliquandiu poſtea egit, atque ad poſtremum etiam miſerrime vitam finivit. Ericus Benzelius, qui nuper archiepiſcopus Vpſalienſis fuit, anno 1526. Guſtavum I. Ioanni Magno iniunxiſſe tradit, vt translationem totius ſacri codicis in linguam Suecicam adornaret, Ioannem autem laborem hunc detrectaſſe, ac convaſatis ſuis pariter ac patriae monumentis clam ſe contuliſſe primo in Boruſſiam, deinde in Italiam, vbi vſque ad mortem ſociam paupertatem habuerit.[a] Haec paulo copioſius adſcribenda duxi, quoniam ſine fratrum horum hiſtoria, plerisque ignota, ſupra poſita epiſtola intelligi non poteſt.

Vt ad Olaum redeam, pater ei fuit Petrus Store, quae vox poſtrema latine magnum ſignificat. Natus eſt circa annum 1490. in Gothlandia Lincopiae,

a *Breviario hiſtoriae eccleſiaſticae p. m. 234.*

ac poſtea Strengnenſem praepoſituram obtinuit. Quamobrem errat non leviter Petrus Suavis, [b] cum Olaum, archiepiſcopum perſonatum, eccleſiam Vpſalienſem nunquam ſuis oculis vidiſſe exiſtimat. Verum eſt, titulotenus poſt fratris mortem a Paulo III. anno 1544. Vpſalienſem archiepiſcopum nominatum, ac ad concilium Tridentinum [augendo numero, ait Suavis] miſſum eſſe, in quo concilio ſe anno 1552. egiſſe, anno autem 1539. ſuam ſeptentrionalium terrarum geographiam Venetiis edidiſſe, Olaus ipſe ſignificat in epiſtola, qua anno 1554. Romae, Guſtavi I. filiis quatuor, fratris hiſtoriam Gothorum inſcripſit. At vero eccleſiam Vpſalienſem, quippe in Gothlandia natus et educatus, ac ſine dubio Vpſaliae ſtudiorum cauſa commoratus, ſuis oculis ſaepenumero viderat, e qua etiam cum fratre anno 1527. in exilium voluntarium profectus eſt. Obiit diem ſuum, ſi epitaphio eius apud Meſſenium fides eſt, Romae anno 1558. ac in templo Vaticano ad latus Bedae quieſcit. [c]

b *Libro II. hiſt. concilii Tridentini p. m.* 109.

c *Meſſenius Scondiae illuſtratae tomo IX. p.* 53. *Plura de Ioanne et Olao Magnis collegit Ioannes Mollerus, hypomnemat. ad Scheffери Sveciam literatam p. m.* 367.

II.

Glogowski Hoſio.

Hortatur Hoſium, vt in confeſſione fidei catholicae, quae tum ad finem perducta proditura in lucem erat, Polonos omnes inſtiget ad conſtantiam & zelum in religione Romana. Hoſius confeſſionem ſaepe auctam ac recuſam tandem anno MDLXXIII. Henrico Valeſio, Poloniarum regi, dedicavit, quae editio operum eius initio habetur.

Reuerendiſſime in Chriſto pater & domine,

Domine mi colendiſſime, obſequiis meis in gratiam R^mae D. veſtrae quam officioſiſſime commendatis.

Cum certi hominis, qui ad R^mam d. veſtram proficiſceretur, nactus eſſem copiam, vacuum illum meis literis praetermittere

mittere nolui, quibus R^mae d. veſtrae feliciſſima quaeque ex animo precor, meque illi ac meam ſeruitutem ſtudio quo poſſum maiore commendo.

Literas R^mae d. v. ex oppido Raczvaſſ ad me miſſas curaui ad D. Cancellarium R^mi Achiepiſcopi Gneſnenſis perferendas, quas quamprimum mihi redditae ſunt, ſtatim Lonicium miſi, quo ſi illic eſſet D. Dambrowſki, ei redderentur, vel vt inde illi mitterentur, vbi vbi eſſet.

Oblitus eram in Czerwienſko percontari reuerentiſſimam dignitatem veſtram, an in fine libri confeſſionis adiecerit R. D. V. aliquam exhortationem ad proceres, aut potius ad omnes ordines regni, in qua illos commonefaceret, formulam fidei atque rituum religionis noſtrae in illo ipſo confeſſionis libro ita eſſe deſcriptam, illiſque a ſancta ſynodo traditam, vt eam olim ab initio plus minuſue ab annis ſexingentis ex maiorum noſtrorum inſtitutione accepimus, pro qua maiores noſtri tam contra gentiles fortiter pugnantes, quam etiam haereticis animoſe & conſtanter reſiſtentes, fines regni longe lateque dilatauerunt, & in eam magnitudinem atque amplitudinem deduxerunt ditionem ſuam, vt regnum Poloniae cum virium robore, tum iuriſdictionis amplitudine nullo fere Chriſtiani orbis regno ſit inferius, quod quam antea imbecille fuerit, quam viribus impar contra maiores impetus, vel hoc ipſum indicio eſſe poteſt, quod contra vicinos Prutenos, tum temporis adhuc gentiles, auxilia cruciferorum ordinis Teutonici implorare ſunt coacti. Sed poſtea Dei beneficio viribus noſtrorum confirmatis atque in vna fide coniunctis & adunatis, non ſolum Prutenis facti ſunt ſuperiores, ſed etiam Teutones opem illis ferentes multis cladibus affecerunt, & Pruſſiam tandem armis pacatam ditioni regum Poloniae ſubiecerunt. Quinimo quod omnino mirabile dictu eſt, regnum hoc ex omnibus partibus ab hoſtibus vndique circumſeptum, patenſque contra omnes hoſtium inſultus, nudum fere praeſidiis ac munitionibus locorum & ciuitatum, quibus aliae prouinciae plurimum gloriantur, mirabili tamen Dei conſilio hactenus ita incolume

colume & integrum ſeruatum eſt, vt plane Deus optimus maximus omnipotentiam ſuam in nobis oſtendere voluerit, quod non in munitionibus arcium vel ciuitatum beneplacitum ſit illi, ſed in his potius, qui fideliter in vna ſancta fide ſanctum nomen eius inuocant. Caeterum qua diligentia quantoue ſtudio a maioribus noſtris erat proſpectum, ne vnitas fidei apud nos ſcinderetur, annales noſtros atque ſtatuta, quae quotidie manibus ſuis terunt, videant. Certe hac ipſa maiorum noſtrorum diligentia effectum eſt, vt apud nos Chriſtianae religionis integritas nullo hactenus nouitatis nidore eſſet infecta, & depoſitum hoc ita ab illis conſeruatum, vt incorruptum omnino ad noſtra vſque tempora tranſmiſerint. Quod ſi ab hac fidei vnitate receſſerimus, verendum eſt, ne Dominus quoque a nobis recedat, noſque tanquam legis ſuae praeuaricatores a ſe proiiciat, neue horrendum illud Samuelis dictum de ſciſſa veſte in nobis eueniat, quod Sauli euenturum praedixerat: Scidit Dominus regnum Iſraël a te. Porro ſi R^ma D. veſtra fecit iam aliquam eiuſmodi exhortationem, ſatis ſcio, illam id feciſſe melius, quam ego ei ſuggerere poſſum. Quid enim ſus ad Mineruam. Quod ſi nondum fecit, haec illi pauca ſuggerere volui, quae meliori eius iudicio commiſſa eſſe volo.

De regio Knyſinium aduentu certi adhuc nihil habemus. Fama tamen increbreſcit, Maieſtatem ſuam ad feſta natalitia illuc aduenturam. De quo ſi quid certi erit, R^mus Dominus meus ad R^mam D. veſtram ſcribere non praetermittet, quam Deus optimus maximus diutiſſime ſoſpitem & felicem conſeruet. Polzo XXVI Nouembris 1554.

R^mae D. V.

perpetuo addictiſſimus ſeruitor

Paul. Glogowſki.
Archidiaconus Plocenſis.

ANNO-

ANNOTATIO.

Stanislaus Hoſius, ad quem haec epiſtola data eſt, Ermlandiae in Boruſſia lonica epiſcopus, quantum quidem ex hiſtoricis, generoſam ſtirpem, aut ma-um eius imagines neutiquam memorantibus, intelligi poteſt, anno 1504. Cra-iae a parentibus non nativitate, ſed virtute nobilitatis originem duxit. Cur-n ſtudiorum in ſchola patria emenſus contulit ſe in Italiam, vbi Patavii et noniae inprimis Lazarum Bonamicum audivit, ac ſingulariter coluit. Re-r in cancellaria regis locum adeptus, ac Cracovienſi canonicatu donatus eſt. at nobis in promtu literae eius manu anno 1541. et 1544. ad Ioannem, epiſco-m Varmienſem, aliosque ſcriptae, quibus ſe cantorem et canonicum Varmi-ſem nominat. Sigismundus II. cum in eum Culmenſem in Boruſſia epiſco-um contuliſſet, oratorem miſit ad principes Auſtriacos, Vindobonam ad Fer-andum, Romanorum regem, et ad Carolum V. quem Bruxellis et Ganda- Philippum filium autem Antwerpiae convenit. Legatione finita a Iulio III. cipere Varmienſem epiſcopatum iuſſus eſt. Anno 1558. Paulus IV. eum du-s aut ternis epiſtolis [a] Romam vocavit, vt de ratione congregandi concilii cta cum aliis deliberaret. Cum Paulus IV. anno 1559. diem ſuum obiiſſet, ſium tum Romae commorantem ſucceſſor eius, Pius IV. concilii cogendi nſa ad Ferdinandum I. et Maximilianum, Bohemiae regem, mittebat, in eaque atione abſentem a. 1561. creabat cardinalem, ac paulo poſt ſuum in concilio Tri-ntino de latere legatum pronuntiabat. Affuit igitur a. 1561. Tridenti inter pri-s, ac ad praecipuos principes chriſtianos ſcripſit de legatis ſuis Tridentum mit-ndis. Concilio ad finem perducto rediit in Poloniam, vbi a Pio V. in Polonia-m regno legatus a latere declaratur. Sed cum Sigismundus II. vtilitatibus ſuis nſentaneum arbitraretur, vt Hoſium Romam mitteret; profectus eſt denuo Italiam, poſteaquam Martinum Cromerum coëpiſcopum ſuum et ſucceſſorem ignaſſet. Anno aetatis LXX. Gregorius XIII. maioris poenitentiarii munus eum detulit, in cuius aſſidua adminiſtratione anno Chriſti 1579. aetatis autem s 76. mortuus eſt Capranicae, quem in locum paucis ab vrbe milliaribus di-ntem, valetudinis ergo ſe receperat. Stanislaus Reſcius, qui ei a ſecretis et emoſynis fuit, ac poſtea vitam eius anno 1587. Romae edidit, patroni ſui cor-s Romae curavit ſepeliendum. De eius vita aſcetica inter alia haec comme-rata legimus ab Oldoino in Hoſii vita, quam Pii IV. vitae attexuit. [b] *Li-in alios mitis, in ſe ipſum tamen ſeverus, corpus ſuum alioquin imbecillum, non gis ſolum, et flagellis, ſed nodoſis etiam funibus, aut ferratis cingulis, acutiſ-*

H *que,*

[a] *Extant to. II. opp. p. 163. duae.*
[b] *Additionibus ad Ciaconii vitas pontificum. to. III. col. 915.*

que, et pungentibus ſpinis diſcerpere ad ſanguinem vſque ſolebat: Vt vel hoc modo ſenſim, certe non ſine ſenſu, ad quaſvis maiores acerbitates, atque ad duriora pro Chriſti cauſa patienda ſe exerceret. Cumque ipſe animi ſui viribus nequaquam fideret, timeretque, ne corpori ſuo nimium indulgeret; adhibuit percuſſorem, cuius miniſterio ad vltimum vſque vitae ſuae diem eiuſmodi caſtigationibus vtebatur. Virum pragmaticum fuiſſe, ipſoque adſpectu venerationem ſui iniicientem, inter alia nos docet imago ad vivum picta, integram eius ſtaturam in habitu cardinalitio repraeſentans, quam cum ante annos aliquot Carolus XII. Suecorum rex, Heilsbergae, quae civitas antiqua epiſcoporum Varmienſium ſedes eſt, in ſacello inveniſſet, donaſſetque D. Ioanni Friderico Mayero, conſiſtorii Gryphiswaldenſis praeſidi, atque eccleſiarum in Pomerania Suecica Superintendenti generali, qui tum regem comitabatur; tandem poſt Mayeri fata in pinacothecam Gothanam pretio translata eſt.

III.

Puteus Hoſio.

Ex originali.

Significat, Aloyſium Lipomanum, nuntium apoſtolicum, brevi poſtea in Poloniam venturum.

Reuerende admodum in Chriſto frater. Quod iam toties pollicitus tibi eram, curaturum me omni ſtudio, vt quam primum per alias neceſſarias occupationes liceret, ſummus pontifex ad vos nuntium mitteret; id me nunc tandem aliquando, fauente Chriſto, conſecutum eſſe video. Quae res, quanto diutius me, eo pene deſiderio tabeſcentem, tenuit; tanto mihi nunc maiorem voluptatem attulit. Videor enim mihi pro tam neceſſaria iſti regno medicina afferenda non fruſtra penitus laboraſſe, poſteaquam in miſerrima temporum conditione, huiuſque ſedis apoſtolicae tam crebris perturbationibus, vna cum reuerendiſſimo Jarneſio protectore perfeci; vt omnibus, quae ad iſtam legationem obeundam opus eſſet, inſtructus, paratuſque nuntius pro-

proficiſceretur. Quare ſi te virum fortem; ſi ſedis huius apoſtolicae ſtudioſum atque obſeruantem; ſi verae pietatis catholicaeque fidei patronum ſemper antehac praeſtitiſti; nunc maxime te eundem praebeas neceſſe eſt. Nuntius multum ſpei, praeſidiique in te, tuaque diligentia poſitum eſſe, ad rem bene gerendam, ſibi perſuadet: nos vero hic, qui te, tuaſque virtutes nouimus, ita confidimus nuntii conatus omnes felicem exitum habituros; ſi te adiutore, te ſocio, quaecunque agenda erunt, aggredietur. Peto igitur abs te, vt in prouidenda, procurandaque ampliſſimi iſtius regni ſalute, nihil operae, nihil diligentiae, ſtudii, contentioniſque praetermittas; illudque tibi in mentem veniat, ſi catholicae religionis, huiuſque ſacroſanctae ſedis in primis ratione habita, nullo fortunarum, dignitatis, aut capitis periculo pro tuenda veritate terrearis; ſummam te optimi epiſcopi laudem cum ſempiterna apud poſteros memoria conſecuturum. Vale, & pro Chriſti gloria fortiter dimica. Romae, ſexto *Id.* Quintilis. MDLV.

R. D. tuae

frater, *Jacobus Cardinalis Puteus.*

Inſcriptio.

Reuerendo in Chriſto fratri,
Domino epiſcopo Varmiae.

ANNOTATIO.

Iacobus Puteus, Narbonenſis Gallus, natus anno 1497. aetatis ſuae doctoribus iuris ſaltem non omnibus ingenii gloria antecelluit. Cum apud quosdam cardinales in aula Romana privatos honores inuniaque varia, obtinuiſſet, a Paulo III. auditor Rotae conſtitutus eſt. Tandem Iulius III. cum quo ante pontificatum conſuetudinem amicitiamque intimam iunxerat, eum archiepiſcopatu Iuuenſi, annoque 1551. tanto promtius cardinalitia dignitate ornavit, quod ipſum, iis artibus, quibus pontificem inſtructum eſſe decet, plane carentem, duci alie-

na ope oportebat. Pius IV. eum legatum ad concilium Tridentinum designauerat, vt locum cardinalis Seripandi nuper defuncti suppleret; sed abiturientem anno 1563. mors subitanea Romae oppressit.

IV.

Puteus Hosio.

Ex originali.

Nuntiat, nuntium apostolicum profectum esse in Germaniam, inde Poloniam absque mora petiturum.

Reuerende admodum in Christo frater. Paucis diebus ante Pauli IIII summi pontificis electionem, memini me tibi per epistolam pollicitum esse, omnem operam, diligentiam, studium meum adhibiturum, vt, cum primum liceret, summus pontifex nuntium, iampridem designatum, in istam prouinciam mitteret; id ego nunc, cum tandem a necessariis multis grauissimisque occupationibus respirare coepimus, bona fide me curaturum confirmo: quanquam in ea spe iam sumus, vt antequam tibi meae litterae redditae sint, nuntius iam in prouinciam peruenerit. Ita enim iam parata omnia erant, quae ad eam profectionem illi opus fore videbantur, vt prope in horas singulas confecta illi vna cum litteris & mandatis mitti possent. Quare bono animo te volo esse, atque propediem ex ipso nuntio sperare, isti regno maximum adiumentum allatum iri; id quod ego, cum vehementer, eius salutis causa, cupio atque opto; tum nulla vnquam ratione impediar, aut deterrebor, quo minus omni diligentia, studio, contentione prouideam.

Haec ad te Idibus Quintilis scripseram, pridie antequam episcopus Veronae, nuntius in istam prouinciam designatus, in Germaniam ad principum conuentum, qui Augustae agitur, iussu pontificis proficisceretur; eo consilio, vt quibusdam, quae ad religionem maxime, atque ad reipublicae pacem pertinent, expo-

expoſitis atque tractatis, ad vos ſtatim aduolaret: quare quum tu has litteras leges; iam tibi alteras ab ipſo nuntio redditas fore confido. De Germanis, quos hic ad veram pietatem, catholicamque doctrinam inſtituendos, erudiendoſque ſummus pontifex curat, non video, vt nunc quidem eſt, qua ratione tibi morem gerere poſſim. Sunt enim permulti illi quidem; ſed nondum apti ad formandam iuuentutem: indigent ipſi etiamnum rectore & magiſtro, cum pene omnes adoleſcentes ſint, qui ante biennium erudiri coeperunt. Neque in eo ſodalitio vlli ſunt, qui, niſi deſerto neceſſario hic docendi officio, in alias prouincias mitti hoc tempore poſſint. Qui enim apti ad eiuſmodi munus obeundum erant, iampridem omnes, alius alio, profecti, operam ſuam locauerunt. Quare dum noua examina ſubmitti poſſint, neceſſario erit expectandum. Tu tamen interea non ceſſabis; verum ſummo ſtudio vigilantiaque in eam vnam curam totus incumbes, vt quamplurimos in viam ſalutis reuoces, reuocatoſque tuearis atque confirmes. Ego ſi qua in re prodeſſe tibi, egregiaeque tuae erga veram pietatem religionemque voluntati opem afferre potero; velim tibi perſuadeas, me libenter, atque optima fide omnia eſſe facturum. Vale. Sept. Id. Sextilis MDLV. Romae.

R. D. tuae

frater, *Ja. Cardinalis Puteus.*

V.

Lipomanus Hoſio.

Ex originali.

Docet, mandatum ſibi a pontifice, vt Hoſium vnum ex omnibus obſeruet.

Binas tuas & eas elegantes literas accepi, Pontifex ampliſſime, quibus mirum in modum ſum delectatus. Nam cum

virtus & probitas tua eas habeat vires, vt qui te nunquam viderint, te tamen amare cogantur; quanto ego te inprimis amore prosequi debeo, cui a summo pontifice mandatum est, vt te vnum ex omnibus diligam, amem, & obseruem? Incredibile est, quantam mihi ea de re laetitiam attulerint literae tuae, quantoque ego tui videndi desiderio flagrem. Gratias vero tibi ingentes ago, quod de meo huc aduentu tam amanter gratularis. Vtinam res mihi ex voto succedat. Ego enim hac ingraueſcenti aetate & inualetudine laboranti eo huc animo acceſſi, vt pro christiana republica, pro orthodoxa fide, proque sanctae sedis apostolicae dignitate tuenda, vitam etiam, si opus esset, in hoc regno profunderem. Ego certe officio meo non deero. Faxit Deus Optimus Maximus, vt sereniſſimus iste rex piorum omnium miseras & luctuosas preces non deserat. Quod vero operam meam apud Regiam Maiestatem pro re tua requiris, illud scito, cum puerum ad me tuum miseris, vel Martinus Cromerus animum mihi tuum explicarit, omnia me tua causa libenter facturum. Bene vale, antistes ornatiſſime, & me tui amantiſſimum amare non dedigneris. Datum Vilna, quarto No. Nouemb. LV.

T. Ampliſſimae D.

addictiſſimus

A. Lipomanus,
indignus episcopus Veronensis,
nuncius apostolicus.

Inscriptio.

Reuerendiſſimo in Christo Patri,
Domino Stanislao, Dei gratia episcopo Varmiensi digniſſimo, Domino meo colendiſſimo.

Heilsberg.

ANNO-

ANNOTATIO.

Huius Aloysii Lipomani vitam scripserunt Vghellus [a] et Papadopolus. [b] Natus est Venetiis circa annum 1490. educatus autem Patavii apud Petrum Lipomanum, cognatum suum, canonicum Bergomatem, & archipresbyterum Patavinum, qui deinde episcopus Bergomensis, ac tandem Veronensis factus est. Extincto in Scotia Petro, vbi nuntii apostolici munere fungebatur; Aloysius anno 1538. fit episcopus Veronae. Ablegarunt eum pontifices in Lusitaniam, Poloniam, & ad concilium Tridentinum. Denique Romam denuo evocatus anno 1559. biduo ante Pauli III. obitum ibidem moritur, cum aetatis annum 63. finiisset.

a *In Italiae sacrae to. IV. p. 498. editionis Coleti.*
b *In historia gymnasii Patavini to. II. p. 63.*

VI.

Lipomanus Hosio.

Ex originali.

Invitat Hosium Vilnam.

Pontifex amplissime,

Literis, quas a te superioribus diebus accepi, responderam, sperans, tuum me breui puerum visurum, cui ad te alteras darem, sed cum ille nec dum venerit, statui has ad te quamprimum scribendas. Nam cum nonnulla sint, & ea permagna, mihi tecum communicanda, cuperem mirum in modum te hic adesse. Sunt enim huiusmodi, vt ea non audeam literis committere. Credibile non est, quantum ego in hac communi fidei causa, quam suscepi, consiliis & prudentia tua, quodque maximum est, bonitate confidam. Ego vero ad te libentissime veniissem, nisi me meum, quo nunc fungor, officium apud Serenissimum hunc regem detineret. Nescio enim quam ab eo diuertendi iustam possim inire rationem. Quare, si me amas, cura obse-

obſecro, vt te quamprimum videam. Celeri enim huc tuo nobis opus eſt aduentu. Bene vale, reuerendiſſime in Chriſto pater, tibique perſuade, te a me vnice amari. Datum Vilna. Die XV. Nouembr. LV.

VII.

Lipomanus Hoſio.

Ex originali.

Laudat Hoſii dotes, et eius aduentum anhelat.

Reuerendiſſime in Chriſto Pater,
& Domine mi colendiſſime,

Literas Reuerendiſſimae dominationis veſtrae tertio Id. Nouembris datas accepi, quae quo longiores, eo mihi gratiores extitere. Incredibile eſt enim, quantum me tam boni pontificis literae ſoleant oblectare. Ego vero ad ſingula capita lubenti animo reſponderem, niſi eam me breui viſurum ſperarem. Cum namque proxime his diebus praeteritis literas ad eam dederim, orans, vt ad nos quamprimum veniret, quod multa erant, nec parui ponderis, quae ſuo diutius ſuauiſſimo atque amantiſſimo conſilio ac ſermone carere non poterant; non poſſum non ſperare, eam ad nos cito euolaturam. Quare omnia in eius aduentum differo. Tantum vero hortabor, imo potius obſecrabo, vt ſi adhuc ſe itineri non dedit, ſurgat illico, & ad nos accurrat. Maximum namque omnium erit, omni mora abiecta epiſcopum huc Varmienſem adeſſe. De eo, quod cum Maieſtate Regia, vt reuerendiſſimae dominationis veſtrae voluntati obtemperarem, libentiſſime eram acturus, Vicecancellario & Cromero viris prudentiſſimis, ſuique nominis amantiſſimis eorum hortatu curam reliqui: curaturos autem id egregie polliciti ſunt.

ſunt. Bene vale pontifex ornatiſſime. Datum Vilna IX. Cal. Decembris. LV.

Reuerendiſſime Domine. Poſtquam huc appuli, multa ex compoſitionibus D. V. R. magna cum voluptate legi, nempe caput de traditionibus, epiſtolam ſcriptam epiſcopo Kelmenſi, acta per eam cum ſuis ſchiſmaticis Elbingenſibus. In quibus omnibus ſummam eruditionem cum ſumma pietate & zelo honoris diuini coniunctam repperi. Ego quoque multa quandoque in eas materias congeſſi. Nam & mihi ſemper cum haereticis certamen fuit. Et quia veritas vniformis eſt, nec angulos habet, videor mihi ad aurem cum D. V. R. fuiſſe loquutus. Verum in ea longe redundare video, quae in me deſunt, videlicet dicendi copia abunde tanquam torrens fluens, & antiquorum patrum obſeruatiſſima lectio. Vtinam plures huiuſmodi paſtores ſancta mater eccleſia haberet, qualis eſt reuerendiſſimus dominus meus, forſitan in tot anguſtiis minime nunc verſaretur. Quale ſit autem meum de rebus Polonicis iudicium, quum Dominus meus aderit, exponam, nec credam multum ab eius ſententia diſtare.

IIX.

Lipomanus Hoſio.

Ex originali.

Iterum colloquium expetit.

Literas ad te ſaepius dedi, Pontifex ampliſſime, quibus ſic te euocabam, vt nihil acrius, nihil concitatius fieri poſſet. Sed accidit perincommode, quod te adhuc videre non potui. Tuas ego certe occupationes arbitror hoc tibi officii iter interrupiſſe, nam amoris nunquam eas puto interrupturas. Multa ſunt profecto, quae me hac in cauſa, quam apud Sereniſſimum Re-

gem veſtrum recepi, ſolicitant anguntque, quae mihi videor conſilia ac ſermones tuos nactus facile exhaurire poſſe, at ſolicitudinum mearum aculeos intus occultabo, neque huic epiſtolae atque ignoto tabellario committam. Varſouiam ego cum Rege veſtro ſum breui acceſſurus, ibique ſi fortaſſe aderit, cum R^mo archiepiſcopo Gneſnenſi loquuturus, quem ſi eo in loco minime conuenero, vbicunque erit, ſtatui ad eum me conferre. Vtinam tu mihi his in locis aliquando occurras, te enim inprimis habere cupio, quicum omnia communicem. Illud autem ſcito, congreſſum noſtrum ſummo Pontifici haud mediocrem voluptatem allaturum. Multum namque tua illa praeſtanti pietate confidit. Bene valeat R. D. V. meique huius deſiderii, quo tantopere ardeo, non obliuiſcatur. Dat. Vilnae X Cal. Jan. LV.

IX.

Lipomanus Hoſio.

Docet, maioris Poloniae cathedrales eccleſias reformatione indigere, et Hoſium de quibuſdam in dialogo minus recte poſitis amice admonet.

Reuerendiſſime Domine,
domine mi colendiſſime,

Et dominum Martinum Cromerum libenter vidi, multaque ab eo audiui, quae mihi non diſplicuerunt, praeſertim de aliquali voluntatis regiae in noſtra propenſione, quae iam affulgere videtur, & D. V. Reuerendiſſimae literas non minori iucunditate recepi. Multi enim dies effluxerant, in quibus nihil de ea audiueramus.

Menſe integro Reuerendiſſimus dominus archiepiſcopus & ego peregrinati ſumus, omnes eccleſias cathedrales regni maioris

ris Poloniae viſitauimus, vbi multa inuenimus, quae nec oculis nec auribus meis placuerunt. Omnia reformationem clamant. Sed quid de ea credam, nolo in praeſenti ſententiam meam aperire. Clamans iam raucus factus ſum ſuper hoc negotio. Ex vrbe iam tot menſibus, quibus hic verſor, nihil penitus habeo, niſi vnicam licentiam abeundi. Adhuc reſpondere mihi debent ſuper primo colloquio cum rege facto. Neſcio quid mihi ſignificent hac eorum taciturnitate. Ego tamen, quamdiu hic fuero, non ceſſabo ab officio meo, pro quo miſſus ſum.

Cum capitulis eccleſiarum egimus ſuper remediis huic peſti pullulanti adhibendis, & fuit pene ab omnibus concluſum, quod ſi celebraretur generale concilium, ſi fieret eccleſiae reformatio tam in capite quam in membris, ſi domini epiſcopi officio ſuo intenderent, quod hactenus non fecerunt, nec faciunt, ſi prouideretur de aliquo collegio pro pueris erudiendis, ne mitterentur ad ſtudia Germanica, ſi duo ad minus epiſcopi, boni viri & literati, ſemper in curia eſſent, qui regis lateribus adhaererent, ſi rex hanc ſuam conniuentiam & taciturnitatem iam a ſe explo-deret, & magis Polonus quam Lituanus eſſe vellet, facile hos omnes motus eſſe conquieturos. In his quae mihi ex officio incumbunt, non permittam, quin omnem lapidem moueam, modo praeſtare poſſim, quae intendo, videlicet concilium & reformationem. Nam quid de epiſcopis & de collegiis ſentiam, alias aperiam ſententiam meam. Aduentum regis etiam, quantum poſſum, vrgeo, & de Collegio Poſnanienſi iam fere deſtructo, ſollicito Maieſtatem ſuam, quo autem fructu, adhuc non video.

D. V. Reuerendiſſima iam ſcit, Heluetios pro maiori parte ad eccleſiam rediiſſe, & nouem eorum regiones ex XIII obedientiam papae publice in Conſiſtorio praeſtitiſſe. Vt iam Polonos pudeat, quo tempore aliae nationes ad matris gremium reuertuntur, ab ea ſeceſſum quaerere. Vidi iuſſiones regias vrgentiſſimas recentes contra haereticos emanatas, ſed non video adhuc aliquid per eas praeſtari, niſi parumper terroris. Faciunt hi ſicut aues, quae nidificant in tectis: nam ſi ab vna domo

repellantur, ad aliam vadunt, idque impune, regiique commiſſarii ſatis regis iuſſionibus factum arbitrantur, ſi quod Pinzoſ fieri publice ſolebat, nunc ibi fiat ſecreto, vel alibi.

Parcet mihi D. V. ampliſſima, ſi non operam meam praeſtiti apud reuerendiſſimum dominum archiepiſcopum ſuper materia canonicatus promiſſi. Hac enim in re in conſcientia mea ſcrupulum patior. Semper aduerſatus ſum gratiis praeuentiuis, ſemper de illis tollendis & ab eccleſia penitus eliminandis publice in concilio proclamaui, & per literas cum Romanis pontificibus egi, tum quia per eas votum datur captandae mortis, tum quia ſunt expreſſe a iure prohibitae C. Ne captandae de conceſſ. praebendae. Ideo ne in illam apoſtoli ſententiam turpiter incurrerem, ſi quae deſtruxi, nunc aedifico, nonne me praeuaricatorem conſtituo? ſuperſedi a negotio. Si aliis in rebus aliquid praeſtare poſſum D. V. Reuerendiſſimae, iubeat mihi tanquam ſibi ipſi. Nam virtutibus eius & doctrinae omnia debeo. Vtinam etiam in hoc regno tam apud clericos, quam apud laicos, locum non haberent hae gratiae ad vacaturam. Nam iudicio meo contra nos iram Dei procurant.

Vidi dialogum D. V. Reuerendiſſimae & totum perlegi; vt eſt eruditiſſimus, ita quoque & verus & in omnibus eius partibus amplectendus. Pauciſſima tamen quaedam ſunt, ſuper quibus ea conſiderare parumper dignabitur.

Primum quod ruſticum introducit nihil de theologia profitentem, ſed pauca quaedam a quodam concionatore, vt ſolent agricultores, accepiſſe: aſt mox facit eum abſolutum theologum, & profundiſſima ſapientiae myſteria aperientem. Hoc non ita forte eius perſonae conuenire videtur.

Secundo inniti dicto Vrbani Regii haeretici, quod concilium Epheſinum ſtatuerit, laicos ſub vna ſpecie communicandos, non mihi ita tutum videtur, cum nullus viuentium, quod recorder, aut mortuorum ſcriptorum catholicorum hoc aſſerat. Et duo concilia Conſtantienſe & Baſilienſe de hoc profecto mentionem feciſſent.

Tertio

Tertio bene ponderarem illam auctoritatem: bibite ex eo omnes: num ſatius forte eſſet dicere, fuiſſe tantum impletam in ſolis apoſtolis & eorum ſucceſſoribus ſacrificaturis, non autem dicere, laicis eſſe indifferens relictum, propter aliquos reſpectus, qui nunc occurrunt.

Quarto neſcio an Neſtorius tenuerit, ſub ſpecie panis ſolam Chriſti carnem, & ſub ſpecie vini ſolum Chriſti ſanguinem contineri. Hic libros non habeo, ſed in concilio, vbi haec materia ſatis fuit ventilata, nunquam memini hoc fuiſſe Neſtorio obiectum, nec hanc illius fuiſſe ſententiam.

Quod autem Paulus tertius conceſſerit Bohemis vtriuſque ſpeciei vſum ſub illa conditione, non credo verum, Reuerendiſſime domine, etſi, dum agerem ego legatum in Germania cum meo collega, aliquid ſuper hac re fuiſſet nobis iniunctum, erant fortaſſe ſex conditiones appoſitae, quae effecerunt, vt nullus vellet vtramque ſpeciem ſub illis accipere. Niſi ergo D. V. Reuerentiſſima pro certo hoc habeat de Bohemis a Paulo conceſſum, non dicerem, & quando etiam pro certo haberet, iudicarem hoc tempore potius ſilentio inuoluendum, quam aperiendum. D. V. prudentiſſima eſt, dignabitur ſuper his parumper cogitare. Dialogum ipſum his annexum habebit. Cui me etiam atque etiam commendo. Data fuit opera, vt cum publicatione praeſentis Iubilei, fieret etiam mentio de orationibus pro ſedandis haereſibus faciendis, ſicut D. V. reuerendiſſima pridem deſideraverat. Valeat in domino.

Reuerendiſſimae D. V.

amicus & frater

A. Lipomanus,
indignus epiſcopus Veronenſis,
nuncius apoſtolicus, calamo
volanti & manu propria.
Louitii die prima Iunii MDLVI.

ANNOTATIO.

Dialogus Hoſiii de communione ſub vna, cuius quaedam obelo notanda, aut ſtudioſius expendenda putat Lipomanus, habetur in operibus Hoſianis, anno 1584. Coloniae impreſſis, tomo I. p. 644. Loca heic ſub cenſuram vocata ibi reperiet lector p. 645. 654. 653. Totam hanc epiſtolam non amanuenſis, ſed ſua manu ſcripſit Lipomanus.

X.

Lipomanus Hoſio.

Significat, Paulum IV. Romae concilium congregare velle.

Illuſtriſſime Præſul.

Litteris tuis, quas ſuperioribus diebus ultimo loco accepi, dudum ipſe reſpondi, vix enim ferre poſſum, me abs te eo officii genere ſuperari, cui in mutuo quoque amore minime concedam, ſed mirum eſt, quam ſemper amanter atque officioſe tecum geſſeris. Hodie vero huc ad nos ex urbe Vilna literae allatae ſunt, ex quibus iam ea ſpe ſumus, Regiam Maieſtatem omiſſis venationibus mox ſuo tempore Varſoviam ituram, vrget nanque bellicum negotium, quo ſine polono conſenſu minime, ut audio, decrevit implicari. Jamque altera nobis ſpes eſt iniecta, ſublato Archiepiſcopo illo (ſic nanque accepimus) facile res iſtas componi poſſe, quas Deus bene vertat. Expectamus vero Amplitudinem tuam, denuoque ad ſtatam illam Septembris diem congreſſus ei noſtros indicimus. Interim bene valeat, amoremque mihi ſuum, quem tantopere amo, integrum ſemper incolumemque conſeruet. Ex arce Louitii. III. Auguſti LVI.

totus ex animo addictus

A. Lipomanus.
indignus Epiſcopus Veronenſis
Nuncius Apoſtolicus.

Au-

Audio ſanctiſſimum D. N. velle omnino celebrandum concilium, ſed Romæ, eo præſente, velleque alterum Lateranenſe Concilium habere. Expecto Nuncium hac de re in horas. Quicquid ſcivero, ſtatim D. V. R. ſignificabo.

XI.

Lipomanus Hoſio.

Dolet publicam rerum perturbationem.

Reuerendiſſime in Chriſto Pater.

Binas ab Amplitudine tua eodem tempore litteras accepi, quibus quanta ſit in iſtis locis rerum perturbatio, quantosque ea animi cruciatus ferat, facile perſpicio. Quid ad hæc ipſe? quidem cum tuam vicem doleo, tum communes iſtas miſerias, no minus gemam facere non poſſum, ſed conſtanti magnoque pus eſt animo, nec enim in tam glorioſo certamine fortis athta ſuccumbes. Tuam vero iurisdictionem, amplitudinem & ignitatem cum mihi curæ eſſe non dubitas, perbelle facis. Nam am doctrinæ ac pietati tuæ id inprimis debeatur, tum vero aoris in te mei id proprium munus agnoſco, qui ſic te amo, ut a non certe minus, quam mea curare compellar. utinam tuis i rebus præſto eſſent aliorum mihi voluntates, ſed de iis non abeo, quid certi mihi ipſi poliiceri poſſim, nec enim quæ proittuntur, ea præſtantur. Et quia a Sereniſſimo Rege id imetravi, vt tu quoque ad comitia iſta venire poſſis, agiturque præſente oeconomo tuo per huius Aulæ Marscalcum ac per ſcriam Domini Procancellarii de hoſpitio tibi aſſignando, cætera pæ ad me ſcribis, in adventum tuum reiicio, cumque multa nt præterea mihi tecum agenda, quæ literis tuto committi non poſſunt, cura obſecro, ſi me amas, visque rebus noſtris opportune

tune esse consultum, ut non expectatis comitiis ad nos venias, immo potius accurras. Cum veneris, videbis ipse, quæ rerum sit facies, facileque iudicabis, quid nobis hoc tempore sperandum sit. Vale & sic te Deus incolumem servet, ut ego tibi bene cupio.

Varsoviæ. Die XXIIII octob. LVI.

Interim si ex vestris desperatis aliqui ad me venient, quod vix futurum credere possum, omnia ea agam, quæ mihi mandat R. V. Paternitas. In reliquis, quid ei polliceri possim, habeo nihil, cum illi omnes, qui in sordibus erant, sordescant adhuc, & meo iudicio sordebunt quoque magis, ni Deus ipse ex alto opem ferat.

XII.

Lipomanus Hosio.

Narrat, se Romam rediisse.

Reuerendissime domine,
domine mi colendissime,

Antequam Verona discederem, Phisico Bellacati literas, quas ad D. V. R. mitteret, dedi. Postea vero grauibus illis aegritudinibus & molestiis, quae ob perpessos in itinere labores diu me afflixere, iam diuino auxilio leuatus, Romam me contuli, quo ad XX praeteriti mensis Iunii diem perueni. Hic quoque nonnihil in crure doloris perpessus sum, e quo nihilominus in dies conualesco. Cum autem sanctitatem domini nostri de omnibus legationis meae negotiis certiorem fecero, statim, nisi aliquid aliud ab eo, cui non obedire nefas est, mihi fuerit imperatum, ad ecclesiam meam sum reuersurus. Nudius tertius ad

R. D.

R. D. cardinalem de Puteo viſendi ſalutandique gratia profectus ſum, qui mihi D. V. R. ſicuti per eius literas nuper a ſe receptas intellexerat, bene valere meo maximo cum gaudio teſtatus eſt; pluraque de virtutibus illius eximiis inter nos collocuti ſumus. Illud autem negotium, de quo R. D. V. cum adhuc iſtic agerem, mihi mandauit, data opportunitate quamprimum exequar. Interim me, vt ſolet, amet, atque apud Dominum Deum ſuis precibus iuuet. Datae Romae X. die Iulii M. D. LVII.

XIII.

Lipomanus Hoſio.

Mittit brevia Pauli IV. quibus Hoſius vocatur Romam.

Praeteritis diebus ad D. V. R. dedi literas, quibus ſignificaui, me cum ſanctiſſimo domino noſtro quam honorificentiſſime de ea ſermonem habuiſſe: quippe qui propter eximias eius virtutes, ingentemque fidem & taciturnitatem per me ſanctitati ſuae relatam, propenſiori animo fuit, vt D. V. Reuerendiſſima per literas ſuas (Breuia nuncupata) Romam aſciſceretur: cuius opera tum in generali concilio, quod pace hac vniuerſali, de qua modo agitur, Dei benignitate inita, propediem fore ſperandum eſt, tum in reformandis collapſis eccleſiae moribus, ſanctitas ſua vti velit. Mitto modo breuia ipſa, ſiue binas ſuae Beatitudinis literas, vnas D. V. R. deſtinatas, alteras vero per eam Maieſtati regiae reddendas. Suum igitur erit, vt his redditis, illiſque perlectis, Sereniſſimae Regiae Maieſtati nomine ſuae Beatitudinis impertiatur ſalutem, ab eaque gratam receſſus ſui veniam expoſcat, quam haud dubito benigne ſibi permiſſuram. Supereſt modo, vt iuxta ſanctiſſimi Domini noſtri voluntatem reuerendiſſimum dominum meum commoneam, vt iis omnibus confectis, rebuſque ſuis compoſitis, nulla adhibita mo-

ra, Romam quantocyus aduolet. Interim Deum omnipotentem precabor, vt ſoſpitem ac incolumem D. V. R. ad nos quam citiſſime perducat, vbi laeto hilarique vultu dextram dextrae iungere valeamus. Datum Romae quarto Calendas Nouembres 1557.

XIV.

Puteus Hoſio.

Commemorat, quae Pius IV. ab Hoſio, nuntio ſuo in aula caeſaris, fieri velit, gaudetque Maximilianum, Bohemiae regem, eucharistia ſub vna ſpecie vſum eſſe.

Reuerende admodum in Chriſto frater. Ex proximis tuis litteris, quae mihi ſeptimo Idus redditae ſunt, cognoui te incolumem, firmumque Viennam peruenisſe: non tamen aequo eſſe animo, propterea quod nulla adhuc a pontifice mandata miſſa eſſent: quae tibi neceſſaria exiſtimabas fore ad probandum profectionis tuae conſilium, teſtandamque pontificis voluntatem. Ego certe tua cauſa, eoque nomine, tuli eam rem moleſtiſſime: cupiebam enim te in prima cum caeſare congreſſione iis inſtructum eſſe, quae & tibi ornamento forent, & ipſius caeſaris animum ad religionis tuendae ſtudium accendere poſſent. Sed ea tamen ſpero te pro tua prudentia attuliſſe, quae neceſſaria & oportuna erant: tibi enim cauſam ſuam agenti ſuppeditauit Deus omnem & rerum & verborum copiam, ac facultatem. Quamquam autem ad me nihil ſcripſiſti de Maximiliani regis egregio facinore, catholicorum morem in communione ſub vna tantum ſpecie cum tota familia ſecuti; cum tamen ex tuis litteris me praeſente, ac res tuas procurante, reuerendiſſimus Cardinalis Auguſtanus eam rem pontifici recitaret, non minore gaudio ſum affectus, quam quo ipſe ſummus pontifex affe-

ſtum ſe eſſe ſumma cum voluptate declarauit: in qua re cum
nas Deo gratias egit; tum caeſaris pietati plurimum tribuit.
re gaudeo primum reipublicae cauſa, meliorem aliquando
n nobis dari inſtaurandae catholicae religionis: deinde gra-
r tibi, ſub cuius aduentum haec ipſa proſpere ceciderunt.
vt ad res tuas redeam, actum eſt a nobis cum ſummo pon-
e de mandatis, numiſque tibi curandis; is vtriuſque rei per-
ndae munus reuerendiſſimo Morono delegauit: quare cu-
t apud eum Auguſtanus, vt poſthac tibi ſuppeditentur men-
ae penſiones, & mandata mittantur; quae tamen pontifex
valde neceſſaria putabat eſſe: quum nihil in iis futurum ſit,
ter duo illa ſumma capita, quorum id eſt primum, vt caeſa-
horteris, vt pro ſua pietate in ſummo catholicae religionis
culo praebeat ſe talem, qualem anteacta ipſius vita poſtulat,
e imminens chriſtianae Reipublicae diſcrimen. Alterum
, vt ipſius pontificis, totiuſque ſenatus ampliſſimi eam ſciat
ſententiam, & votum; vt primo quoque tempore ea praeci-
ſit principum omnium cura, & cogitatio, vt vndique ex or-
hriſtiano epiſcopi ad oecumenicum concilium conueniant;
tandem aliquando, Deo adiuuante, componantur diſſidia,
ntur ſchiſmata, & omnes vnum ſentiant: ad eam autem rem
iciendam maximum eſſe in caeſaris voluntate, & ſtudio mo-
tum, atque adiumentum poſitum, facile omnes intelligimus.
c ipſa per te curari, & perfici omnia prudentiſſime poſſe exi-
anit ſummus pontifex: eaque de cauſa de mandatis mitten-
nihil fuit ſollicitus. Nunc curabuntur omnia diligenter ab
uſtano; atque in ea re polliceor tibi me quoque omnem
am poſiturum. Vale, & Cromerum meo nomine ſalutabis.
a. V. Id. Maii. M. D. LX.

Eiuſdem D. tuae admodum reuerendae

Frater *Ja. Cardinalis Puteus.*

XV.

Cardinalis Borromaeus Hosio.

Nuntium Pii IV. nomine instruit, quid eum facere oporteat in causa redintegrandi concilii, nec non archiducis cum regina Elisabetha matrimonii, aliisque conspicui momenti rebus.

Reuerende in Christo Pater et domine hon.

Accepi his proximis diebus breues literas D. Tuae, quibus significabat & se incolumem Viennam peruenisse, & quantis beneuolentiae signis atque honoribus Caesarea Maiestas aduentum eius exceperit. Id omne Sanctissimus D. N. magna cum animi voluptate cognouit, multoque maiore litteras legit D. Tuae ad Reuerendissimum Cardinalem Augustanum eodem ipso tempore scriptas, in quibus de evcharistia sumpta ab Sereniſſimo rege Boemiae optabilem nuntium afferebas, cuius rei gaudium parum sane durauit, cum deinde in literis ad Sanctitatem suam, & ad me VI. Nonas Maias datis, nullam de ea re facias mentionem: ex quo suspicari licet, eum nuntium de evcharistia sumpta verum non fuisse. Nunc vt ad eas literas respondeam, scito, Sanctitati suae cognitu fuisse gratissimum primum id, quod in transitu egisti cum Illustrissimo Duce Bauariae, cuius pietas, atque religio magnam certe laudem meretur: deinde id, quod & cum Caesarea Maiestate & cum Sereniſſimo rege Boemiae prima ipsa congressione feciſti, vehementerque Sanctitati suae placuisse ea duo prolixa scripta, quae ad nos manu tua exarata singularis prudentiae, excellentiaeque, doctrinae, & veri zeli plena misisti. Itaque speramus ex hoc bono semine, quod sparsisti, laetum, vberemque prouentum, dignumque ea optima voluntate, qua te isthuc misit Sanctitas sua. Quod in hac re omne consistit, si Sereniſſimum regem Boemiae lucrifeceris, qui postquam tibi tam humaniter, tantaque cum amoris, atque obser-

feruantiae erga Sanctitatem ſuam ſignificatione reſpondit, dubitare non poſſumus, quin tua ſedulitate, & diligentia, Caeſareaeque Maieſtatis potiſſimum opera, conſilio, exemplo in veram ſalutis viam & ipſe regrediatur, & ad alios in eandem viam reducendos propugnator noſter, atque adiutor futurus ſit. Tu hac in re quaecunque expedire videbuntur tibi officia renouabis, omnia prius cum Maieſtate Caeſarea communicans, deinde iuxta conſilium imperiumque eius illa adminiſtrans. Si enim ita feceris, pro certo habet Sanctitas ſua nullo modo errare te poſſe. Reliqua quae in tuis litteris continebantur, haec tria poſtulata tua erant, facultates, pecunia, inſtructio. Facultates iam multos abhinc dies ad te miſſae erant, quas non ſane ſanctitas ſua reformare curauit, ſciens te pro modeſtia, prudentiaque tua ita caute illis, & temperanter vſurum, vt non modo nemo ſcandalum incurrat; ſed multi in fide, & deuotione erga hanc ſanctam ſedem aedificentur. Quo magis tu curare debebis, ne quid a quoquam praeter honeſtam ſcripturae mercedem exigatur. Pecunia multo prius tibi curata eſſet, ſi quis hic adfuiſſet, qui id fieri poſtularet, vt ſtatim inſtante Bernardino Olgiato factum eſt, cui mandatum ad praefectos rei numariae dedi, exſoluendi ei tuo nomine ducentos ſcutatos aureos menſtruos ab Cal. Maias per omne tempus legationis tuae. Quare amplius dubitare non potes tuam tibi pecuniam menſtruam defuturam. Quod ad inſtructionem attinet, arbitrabatur, volebatque Sanctitas ſua mandata illa ſufficere, quae tibi verbo dederat in diſceſſu tuo. Nunc quoniam tantum inſtas, vt ea ſcripta habeas, ea quinque dicit fuiſſe, primum de Sereniſſimo rege Boemiae, qua de re ſatis explicatam ſuperius habes voluntatem, deſideriumque ſanctitatis ſuae; ſecundum de concilio, quod ſanctitas ſua celebrare in animo habet, ſummeque deſiderat, ſi & Maieſtas Caeſarea & reges chriſtianiſſimus, atque catholicus pari mente, & voluntate conſenſerint, qua de re nondum certus eſt ſanctiſſimus D. N. Sed cum fuerit tum ad ſummouendas omnes alias difficultates, omnes controuerſias, quarum interuentu res in longum ſaepe

differtur, conſtituit Sanctitas ſua reuocare ſuſpenſionem olim factam de concilio Tridentino. Non enim tunc diſſolutum concilium, ſed duntaxat ſuſpenſum fuit, qua ſuſpenſione ſublata intelligetur ſcilicet Tridenti perſeuerare concilium, qui certe locus toti Europae commodiſſimus eſt. Quod ſi poſtea is locus omnibus non placuerit, non propterea Sanctitas ſua opus tam ſanctum turbari ſinet, ſed matura examinatione ſua, itemque Caeſareae Maieſtatis, & principum aliorum, atque concilii, deliberabit, vtrum & quo expediat id transferri. Haec dicta ſint tibi, & ad tuam inſtructionem, & vt ea etiam Caeſareae Maieſtati inſinuare poſſis, quam volumus, vt omni ſuo cum commodo, & ſponte ſua veniat ad hoc concilium expetendum ac poſtulandum. Satis enim videtur Sanctitati ſuae animum ei ſuum, & intentionem declarare. Tertium de matrimonio, quod tum tractabatur inter Archiducem Auſtriae, Angliaeque reginam: quod matrimonium perſiſtente in ſchiſmatis obſtinatione regina, non poſſet non diſplicere ſanctitati ſuae. Eſſet enim id manifeſta pernicies illius boni & catholici aduleſcentis, qui ſi amorem eius ſibi lucrifacere vellet, ipſe ſe fallere ac perdere cogeretur. Contra ſi Regina ad agnitionem Dei, ſanctaeque huius ſedis rediret, nihil magis placere poſſet Sanctitati ſuae, quam hoc matrimonium. Ac per huius rei occaſionem, hoc ſcire te velim, conſtituiſſe Sanctitatem ſuam mittere ad reginam nuntium ſuum, temptatum, ſi qua eam poſſit ab errore remouere, & in viam veritatis inducere. Quam ad rem tractandam & conficiendam cupit etiam Sanctitas ſua fauorem, & auxilium Caeſareae Maieſtatis accedere, ſcribereque eam ad ſuum illic legatum, vt nuntio illi apoſtolico omni officio ſuo, atque omni ope adſiſtat, neque ei in quoquam deſit, quod is ab eo requirat. Quia vero eius nuntii diſceſſus breui futurus eſt, poteris primo quoque tempore cum Caeſarea Maieſtate de hoc agere. Caeterum quod iſthic fertur, reginam illam ſecretarium ſuum ad ſanctiſſimum D. N. miſiſſe, merum mendacium eſt.

Quartum de coronatione, qua de re vetat te Sanctitas ſua a te

te ipſo ſermonem inſtituere. Sed ſi de eo Caeſarea Maieſtas tecum prior loqueretur, tum ei dices, habere te perſuaſum, Sanctitatem ſuam libentiſſime ſemper facturam, quaecunque ad honorandam Maieſtatem ſuam, ſatiſque ei faciendum ſpectabunt, teque ad ſanctitatem ſuam ſcripturum, quicquid tibi Maieſtas ſua iniunxerit, reſponſumque hinc, & Sanctitatis ſuae ſententiam expectaturum.

Quintum de cauſa Barienſi, cuius expeditionem Sanctitas ſua cupiebat ſua etiam interceſſione cordi eſſe Maieſtati ſuae, quando iam duo reges Hiſpaniae & Poloniae eam iudicem legerunt, neque aliud quicquam petant, quam ius ſibi adminiſtrari. Sed hoc officium cum omni modeſtia fiat. Nihil enim omnino expetit Sanctitas ſua, puod maieſtati eius incommodet.

Haec tota eſt materia mandatorum Sanctitatis ſuae, quae cuncta quoad rationem tempuſque tractandi, iudicio tuo prudentiaeque creduntur. Interim non omittam ad te mittere horum duorum ſcriptorum miſſorum ex Germania exempla, quae tibi ad maiorem inſtructionem, atque rerum intelligentiam ſeruient, cum certe expediat ſcire te ea, quae nunc contingit agitari. Mittimus etiam eorum exemplum Camerinenſi epiſcopo, in regno Poloniae nuntio. Sane hortatur te Sanctitas ſua, vt des operam, quo bene tibi in omnibus conueniat cum Bauariae duce: qui Sanctitati ſuae ſignificari fecit, non expedire aperiri concilium, antequam conuentus Germaniae, qui proxime futurus eſt, fiat, ad quem etiam auctor eſt legatum apoſtolicum eſſe mittendum. Potes & de hoc conſulere Caeſaream Maieſtatem, & quid ei videatur, ad nos ſcribere. Ego me tibi ex toto corde offero, Deumque ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum precor, vt te incolumem conſeruare, ſanctaſque actiones tuas proſperare dignetur. Romae. XVIII. Maii. M. D. LX.

His iam ſcriptis redditae ſunt ſanctiſſimo D. N. aliae literae D. V. & eius manu ſcriptae, in quibus etſi non adſcriptus eſt dies, quo datae ſunt; colligitur tamen eſſe recentiores illis, quibus

bus hiſce reſpondimus: verum cum D. Jacobus S. Sanctitatis cubicularius, & praeſentium exhibitor expectare non poſſit, reſponſum eis alias dabimus, commendantes interea & prudentiam & diligentiam D. V. Animaduerſum eſt enim diligenter, quod notis ſecretioribus ſignificauit. Valeat iterum D. Veſtra.

R. D. V.

vti frater

Carolus Cardinalis Borromeus.

Reuerendo in Chriſto Patri, tanquam fratri hon. D. Stanislao, epiſcopo Varmienſi, ſanctiſſimi D. N. & ſedis apoſtolicae apud Caeſaream Maieſtatem nuntio.

ANNOTATIONES.

I. *Series temporum & periodorum concilii Tridentini.* II. *Delineatio vitae Caroli, cardinalis Borromaei.*

I.

Cum cardinalem, Carolum Borromaeum, incredibili dolore affecerit, Romanam ſui temporis eccleſiam in tam miſera fortuna verſari, isque de redintegrando Tridentino concilio nova conſilia ſtudioſiſſime ceperit, ac illud prae aliis omnibus ſingulari ſua induſtria vigiliisque maxime promotum iverit; videtur nobis vtile futurum eccleſiaſticae hiſtoriae amantibus, qui has eius epiſtolas intelligere volent, ſi vitae eius delineationi periodos dictae ſynodi vno velut obtutu deſcriptas praemitteremus.

Concilii vniverſalis, quod eccleſia Chriſti occidentalis iamdudum efflagitaverat, invitis Gallo et Anglo, [a] anno 1533. ſpem fecerunt certiſſimam Carolus V. et *Clemens VII.* Bononiae, quo ſe vterque contulerat. Caeſaris epiſtola ad circulos Germaniae octavo, papae illa X. Ianuarii data, ac ſine mora typis publicata fuit etiam in lingua Germanica. Vtriusque promiſſionis, ſine denominatione anni et loci futuri conventus factae, exemplar nobis in promtu eſt.

Vita

a *Raynaldus annalibus eccleſiaſticis anno* 1533. *n. I.*

Vita functo Clemente anno 1536. concilium *Mantuae*, anni sequentis mense Maio habendum, indicebat *Paulus III.* [b] Sed quia ei ac Duci Mantuano de praesidio vrbi imponendo, deque iurisdictione parum conveniebat; pontifex peculiari diplomate, anno 1537. XX. Maii evulgato, prorogavit concilium vsque ad initium novembris, nullo interim conventus loco nominato. [c]

Anno eodem, edito die VIII. octobris edicto, concilium *Vicentiae*, in Venetorum territorio, ad calendas Maias anno 1538. congregandum publicat, ac legatos in tempore eo mittit, mox autem Romam revocat, producitque synodum vsque ad pascha anni 1539. [d]

Tandem anno 1542. die XXII. Maii bulla, tum etiam Germanice versa, conuocat concilium Tridentinum mense novembri, in festo omnium sanctorum, [e] initium sumturum. Bulla indictionis in conciliis, iussu regis Lutetiae editis, habetur tomo XXXV. p. 357. Verum cum pauci oratores & episcopi advenirent; anno 1543. dimittit patres Tridenti otio diffluentes, ac suspendit concilium. Anno autem 1544. die XIX. novembris novo diplomate restaurat illud, die XV. Martii anno 1545. auspicandum. [f] Quamobrem hoc anno die XIII. decembris prima sessio Tridenti celebrata est praesidentibus Ioanne Maria de monte, Marcello Cervino, et Reginaldo Polo, cardinalibus ecclesiae Romanae.

Anno 1547. Tridento *Bononiam* translata synodo ibi primam sessionem, quae nona est, celebrarunt patres die XXI. Aprilis. At anno 1549. a Paulo III. iterum suspensa est.

Iulius III. qui Paulo successerat, anno 1550. XVIII. Kalendas decembris concilium in longos annos extractum redintegravit, reduxitque Bononia Tridentum. Bulla resumtionis extat tomo X. conciliorum Harduini, columna 68. vbi significatur, Kalendis Maiis 1551. deliberationum initium fore. Sed aliquot sessionibus sub Iulio celebratis, inter quas XVI. vltima est, ob bellum Mauritii Saxonis, cuius exercitus a Tridento non longe aberat, anno 1552. denuo dissoluta ac suspensa est synodus. Decretum suspensionis recitat Pallavicinus L. XIII. cap. 3. n. 4.

Sub *Marcello II.* paucorum dierum pontifice, & *Paulo IV.* suspensa mansit, ne vnica quidem congregatione habita. At *Pius IV.* anno pontificatus sui primo,

[b] *Pallavicinus hiſtoria concilii Tridentini L. III. cap. 19. n. 10.*
[c] *Pallavicinus L. IV. cap. 4. n. 1.*
[d] *Sauvis L. I. p. m. 67. hiſt. concilii Trid.*
[e] *Pallavicinus L. III. c. 17. n. 9.*
[f] *Pallavicinus L. V. cap. 4. n. 19-20. cap. 6. n. 7.*

primo, nimirum 1560. tertio Kalendas decembris reſtauravit ſynodum, eique novem ſeſſionibus, ſe pontifice celebratis, quarum vltima, id eſt, XXV. tertio et quarto decembris inſtituta eſt, anno 1563. finem impoſuit, confirmavitque acta anno 1564. VII. Kalendas Februarii. g

II. Carolus Borromaeus, vir excellenti ingenio ac virtutibus rariſſimis praeditus, cuius vitam Ioannes Petrus Iuſſanus, theologiae doctor, ſcripſit in Hiſpanicam, Gallicam, Polonicam, etiam anno 1615. in Germanicam linguam translatam, ex Pii IV. ſorore natus eſt anno 1538. Mediolanenſis patritius. Cum inſignia doctoris iuris in academia Ticinenſi aſſecutus eſſet, quibus eum Franciſcus Alciatus donaverat; ab avunculo ſuo, Pio IV. qui eum omnium conſiliorum ſuorum participem et adminiſtrum eſſe volebat, vocatur Romam, ac mox archiepiſcopus Mediolanenſis, et initio anni 1560. cardinalis creatur, cumulaturque tot ſacerdotiis ac divitiis, vt ſplendore fere regio vitam inſtitueret. h Vivendi finem fecit Medialani anno 1584. aetatis 47. Paulus V. eum Kalendis novembris anni 1610. in baſilica beati Petri ſanctorum canoni adſcripſit his verbis: *Bonae memoriae Carolum Borromaeum, de cuius ſanctitate vitae, ſinceritate et miraculis plene conſtat, praeſentium tenore ſanctum eſſe definivimus, ac ſanctorum confeſſorum pontificum catalogo adſcribendum decrevimus, prout praeſentium tenore decernimus et adſcribimus, illumque omnes fideles venerari mandavimus et mandamus.* Conſtitutio habetur in codice canonizationum a Iuſto Fontanino Romae anno 1729. edito, numero 83. p. 291. In martyrologio Romano die IV. novembris haec de eo habentur: *Mediolani ſancti Caroli Borromaei cardinalis, et eiusdem civitatis epiſcopi, quem ſanctitate conſpicuum et miraculis clarum Paulus V. in ſanctorum numerum retulit.* Extat in editis Hoſii epiſtolis ſeptuageſima tertia ad Borromaeum, & octogeſima ſexta Borromaei pro Hoſio ad regem Sigismundum Auguſtum. Sed quas hic publicamus, omnes ineditae ſunt ac originales, multumque lucis concilii Tridentini hiſtoriae afferent. Vere enim ſcribit Petramellarius continuatione ad Onuphrii vitas pontificum, Bononiae anno 1599. in lucem emiſſa, p. 263. concilium Tridentinum praecipua Borromaei opera maxime celebratum ac finitum eſſe.

g *Confirmatio habetur to. X. conciliorum Harduini col.* 194.
h *Ita Oldoinus loquitur to. III. col.* 891.

XVI.

Puteus Hoſio.

Certiorem facit de miſſis pontificis mandatis et procuratis numis.

Reuerende admodum in Chriſto frater. Accepi ante biduum litteras tuas, quas mihi perferendas Cromerus curauit: ex quibus cognoui, te etiamnum ſollicitum de mandatis ac nummis expectare, quid futurum ſit. Ego heri cum Reuerendiſſimo Morono multis verbis egi, vt cauſam tuam tueretur: atque ille mihi iam omnia curata eſſe confirmauit: nec mandata tantum eſſe miſſa; ſed etiam de pecunia menſtrua numeranda tranſactum hic cum Olgiatis mercatoribus: quorum opera tibi ſine mora iſtic repraeſentabitur. Reddidi pridie litteras tuas Pontifici: nec mihi ille quicquam communicare potuit; erat enim aliis negotiis impeditus: quum erit plus otii, dabo operam, vt deſcribendis tua, aut ſcribae tui manu litteris, quid maxime velit, ſciamus. De Valentini tui re ſatis arbitor ſcriptum: perſequatur ius ſuum quoad adipiſcatur ſacerdotium. Quod addidiſti de Vergerio, monuiſtique, vt a quibuſdam cauerem, fuit mihi quidem permoleſtum: nam ab altero nihil omitti, quo dignitatem tuam, exiſtimationemque laedat, non libenter audiui; alterum autem non in eadem eſſe ſententia, qua nos, bonique omnes ſumus, antehac nunquam mihi venit in mentem ſuſpicari. Sed haec alias. Habes omnia, quae poſtulabas: reliquum eſt, vt facultatibus tibi conceſſis ita vtaris, vt non aliorum exempla, ſed ſanctiſſimam ſententiam tuam ſequaris: in eaque ſpe, quam optimam de te omnes concepimus, ita nos confirmes, vt nihil tua virtute & probitate illuſtrius, nihil perfectius fieri poſſe fateamur. Vale. Roma XV. Cal. Iunii M. D. LX.

XVII.

Cardinalis Borromaeus Hoſio.

Galliae regem nationale concilium indixiſſe, quod, vt rem, ex qua pernicioſum ſcandalum oriri poſſet, maturando concilium oecumenicum, Pius IV. exiſtimet antevertendum.

Reuerende in Chriſto Domine,
tanquam frater honorande.

XV. Cal. Junias reſcripſi ſane copioſe ad omnes litteras Reuer. Dominationis Tuae; quae epiſtola oratori Caeſareae Maieſtatis data eſt. In ea inter alia continebantur nonnulla de concilio; quodque ſanctiſſimus Dominus noſter in animo habebat tollere ſuſpenſionem concilii Tridentini: quod concilium, vt noſſe debes, ſuſpenſum, non extinctum fuit. Sed antequam hoc faceret, volebat hoc ab ſe poſtulari per Caeſaream Maieſtatem, eamque omni cum commodo ſuo, & propenſione voluntatis ad hunc actum deuenire. Sed quia deinde cognitum eſt, Chriſtianiſſimum Francorum regem conſtituiſſe celebrare concilium nationis ſuae; idque ad ſex menſes proximos indixiſſe: conſiderans ſua ſanctitas, quanti id ſcandali vniuerſo populo chriſtiano, quamque mali eſſet exempli, decreuit, celebratione vniuerſalis oecumenicique concilii nationale illud praeuenire. Atque, vt omnes controuerſias, quae vel ſuper loco concilii, vel ſuper eius aperiendi ratione oriri, remque tam ſanctam nimis differre poſſent, praecidat; nullam aliam neque breuiorem, neque tutiorem viam inuenit ea, quae ſupra dicta eſt: vt ſcilicet, ſuſpenſione ſublata concilii Tridentini, illud continuare permittat. Quod quidem certum, deliberatumque Sanctitati ſuae eſt, dummodo ad hanc rem adſenſum habeat & placitum caeſareae Maieſtatis, ſine quo ſuper tanta re, tantique momenti, quicquam ſtatuere neque vult, neque poteſt, neque debet.

Proinde

Proinde iniungit tibi Sanctitas ſua, vt ſtatim, cum has acceperis, hoc omne cum caeſarea Maieſtate communices, eamque hortere verbis Sanctitatis ſuae, vt huic eius ſententiae de tollenda ſuſpenſione Concilii accedat: quod & Maieſtati ſuae placiturum confidimus & - - - poſtulatum eſt, breuique reſponſum expectatur. De eo autem, quod Caeſareae Maieſtati placuerit, certiorem ſtatim facito Sanctitatem ſuam litteris tuis, quas per nuntium dedita opera abs te per diſpoſitos equos mittendum, omnique cum diligentia & celeritate venturum ad me mittes, vt primo quoque tempore ad rem tam laudabilem, tam ſanctam, tam neceſſariam quieti totius populi Chriſtiani, & auerſioni tam pernicioſi ſcandali, quod ex concilio illo nationali poſſet exiſtere, veniatur. Confido nulla in re defuturam tuam ſolitam dexteritatem atque prudentiam; ideo plura non dixerim. Tantum me tibi ex animo offero. Deus ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus te ſeruet incolumem. Romae VII Cal. Junias 1560.

Eiuſdem Reuer. D. Tuae

vti frater

Carolus Card. Borromeus.

ANNOTATIO.

Totam hanc de Gallorum concilio nationali conuocando conſultationem, cui rex, Franciſcus II. Catharina, regis mater, ac multi proceres interfuerunt, hiſtoriarum ſui temporis libro XXV. in anno 1560. copioſe deſcribit Thuanus. Inter alia haec expendenda proponebantur: neminem non ſcire, quantos labores Carolus V. in concilio procurando ſuſceperit, & quibus ludificationibus in hac re vſi ſint pontifices: morbum, cui remedium quaereretur, tam acutum eſſe, vt minime expectandum ſit, dum medicus e longinquo accerſatur: ad nationale concilium recurrendum eſſe, quod rex publicis literis pollicitus ſit: non eſſe hoc a regni conſuetudine alienum, cum conſtet, concilia ſingulis quinquenniis olim in Gallia moris fuiſſe.

Territaſſe hanc deliberationem aulam Romanam, ſatis apparet ex hiſce Borromaei epiſtolis. Nulla enim toto orbe chriſtiano eccleſia reperitur, quae

tantum ſibi adſumat in monendis pontificibus, quantum Gallicana, ſua antiqua libertate vſa, epiſcopis ſuis tribuit. Igitur obverſabatur Borromaeo ante oculos, quod Matheum Pariſienſem notaſſe tradit Caſpar Egraſſius Bulaeus tomo III. hiſtoriae vniverſitatis Pariſienſis p. 185: Franciam minitatam fuiſſe, ſe, niſi feſtinarent (*cardinales anno 1243. in eligendo pontifice*) propria autoritate, privilegiis apoſtolicis fultam, Galliarum Papam, ſeu patriarcham, nominaturam & conſtituturam. Fortaſſis Borromaeo & illud in mentem venit, quod Paulo II. cardinalem Portuenſem in faciem dixiſſe Iacobus Picolominus, * cardinalis Papienſis, autor eſt: *beatiſſime Pontifex, ſurget nobis non expectantibus aliquando regnum illud* (Galliae) *in nos, ferre vltra non valens inutile miniſterium noſtrum, & grande aliquod negotium ſedi tuae exhibebit.*

* *Epiſtolis Picolomini, Mediolani anno 1506. cum regis Galliarum privilegio impreſſis, folio 59.*

XVIII.
Puteus Hoſio.

Viennam ſcribit de colloquio cum pontifice in laudem Hoſii habito, deque impetrato ei in legatione ſtipendio menſtruo.

Commodum ante biduum accepi litteras tuas, cum ad ſummum pontificem proficiſcerer; quare & valde delectatus ſum tuo commodo, & ſummo pontifici ea de cauſa tuo nomine maximas gratias egi; rogauique vehementer, vt eam voluntatem erga te perpetuam praeſtaret: quod ille ſe facturum liberaliter recepit, cum multa de te honorifice prius dicta eſſent. Quare gratulor tibi ſtipendium non modo ſingulis menſibus perſolutum iri, ſed etiam largius, atque liberalius: quod tibi video tanto gratius accidere, quanto ab ea ſpe longius abfuiſti. Ego omni ſtudio dignitatem tuam, & commoda ſemper tuebor: tu fac, vt, quod ſedulo curaſti adhuc, catholica religio magnum per te adiumentum ſentiat. Vale, & meo nomine Reuerendiſſimo archiepiſcopo, & Cromero ſalutem plurimam dicito. Roma Calen. Iunii M. D. LX.

XIX.

XIX.

Puteus Hoſio.

Commendat ei prouidentiam cautionemque in ſcribendo.

Reuerende admodum in Chriſto frater. Ex proximis litteris tuis Vienna ad XVI. Cal. Iunii datis; quae mihi VIII. id. redditae ſunt cum actionibus ſecretarii, cognoui mearum litterarum partem iam peruenisſe, ſperoque reliquas etiam ad te deinceps perlatas eſſe: quod facile colliges ex tuarum litterarum numero: reſcripſi enim ad te, (vt puto) quoties tuas accepi: ſed venio ad proximas. Ego quod te ſoleo amice monere, nolim exiſtimes eo conſilio a me fieri, vt te a libera ſcribendi ratione deterream, praeſertim ad amicos; quorum tibi magnum vbique numerum illuſtris tua dignitas, ſuauiſſimi mores, inprimiſque ſingularis pietas, atque eruditio facile compararunt: ſed vt cautius, tectiuſque, etiam ad me ipſum, ſcribas. Multa enim accidere poſſunt, vt litterae intercidant: atque ea de cauſa quaedam leuiter per litteras attingenda eſſe cenſeo: quorum cum certi tabellarii, hominis amici, ac ſpectatae etiam fidei, datur occaſio, quae obſcuriora putabimus eſſe, declarare ſine vllo periculo poſſumus. Sed haec hactenus: noui prudentiam tuam, qua te non - - quaecunque acciderint, ſapientiſſime curaturum. Facultates, quas petis, omnes mittuntur: tua enim cauſa ea res curata diligentiſſime fuit. Caetera ex Leonardi litteris cognoſces. Ego iam (quadriennium puto) legeram actiones ſecretarii: idemque de auctore libelli iudicium meum fuit: quamquam fieri poteſt, vt hominis perditiſſimi commentum alii tribuendum verius ſit. Quae curanda a me hic erunt, dabo operam, vt intelligas, te in ſcribendo non fruſtra laboraſſe. Vale, & me plurimum Caeſari commendato: Archiepiſcopo vero Gneſnenſi, atque Cromero meo nomine multam ſalutem dicito. Roma. VI. id. Iunii M. D. LX.

XX.

XX.

Otho, Cardinalis Auguſtanus, Hoſio.

Autor eſt nuntio, vt ſi leuia aduerſus haereticos remedia non proſint, in religionis negotio corpus vrendo ſecandoque liberet a contagionis periculo.

Reuerendiſſime Domine,
frater mihi honoratiſſime.

In tuis ad me literis XIIII Calen. Junii datis facile elucet tua ſingularis & pietas in Deum, & hominum charitas. Maximum ſane vtrumque chriſtianae, atque adeo epiſcopalis virtutis argumentum. Neque enim in perturbatione religionis ſine acerrimo ſenſu doloris ferre potes & Dei contemptionem, & tot exitium animarum. Quam ob rem vere tu quidem ea ac ſapienter deploras: quod etſi minus multi faciunt, tamen id omnium eſt officium, qui Chriſtiani vocantur: omnium item partes, (quod pie ac prudenter admones) pro viribus Dei gratiam precibus, ac votis reconciliare; ſed paucorum, & omnino tua intereſt, iſti reipublicae parti periculoſe aegrotanti facere medicinam, quam depromas licet ex diuinis artibus, id eſt, ex doctrina ac prudentia tua, qui diuino conſilio a Chriſti vicario tantae curationi praepoſitus es, vt lenibus primum remediis, deinde, ſi minus illa proſint, vrendo ac ſecando, vel repraeſentes ſalutem totius corporis, vel integra membra liberes a periculo contagionis. Hinc viribus, hinc conſiliis juuabere, ſi res poſtulet; quibus cum nulli vnquam ſuo vicario Chriſtus defuerit, tum minime huic deerit prompto, & parato ad ſubeundum omne diſcrimen pro catholicae fidei dignitate. Praeſenti igitur animo opus eſt; quo te vigere intelligo: minime vero diffidendum in re Chriſti, quae interdum inclinata videatur, ſed tum maxime reſiſtendum aduerſariis eodem illo duce, qui, quo potiſſimum tempore gubernatores

natores ſanctiſſimae nauis fortunae impetum vix videntur poſſe ſuſtinere, mari ac ventis moderatur. Idem enim eſt ille fortis, ille inuictus, ille miſericors; de cuius (id quod te praeclare interdum commemorantem audiui) neque potentia, neque benignitate, nulla eſt facta diminutio: qui, ſi ſaepius alieniſſimis imperatoribus, inimiciſſimis regibus, infeſtis populis, paucis denique epiſcopis verae fidei defenſoribus hoſtium conſilia diſperdidit, ac diſſipauit, quid nunc facturum ſperare debemus; hoc praeſertim pontifice maximo, hoc imperatore, his regibus in eccleſiae Romanae veritate tuenda, & conſeruanda coniunctiſſimis? tantum nihil diſſimulandum eſt, nulla in re conniuendum, quae praeceptis eccleſiaſticis & inſtitutis aduerſetur, quorum auctoritas eſſe debet, potiuſque id eligendum malum, quod bonum putes, quam id, quod certo ſcias eſſe bonum, non tuendum. Sed haec tu melius, cuius domi iſta naſcuntur; quem Dei ſpiritus excitauit ad agendum iſtic cauſam ſuam; cuique nunc praeſcribet, quae agenda erunt, vt olim ſcribenda dictauit. Quod ita eſſe comprobat perditorum ſpirituum in te concitatus furor, quorum quot in eundem te ſunt maledicta, totidem eſſe duxeris triumphos tuos. Atque iſtum quidem nouum exagitatorem legationis tuae, veterem vero & ſuae ſalutis proditorem, & deſertorem alienae, eſt quod gaudeas eodem tibi ore maledixiſſe, quo antea Sancto Gregorio Papae maledixerat. Non enim eſſe poteſt hoſtis eccleſiae, ac pontificum maximorum, & tibi bellum non indicere. Sed iſtos ipſos nefarios ſpiritus facile patior fremere, te pontificium legatum eſſe, cuius opera ſe ex eorum animis, quos occupauerant, euellendos intelligunt. Sed haec vniuerſe, illa proprie. De poſtulatis ſynodi Salisburgenſis nihil adhuc cognoui: nam valetudine impeditus heſternum concilium, quo eram vocatus, obire non potui. Sed eas literas miſſurum te dixit ad me reuerendus Dominus Ptolemeus. Legam igitur diligenter: & adhibitis (vt ſcribis) piis & eruditis viris, te eorum meaeque ſententiae participem faciam. Feciſti tu humaniter, vt omnia, qui literas meas red-

dideris Caeſareae Maieſtati, quae cum mihi ea tribuat, quorum nihil agnoſco praeter egregiam voluntatem, ſuae potius dat teſtimonium benignitati, quam dignitati meae. Sed omnino magnam vim habent ad meum ſtudium & officium incitandum. Iuit ad me Procurator tuus cum informata facultate capitum, quae poſtularas: confecta igitur ad te dabuntur primo cuique tabellario. Caniſium deſiderat res Auguſtana, vel potius flagitat, quem grauiſſimo hoc eius ciuitatis tempore, ſi non id prorſus iſtic incommode fit, eodem remittas, vehementer velim. Vale. Romae VI. idus Iunii MDLX.

Reuerendiſſimae D. V.

deditiſſimus frater

Otho Cardinalis Auguſtanus.

Reuerendiſſimo Domino, Stanislao Oſio, epiſcopo Warmienſi, Sanctiſſimi D. N. ac ſanctae ſedis apoſtolicae apud Caeſaream Maieſtatem internuncio, fratri mihi hon.

Viennam.

ANNOTATIO.

Vitam Othonis Truchſeſs de Waldpurg, Auguſtae Vindelicorum epiſcopi ac cardinalis, in Suevia nobilibus parentibus progeniti, Oldoinus additionibus ad vitas pontificum Ciacconii tomo III. columna 692. Carolus Stengelius commentario rerum Auguſtanarum parte II. capite 66. et Georgius Ioſephus Eggs in nimis craſſo, ſed pleno fabularum et adulationis centone, quem purpurae doctae titulo inauravit, deſcripſerunt quidem, annum autem nativitatis eius neutiquam annotarunt. Studiis humanioribus Tubingae delibatis peregre abiit, ac varias academias, Dolenſem in Gallia, Bononienſem etiam, ac Patavinam in Italia frequentavit. In Germaniam reverſus canonicatum Auguſtae, Tridenti autem decanatum adeptus, paulo poſt Romam ſe contulit, vbi inter intimos Pauli III. cubicularios recipitur, atque anno 1543. a pontifice, congregandi concilii

cilii ergo, nuntius ad Noribergenſem ſtatuum Germanicorum conventum mittitur. Eodem anno fit epiſcopus Auguſtanus, & anno 1544. cardinalis presbyter. Interfuit comitiis pontificiis in electione Iulii III. Pauli IV. Pii IV. et Gregorii XIII. Societatis Ieſu promotor, tutor, patronusque ſummus fuit, ac tandem Romae anno 1573. mortuus eſt, annos natus LVIII. Vix dici poteſt, quo ſtudio ſedem Romanam coluerit, laudarit, ac defenderit, Tridentinumque concilium promotum iverit. Sed ſi cetera teſtimonia deſint, ſatis id appareret ex adiecto hic eius mandato, quo bullam ante paucos dies Romae ſcriptam quam ocyſſime publicavit.

OTHO Miſeratione Divina Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Tt. Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis, Epiſcopus Auguſtanus, Præpoſitus & Dominus Elvvacenſis, Vniuerſis & ſingulis Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Prioribus, Archidiaconis, Decanis ruralibus, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, ſeu eorum vicariis, Monaſteriorum ordinum quorumcunque tam virorum, quam mulierum Prouincialibus, Miniſtris, Prioribus, Vicariis, Guardianis, Abbatiſſis, Prioriſſis, Magiſtris, Matribus, nec non fratribus S. Iohannis Hieroſolymitan. Beatæ Mariæ Teuthonicorum, ſancti Spiritus, & S. Anthonii Commendatoribus, Præceptoribus, exemptis & non exemptis, cæteriſque verbi diuini Concionatoribus, & cunctis Chriſti fidelibus per Ciuitatem & Diœceſim noſtras vbilibet conſtitutis, & veſtrum cuilibet, Salutem in Domino, & Apoſtolicæ ſedis gratiam humiliter amplecti. Noueritis, quod nuper ſanctiſſ. in Chriſto pater & Dominus noſter, Dominus PIVS diuina prouidentia Papa IIII. Bullam quandam plenariæ Indulgentiæ, & ampliſſimarum facultatum Chriſti fidelibus vniuerſi orbis, Deum pro pace Chriſtianorum Principum conſeruanda, hæreſibus extirpandis, ac ſacro generali Concilio proſequendo pie precantibus, conceſſarum, nobis communicarit, huiuſmodi ſub tenore.

PIVS Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Aſcenſurus in cœlum Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & nobiſcum ex præcipuo amoris feruore vſque ad conſummationem ſæculi manſurus, cum ante paſſionem & mortem ſuam beato Petro Apoſtolorum principi, quem ſuum in terris Vicarium dimittere intendebat, cœleſtis regni claues conferendo, plenamque ei poteſtatem, ut quicquid ſuper terram ſolueret, & in cœlis ſolutum eſſet, tradendo, ouium ſuarum curam commiſit, & volens dum in hoc mundo peregrinamur, etiam quoad

corpora, ſuae in nos charitatis & pietatis memorabile aliquod ſpecimen nobis dimittere, nihil charius vel præcioſius dimittere potuit, quam pacem, auribus noſtris eam pluries commemorando. Nos itaque eius (licet immeriti) vices gerentes, & exemplum ſuum, quantum humana fragilitas patitur, inſequendo, gregis ſui nobis commiſſi ſalutem, tam quoad corpora, quam quoad animas toto animi affectu deſiderantes, videntesque quod omnipotens Deus iam diu nobis ob delicta noſtra iratus, cernens ex flagellis, quibus nos ſuperioribus annis bellicis tumultibus, & per manus infidelium flagellauit, nos non ſolùm ad cor non rediiſſe; ſed in peccatis obſtinatiores effectos fuiſſe, Chriſtianos principes mutuis inter ſe cladibus affici, ac Rempublicam Chriſtianam ab hæreticis, inconſutilem Domini tunicam ſcindere ſatagentibus, vndequaque perturbari permiſit: ut ſic nos moneret, quòd ſi non reſipiſceremus, iam non vnius ciuitatis aut caſtri, vel etiam vnius Regni occupationem aut deuaſtationem, ſed totius Chriſtianitatis afflictionem experiremur: Statuimus, prout in hoc noſtri Pontificatus initio cogitationes noſtras ſemper direximus, & ſemper directuri ſumus, quantum in nobis erit, rei Chriſtianæ afflictæ & laboranti ſub morum diſciplinam prolapſam reſtituere, & rempublicam Chriſtianam multum perturbatam, quietam quidem reddere, ac ſacrum œcumenicum & generale iam diu indictum, & ex certis tunc expreſſis cauſis ſuſpenſum Concilium, adiuuante domino, proſequi. Et propterea ſperantes ieiuniis, eleemoſynis, & orationibus concitatam in nos diuinam iram placare: ac conſyderantes quòd ad vnius preces diuina miſericordia non concedit, id etiam aliquando multiplicatis interceſſionibus elargitur: & ſacris literis edocti ieiunio, & fletu, ac orationibus in pura fide, & ſyncera charitate factis, Dei iram placari, ac eius gratiam conciliari conſueuiſſe: Idcirco nos ex parte Omnipotentis Dei omnes & ſingulos vtriusque ſexus Chriſti fideles, tam in alma vrbe noſtra, quam quibuscunque Regnis, Dominiis, Prouinciis, Ciuitatibus, oppidis, Terris, & locis per vniuerſum Chriſtianum orbem conſtitutos

ſtitutos monemus & hortamur in domino, ut poſtquam præſentes ad eorum notitiam peruenerint, ad dominum Ieſum Chriſtum humili corde conuerſi, conſcientiam ſuam ſtudeant diligenti examine diſcutere, & ad puriſſimam peccatorum ſuorum confeſſionem deuenire, ac quarta & ſexta feriis, nec non die Sabathi eiusdem, vel alterius immediatè ſequentis hebdomadæ ieiunent, aut orationibus, aut eleemoſynarum erogationibus, ſeu aliis piis operibus, iuxta eorum conſcientiam, ſiue ſacerdotum, quibus peccata ſua confidebuntur, ſalutare conſilium, vacent, ac die Dominico, dictum diem Sabathi immediatè ſequenti, ſacratiſſimam corporis domini noſtri Ieſu Chriſti Euchariſtiam reuerenter & deuotè ſuſcipiant: Deumque ex intimis cordis enixè orent, ut ipſos Chriſtianos principes in pace & firma concordia confouere & conſeruare, hæreſes omnes extirpare, eosdemque hæreticos, ac ſchiſmaticos ad Catholicæ fidei vnitatem reducere, ac per nos cæptam reformationem, & bonorum morum in Eccleſia reſtitutionem, nec non Sacri œcumenici Concilii prædicti celebrationem adiuuando proſequi, & ad ſalutarem perfectionem & exitum perducere pro ſua benignitate & clementia dignetur. Vt autem Euchariſtiam ipſam tranquilliori conſcientia recipere valeant, nec ab hoc abſolutionis difficultate retrahantur, & ut eorum oratio quanto puriori animo fiet, tanto ad impetrandam miſericordiam & gratiam diuinæ bonitatis acceptior ſit, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſuprà dictis, ut confeſſorem presbyterum ſecularem, uel cuiuſuis ordinis regularem eligere ualeant, qui confeſſionibus eorum diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet à quibuſuis eorum delictis, quantumcunque grauibus & enormibus, etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, etiam in Bulla, quæ in Cœna Domini legi conſueuit, contentis, & à cenſuris quas propterea incurrerint, hac uice duntaxat abſoluere, & pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem eis iniungere, ac uota quæcunque per eos emiſſa (caſtitatis & religionis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare poſſit, Apoſtolica authoritate indulgemus. Et inſuper omnibus

& ſingulis Chriſti fidelibus ſupra dictis, qui præmiſſa adimpleuerint, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri ac Pauli Apoſtolorum eius Authoritate confiſi, plenariam omnium & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in domino concedimus & elargimur. Vt autem præſentes literæ ad omnium notitiam deueniant, omnes venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum prælatos in domino monemus, ac eis in virtute ſanctæ obedientiæ iniungimus, ut cùm primùm ipſæ literæ, ſeu earum tranſſumptum manu alicuius prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſubſcriptum, ad eos peruenerint, literas, ſeu tranſumptum huiuſmodi vbique per eorum prouincias, Diœceſes, & Eccleſias ſyncera charitate abſque vllo quæſtu publicent, & publicari faciant, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ. M. D. LX. octauo Calend. Aprilis, Pont. noſtri Anno primo.

Cæ: Glorierius Barengus.

Nos igitur OTHO Cardinalis & Epiſcopus ſuprà nominatus, ſanctiſſimi domini noſtri monitioni, requiſitioni et iniunctioni præmiſſis obedire volentes, ac attendentes etiam Iudulgentiarum ſanctiſſ: inſtitutum à primitiua vſque Eccleſia ad nos manaſſe, earumque theſaurum atque vſum Catholicæ Eccleſiæ, in conſueta eius forma vtilem valde, adeoque ad conſeruandam pœnitentialis fori rationabilem æquitatem, neceſſarium nonnunquam eſſe: Idcirco authoritate ac iuſſu præfatis, vobis omnibus & ſingulis ſupra ſcriptis mandamus, vt Apoſtolicarum literarum præſens tranſſumptum, quàmprimum ad vos, aut veſtrum quemlibet peruenerit, in Eccleſiis, Capitulis, Parochiis, Congregationibus, & conuentibus veſtris frequentioribus ſyncera charitate & ſine vllo quæſtu publicetis, publicari, atque in parochialibus, aliiſue Eccleſiis publice proponi & affigi faciatis, atque vniuerſos, quorum animæ curæ ueſtræ commiſſæ ſunt, piè, feruenterque admoneatis, ut poſt publicationem per vos faciendam, quarta & ſexta feria, necnon die Sabathi ieiunent, vel orationibus & eleemoſynis, ſeu aliis piis operibus, iuxta eorum conſcientiam, ſiue ſacerdotum, quibus peccata ſua confitebuntur, ſalutare conſilium, vacent, ac die Dominica, Sabbathi diem imme-

immediatè ſequenti, ſanctiſſ. corporis domini noſtri Ieſu Chriſti Euchariſtiam deuotè percipiant, & Deum ardenter orent, quatenus inter Principes Chriſtianos pacem nuper conceſſam conſeruare, hæreſes uniuerſas miſericorditer amouere, ac ſacri Oecumenici Concilii celebrationem, conſummationem, & executionem pro ſua benignitate iuuare atque perficere dignetur. In quorum omnium & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes literas iuſſimus excudi, & ſigilli noſtri appreſſione munitas, per dioeceſin noſtram emitti, Dilingæ 24. Aprilis, Anno a Chriſti natiuitate M. D. LX.

XXI.

Borromaeus Hoſio.

Docet legatum, quomodo cum Caeſare de concilio agendum ſit, timetque, ne Maximilianus, Bohemiae rex, ſe penitus Lutheranum profiteatur.

Ab XXVI. Maii vſque in hunc diem non ſcripſimus D. Tuae, quamuis ab ea complures acceperimus litteras; tum quia aliis occupationibus diſtrictus ſanctiſſimus dominus noſter huic negotio vacare non potuit; tum quia, cum ſupra dicta die ad te ſcripſiſſemus de eo, quod ad bonum publicum pertinet, magiſque cordi eſt ſanctitati ſuae, quam caetera omnia, id eſt de celebratione concilii; nobis videbatur omne momentum negotiorum in ea, quam ad nos ſuper hac ipſa re mitteres, reſponſione conſiſtere: reliqua vero omnia non incommode aliquantulum poſſe differri, ſaltem donec ſanctitas ſua ſuper eis conſultius deliberaſſet. Nunc ſcito recepiſſe nos litteras tuas datas XIII. die, item XVIII & XXIII. Maii, cum exemplo litterarum congregationis Saltzburgenſis; & hodie quoque nobis redditas eſſe alias tuas Cal. Juniis datas: ex quibus omnibus ſanctiſſimus Dominus noſter, quaecumque ſunt agitata, cognouit, tuamque & diligentiam & in rebus gerendis animaduerſionem probauit.

Cae-

Caeterum quod ad congregationem Saltzburgenſem attinet; maxime commendauit Sanctitas ſua ea, quae illi reuerendiſſimi principes ſuper coniugio, & communione ſentiunt; nullam maiorem aeſtimans ab eis deſiderari poſſe pietatem, affectionemque circa diuinum cultum, ſanctaeque huius ſedis obſequia, quam quantam oſtenderunt: quia vero eorum reuerendiſſimis dominationibus tam male inde reſpondetur, vnde remedium his ſcandalis adhiberi & debebat, & poterat; nullum aliud eis conſilium dari poteſt, niſi vt ipſi modo fortes atque conſtantes in eorum ſancto catholicoque propoſito perſeuerent; neque vllo pacto ſe induci ſinant ad aliquid concedendum contra conſtitutiones eccleſiae, donec ab concilio generali, adiuuante Domino, remedium aliquod ſit inuentum. Interim ages cum Caeſarea Maieſtate, vt de ſua ſuper concilio ſententia & voluntate nos faciat certiores; quo ſanctiſſimus dominus noſter primo quoque tempore ſuſpenſionem Tridentinam poſſit tollere; id quod ſanctitati ſuae omnino facere decretum eſt, ſi Caeſareae Maieſtati placuerit, pro ſalute quidem totius populi chriſtiani, ſed maxime Gallicae nationis, vbi ſi concilium nationale permitteretur, manifeſtae inde initium cladis exiſteret.

Quod conſuluimus congregationi Saltzburgenſi de nulla re concedenda, niſi ex diffinitione concilii; id tibi eadem opera dictum puta, vt idem ſerues erga ſereniſſimum regem Boëmiae; & omnia ad concilii generalis voluntatem, ſententiamque reiicias: interim teneri ſuam regiam maieſtatem ad obſeruanda praecedentium decreta conciliorum, quae non conuenire, neque poſſe mutari, niſi per aliud ſimile concilium; cuius arbitrium erit, quid debeat, poſſitque concedi. Qua in re ne animus regis ſubuerſus exaſperetur, comiter humaniterque tibi cum eo agendum eſt, tum quia periculum eſt, quod & ipſe ſcripſiſti, ne ſe penitus Lutheranum profiteatur, tum vt mos geratur caeſareae maieſtati, quae hoc deſiderare ſe oſtendit. Ipſum ſereniſſimum regem te adire, denuoque curare vt audiaris, non diſplicet; quando in iis, quae ad Dei cultum, obſequiumque pertinent,

nent, nunquam nimia humilitate, patientiaque vti poſſumus: ſed ſi poſtremo intelligeres, ita eum auerſo eſſe animo a nobis, vt te nolit audire; ſuffecerit te caeſareae maieſtati debitas excuſationes dare, ſi poſthac regi moleſtus non fueris: quod ſi inciderit ſuam regiam maieſtatem Vienna abire, tum eum ſequi ne cures; niſi forte tibi certiſſima ſpes lucrifaciendi eius affulſerit. Et quia rebus tam remotis, tamque ab noſtra cognitione longinquis, haud ſane certum tibi conſilium dari poteſt, proinde omnia ſanctitas ſua prudentiae dexteritatique tuae relinquit, haud dubitans, quin in ipſiſmet, quibus interes, rebus conſilium capere ſcias. In ſupra dictis litteris diei XXVI. ad te ſcripſimus, vt reſponſionem, quae tibi a Caeſarea Maieſtate ſuper rebus concilii data eſſet, ad nos mitteres per nuntium dedita opera miſſum diſpoſitis equis, quanta maxime poſſet adhiberi celeritate: quod idem his quoque litteris dicimus; earumque ſuperiorum litterarum exemplum, ſi quid forte eo opus ſit, mittimus. Tu ſolita diligentia tua huic negotio ne defueris; quod quanti ſit momenti, ipſe iam noſti.

Quod ad pecuniam victus tui attinet; taedet me dicere, mercatorem non bene intellexiſſe; ſemper enim de ſcutis ducentis, non de trecentis loquuta eſt ſanctitas ſua, quemadmodum & Cardinalis Moronus, & tu ipſe ſcis: ſcio te pro tua modeſtia his ducentis contentum fore, ſaltem ne antiquus modus, & conſuetudo huius aulae immutetur, nunquam ſolitae aliis, qui iſtam legationem geſſerunt, maiorem ſummam attribuere. Tuque remunerationem tuam in maioris momenti rebus ab ſua ſanctitate expectare debebis, atque haec minima contemnere. Nihil nunc aliud habeo quod dicam; niſi quod ſanctiſſimus dominus noſter tibi ſuam benedictionem tranſmittit; ego vero me ex animo offero, rogans Dominum Deum noſtrum, vt te quam diutiſſime conſeruet & proſperet. Romae XX. Iunii M. D. LX.

Eiuſdem R. D. tuae vti frater

Carolus Cardinalis Borromeus.

Reuerendo in Chriſto Patri, tanquam fratri honorando, D. Stanislao, epiſcopo Varmienſi, ſanctiſſimi Domini noſtri & ſedis apoſtolicae nuntio apud Caeſaream Maieſtatem.

ANNOTATIO.

Maximilianus II. in Hiſpania licet cum Caroli V. filio, Philippo, educatus, & ab anno 1548. quo Caroli filiam, Mariam, in matrimonium duxerat, iterum toto triennio in Hiſpania commoratus, tamen ab ineunte aetate ſuſpicionem nimiae erga evangelicos lenitatis movit, ob hanc praecipue cauſam, quod, vt Spondanus [a] narrat, Lutheranas ad populum conciones nonnunquam audiret. Caeſar factus, vt idem Spondanus notat, conſtans quidem in religione Romanae eccleſiae perſtitit: at ditionibus ſuis in Germania cultum Dei publicum iuxta confeſſionem Auguſtanam indulſit.

Quamobrem Pius quintus, cum ei renuntiatum eſſet, Maximilianum provinciis ſuis haereditariis Auguſtanam confeſſionem conceſſiſſe; abſque mora cardinalem Commendonum ad eum miſit, qui apoſtolica autoritate illi denunciaret, *pontificem omnibus execrationibus, eccleſiaſticiſque poenis in eum animadverſurum, ipſumque privaturum imperatoria maieſtate, atque catholicis principibus in eum convocatis, novum imperatorem creaturum, niſi eiuſmodi decretum, ſi factum eſſet, illico reſcidiſſet.* [b] De eius in imperatoria dignitate ſtudio, quod conceſſioni calicis evchariſtici, & coniugii ſacerdotum navavit, poſt alia multa haec commemorat Thuanus libro xxxix. anno 1565: *Cum videret in Boëmia praecipue, & Pannonia ſuperiore, paſſim fremere homines, quod de calicis in coena vſu, & coniugio ſacerdotum, quod a concilio Tridentino expectaverat, ſibi non ſatisfieret; vt eos placatiores & paratiores ad omnia haberet, ipſe apud pontificem vrgebat, vt promiſſa, quorum ſpem Ferdinando & ſibi a pontifice per cardinalem Moronum, dum concilium vrgeret, factam meminerat, tam neceſſario tempore repraeſentarentur; nec abnuebat omnino pontifex, cuius poteſtati hoc negotium a concilio indeciſum permiſſum fuerat.*

a *Annalium Baronii continuatione an.* 1564 *n.* 29. *an.* 1576. *n.* 14.
b *Gabutius in vita Pii V. L. III. cap.* 6.

XXII.

Borromaeus Hoſio Vindobonam.

Narrat, Pii IV. animum offenſum eſſe regis Maximiliani in cauſa Lutherana duritie, fratrum eius in ſedem Ro. pietate gaudio maximo afficitur, conceditque facultatem legendi libros haereticos.

Poſtremæ meæ ad te litteræ datæ ſunt die vigeſimo menſis huius: poſtea recepi tuas datas quinto, & duodecimo, cum alligata eis ſcheda manu tua ſcripta, ſuper ſermone, quem habuiſti cum rege Boëmiæ.

Vehementer diſplicet ſanctiſſimo domino noſtro durities, obſtinatioque ſerenitatis ſuæ; cuperetque vel ſanguinis proprii detrimento iniri poſſe rationem eius molliendi, & in rectam ſemitam reducendi: ſed pro Dei ſeruitio, proque honore, & dignitate ſanctæ eccleſiæ catholicæ, aliud ei reſpondendum non videtur, neque concludendum, præter id quod ipſe feciſti; inque eo in poſterum perſtare debebis, verbis tamen quam molliſſimis vtens, & amore ac charitate pleniſſimis; vt ſi fieri poſſit, loco eius quod facere vellemus lucri, maior certe iactura ne fiat. Ab ſanctiſſimo domino noſtro nullum te aliud arbitror in hac re expectare mandatum, ſed pro tua prudentia eam aduerſus ſereniſſimum regem excuſationem prætendes, quæ differendæ rei magis conuenire videatur: interimque expugnationem animi eius multiplici ratione temptabis; ea ſemper cum Caeſarea Maieſtate communicans, quae tibi communicanda pro vtilitate negotii videbuntur.

Quod expectabas reſponſionem dandam congregationi Saltzburgenſi; ſatis tibi factum eſſe arbitror per ſupra dictas litteras diei vigeſimae; neque ſuper ea re quicquam in praeſentia mihi videtur eſſe repetendum. De inſtantia, quam ſanctiſſimus dominus noſter pro celebratione concilii Caeſareae Maieſtati face-

re te volebat, qua de re complurles ad te ſcripſi; ſi quidem mandatum exequutus es, non eſt quod nimium amplius ſatagas: ſufficit enim ſanctitati ſuae, vt poſtquam in ea re bonam voluntatem ſuam aperuit, promptamque eius exequendae rationem, quae tibi ſuperioribus litteris ſcripta eſt; expectet nunc, vt maieſtas ſua eam ſententiam amplectatur, quam ei dominus inſpirare dignabitur. Itaque iubet te ſanctitas ſua, ſine vlla in poſterum compellatione Maieſtatis ſuae, expectare, quid ei, & quando reſpondere libuerit.

Sanctitati ſuae ſane quam gratum fuit, duorum ſereniſſimorum archiducum erga hanc ſanctam ſedem pietatem, deuotionemque cognoſſe: nec te ad hoc adhortandum putat, vt eos ad permanendum in incaepto, procedendumque confirmes; cum id ipſum facere caput negotiorum tuorum ſit, & maximum ac potiſſimum obſequium, quod a bonitate & diligentia tua ſanctitas ſua expectat: ſed ſicut hanc rem ſpes vtique eſt nihil difficultatis habituram, ita Domino Deo noſtro placeret, Sereniſſimum eorum principum fratrem, eadem cum ipſis ſorte comprehendi: quod ſi fieret, maior ea certe eſſet acceſſio, maius lucrum, quam vllum aliud, quod eccleſia Dei facere poſſet hoc tempore; quod quamuis durum atque difficile, non tamen penitus deſperandum eſt.

Breue facultatis legendorum abs te librorum haereticorum, concedendaeque aliis licentiae, iam ad te miſſum eſt: idque antequam hae tibi litterae redditae fuerint, ad te arbitror peruenturum: ſed ſi forte tardaret, potes ſine ſcrupulo id facere ex ea facultate, quam diſcedenti tibi ſanctiſſimus dominus noſter verbo dedit. Atque hic, ſi te certiorem fecero, accepiſſe me duo volumina in Germania impreſſa, & quoad ſalarium tuum menſtruum ſufficere ea dixero, quae in litteris meis ſupra dictae diei vigeſimae ſcripſi; erit praeſentium litterarum finis. Dominus noſter Ieſus Chriſtus te diu ſeruet incolumem. Datum Romae die XXIX. Iunii. M.D.LX.

XXIII.

XXIII.

Otho, Cardinalis Auguſtanus Hoſio, Roma Viennam.

Refert, literas Hoſii in ſenatu lectas et probatas eſſe, ac deſiderat concilium anxie.

Magno in dolore, quo afficior, iis difficultatibus, quae quotidie aliae ex aliis iſtinc afferuntur, me conſolatur grauitas & altitudo animi Sanctiſſimi D. N. magnaque voluntas eius, concilium vt habeatur. Hanc ſententiam cum is antea ſemper prae ſe tulit, tum heri luculenter expoſuit recitatis tuis literis, tibique ſumma patrum approbatione tributo teſtimonio fidei, diligentiae, prudentiae ſingularis. Praeclarae igitur literae, praeclarae actiones tuae, de quibus quo minus proprie aliquid ſcribam, impedior officio. Sed ad omnia habebis ab ipſo pontifice maximo, cui eam mentem a Deo datam eſſe, tam neceſſario eccleſiae tempore concilium vt haberi velit, in tantis, vt dixi, incommodis mirifice laetor. Satis enim mihi videtur eſſe ad rem conficiendam certa voluntas, neque tantopere requirenda facultas hominum in Dei cauſa, quam ſi expectamus, ecquando dabitur? quando impedimenta, morae, cauſae non obſtabunt? an certi ſumus fore, vt proferendo concilio libentibus, aut certe infirmioribus haereticis id aliquando habeatur? Vtinam ne lenibus his remediis malum exulceremus. Quod ſi mature & acriter curatum eſſet, ſanam & ſaluam fortaſſe rempublicam haberemus. Mihi quidem dubium non eſt, quin haec peſtis tempore ſerpat longius, & indies magis reſpuat medicinam. Non hic ſenſus, non haec ratio fuit maiorum noſtrorum, quibus omnia poſteriora fuerunt Chriſtianae fidei ac pietatis integritate, qui ſaepe armis, ſaepius ſuo ſanguine, ſemper re ac ratione pauci innumerabiles, inopes locupletiſſimos hoſtes fregerunt. Qui, ſi cunctati ac tergiuerſati eſſent, quomodo pernicioſa illa haereſium capita, tamquam acutiſſimis

conciliorum gladiis, quibus ſepta ac munita viget eccleſia, fuiſſent amputata? Deſcendebant in cauſam Ieſu Chriſto pleni, inanes a reliquis rebus omnibus, & vna fidei vi vincebant. Nos inſtructiſſimi reliquis rerum adhuc adiumentis, ſed minore, quam illi, fidei praeſidio, niſi illorum exemplis admoniti reſipiſcamus, verendum eſt, ne breui caetera ſubſidia deſideremus. Nam fieri nullo pacto poteſt, vt perturbata fidei ratione, re vel priuata vel publica incolumi diutius frui poſſimus. Haec ad te ſcripſi, quem hoc languore multorum in tanta neceſſitate concilii intimis angi ſenſibus intelligo, vt agas id, quod agis, id eſt, hortere, incites Principes chriſtiani nominis inſigni tua iſta pietate & facultate ad conſenſum concilii, hoc tam pio, tam animato, tamque, ſi reliqui non deſint, parato duce, Sanctiſſimo D. N. a quo quidem tibi nihil defuturum eſſe ſcito, quod iſtic religioni neceſſarium aut opportunum cenſueris. Nam ad eius propenſum animum in tuam virtutem atque prudentiam, cum reliquorum Cardinalium, tum mea inprimis tibi debita diligens commendatio ſemper accedet. Vale Romae III Id. Iulii MDLX.

XXIV.

Puteus Hoſio.

Laudat Staphyli de diſſenſionibus haereticorum indicem.

Duabus tuis epiſtolis breuiter reſpondebo. Accepi a Leonardo confeſſionis librum Viennae nuper impreſſum: qui mihi gratiſſimus fuit; nec minus etiam gratus accidit index, ſiue ordo, & ſeries tota, cum ſucceſſionis haereticorum noſtri temporis, tum etiam diuiſionum inter ſe: quod ego opus Staphyli, hominis diligentiſſimi, atque eiuſce rei peritiſſimi plurimi aeſtimo; curaboque, vt collegae mei eam ingenioſam Staphyli diligentiam perlegant. De Pragenſi negotio idem ſentio; quare

re quum primum in ſenatu de eo referetur, dabo operam, vt mature conficiatur. Quod autem commendaſti mihi canonici Poſnanienſis cauſam, ea qualis ſit, neſcio: neque enim Ticinius quidquam adhuc mihi indicauit; ſed tamen quum ſciam, perficiam vt omnes intelligant, tuam commendationem apud me plurimum ponderis habuiſſe. De ratione nummaria pro tua prudentia quod aequum, atque ex vſu tuo fuerit, ſtatues. Neque enim hic ego, aut quiſquam alius, poſſumus de ea re tibi amplius aliquid polliceri. Tu ſi quid honeſte, ac ſine prouincialium offenſione, putabis ex tuis facultatibus confici poſſe, vnde commode familiae ſumptus ſuppeditetur: poteris tuo iure vti. Vale, & meo nomine omnibus ſalutem dicito, atque adſcribito. Roma. III. Non. Auguſti M. D. LX.

XXV.

Otho, cardinalis Auguſtanus, Hoſio Roma Viennam.

Multa de neceſſitate concilii: quaedam de habendo cum rege Bohemo colloquio, & de Cithardo Romae ornando.

Ego nihil arbitror melius iſtic fieri poſſe, ne tempore quidem opportunius, quam ex aequo, e ſuperiore loco, in omni congreſſu, & colloquio principum, demonſtrare ipſis, quanta ſit neceſſitas habendi concilii, quanta vtilitas conſecutura eam rem, quae Dei gloriam, quae ſalutem hominum maxime contineat: neque vero, ſi ea vox, aut moleſte auditur ab aliquo, aut ne auditur quidem, non eſt libere mittenda pro Chriſto, & pro chriſtianae eccleſiae dignitate, quae quidem vox, vt nunquam iucunda accidat nonnullorum auribus, grata poteſt accidere, & vtilis animis, diuino interdum ad id numine conformata. Praeclara igitur, vt ſcribis, oratio Bitontini epiſcopi de concilio habendo; cui de eo velim meo nomine gratias agas, & vi-

& virum currentem hortere, vt in tam ſalutari campo excellentem ſuam animi, & ingenii vim exerceat. Tu quidem pie & prudenter experiris, & tentas omnia, vt cum rege colloquare, neque propter eam cauſam, quam ſcribis, adhibere potes grauiorem interpretem, quam clariſſimum virum, Scipionem Archicomitem, quod ſane munus per eum facile, ſpero, & grauiter obibis. Illud certe modeſte de te, non etiam vere commemoras, ne tempus fruſtra conterere videare. Scimus, nullam eſſe horam tui temporis inanem a ſapienti vel actione, vel cogitatione officii tui. Habet omnem laudem ſuperior ille tuus cum rege ſermo, ipſo inprimis praedicatore tuae laudis pontifice maximo, cuius ſermonis occaſionem ſi iterum nactus fueris, ſperamus etiam meliora. Illa vero, quae me laetitia extulerunt, quanti ſunt? pueros, qui priuatim erudiuntur, reuocata per te veteri conſuetudine, & in ſacris, & in ſupplicationibus frequentes intereſſe? Sacerdotes canonicos ſanctiſſimum Chriſti corpus proſequi priſtino more? nefarium ſacrificulum ex iſtis locis amotum eſſe? agere nunc de collegiis moderandis? Nauaſti, mihi crede, operam, qui iſto veneris, & ieciſti, quantum in te fuit, fundamenta concilii. Opus ego quidem minime deſpero abſolutum iri. Vides ex omnibus meis literis plenum eſſe ſpei bonae, etiamſi & multi & multa aduerſentur. Multum pono in doctrina & innocentia tua, cui conſilium, cui animum non defuturum ſcio: non parum in Caeſare; plurimum in Dei vicario, totum in Deo, quem niſi confiderem, cauſam tuam, quae a quibuſdam, qui tueri acerrime deberent, vel aperte oppugnatur, vel verbis modo ſubleuatur, defenſurum eſſe, nihil eſſet, quod me in hac vita delectaret. Cytardi pii laboris, & ſalutaris induſtriae vti ratio hic aliqua habeatur, pro viribus enitar. Tuae miſereor difficultatis, cuius liberalitati, nedum neceſſitati liberalius ſubueniendum eſſet. Sed vt proxime ſcripſi ad te, pecuniam tibi decretam, ſupplementi cuiuſdam nomine, quaecunque ea eſt, puto, iam accepiſti. Illud extremum, quo periculoſe veniendum eſſe ſcribis, non cenſeo defugiendum, ſi ſpes aliqua ſit, rem chriſtianam

nam ea ratione melius agi poſſe: ſin minus, nihil fruſtra, praeſertim cum periculo, committendum. Sed omnia pro ſingulari tua prudentia, pro re, & pro tempore moderaberis. Vale. Romae XVII. Calen. Septembris. M. D. LX.

XXVI.

Cardinalis Puteus Hoſio.

Hortatur, ne ob infrequentiam literarum pontificiorum miniſtrorum, aut ob adiunctum ſibi alium legatum, Vindobona diſcedendi facultatem a pontifice petat, ſed patienter ferat adverſa.

Accepi intra biduum quaternas litteras tuas: quarum, quae quarto & tertio Nonas Auguſti ſcriptae fuerunt, vltimo loco heri mihi ſunt redditae; atque eodem die poſtremae quoque tuae peruenerunt; quae vero Idibus, eas ad me Iacobus Pellaeus epiſcopi Bitontini familiaris, vna cum Vergerii cenſura pridie detulit. Is mihi de tua erga me beneuolentia (quae tamen mihi iampridem cognita atque perſpecta planiſſime erat) multa narrauit: ex quibus animaduertere facile potui, neminem eſſe, qui non in amicorum laudibus praedicandis libenter etiam ſupra modum verſetur; quanquam ſibi parcus videatur, & modicus. Quod ego amoris magnitudini cum tribuo; teque ab omni prorſus culpa vindico; ſentio tamen atque agnoſco, nihil in me niſi mediocre eſſe, praeter voluntatem eximiam quidem illam, atque egregiam, cum vehementi cupiditate ſubleuandae, atque amplificandae chriſtianae reipublicae coniunctam: cuius me cauſa ſemper impulit ad eos mirifice diligendos, plurimique aeſtimandos, qui in reſtituenda, tuendaque catholica religione (vnde omnium ſalus pendet) operam ſuam cum ſumma eccleſiae vtilitate, Deo nauare & poſſent & vellent.

In te vero magnum eſſe praeſidium catholicae religioni repoſitum iam pridem intelligo; ideoque & de tuis commodis & dignitate vehementer laboro; & nihil praetermitto (quod quidem ſciam aut poſſim) eorum, quae vel moleſtiam tibi leuare poſſunt, vel ornare dignitatem. Sed vt ad ea reſpondeam, quae a me petis; ſuadeo tibi, ne in ea ſententia velis eſſe, vt tibi facultatem abeundi dari poſtules: ita enim ſentio, nihil hoc tempore abs te eſſe tentandum; ſed omnia aequo animo ferenda: quando ſumptibus tuis neceſſariis benigne a ſummo pontifice prouiſum eſt. Delphinus praeterea epiſcopus Pharienſis, qui nuper ad vos eſt profectus (cuius opera tibi quingenti aurei nummi extra ordinem vt numerentur, curabitur) ea erga te obſeruantia pollicitus eſt eſſe ſe futurum, vt ſperem tibi, a quo minime putaras, aliquod adiumentum acceſſurum. Neque hic tu mihi Imperatorum multitudinem Cariae, medicorum aegris obfuiſſe, obiicias: quin te conſiderare volo, veris ſolidiſque rationibus, atque exemplis, virtutem tuam illuſtriorem multo fieri poſſe, ſi plures tibi in iſto munere exaequentur, quam ſi vnus omnia ex ſententia tua facias. Meminiſti (credo) Fabii cunctationem pene ab omnibus accuſatam atque reprehenſam; ea niſi Minutii exaequata poteſtate temeritas, quanti facienda erat, occaſionem vt agnoſceretur, dediſſet; nunquam legiſſemus: vnus homo nobis cunctando reſtituit rem. Caue autem exiſtimes, virtutem atque eruditionem tuam, addo etiam excellentem dicendi atque ſcribendi facultatem, eo loco apud nos eſſe, vt tecum quemquam eorum, qui iſtuc miſſi ſunt, conferendos eſſe arbitremur. Quare vt ad te proxime ſuperioribus litteris ſcripſi, epiſtolam a te ſummo pontifici ſcriptam nullo modo reddendam exiſtimaui: atque, vt in meam hanc ſententiam venires, ad Cromerum ſcripſeram, vt quibuſcumque poſſet rationibus tecum ageret: eas litteras cupio a te legi priuſquam ad Cromerum perferendas cures, idque meo iuſſu factum eſſe illi ſignifices, cauſamque indices. Quod quereris de publicis rebus nihil ad te reſcribi: id certe iure abs te fieri video: mihi tamen (etſi omnia audio, & ſcio;

ſcio; me enim praeſente leguntur litterae, atque etiam quid agendum cenſeam, poſtulor) nihil vltra licet aut ſcribere, aut loqui: mirorque de ea re ita tecum agi; neque poſſum mihi perſuadere aliud in culpa eſſe, quam ſupinam hominum negligentiam; qui modo vacui omnino a laboribus ſint, nihil praeterea magnopere curant. De hominis deplorata ſalute, quod ſcribis, non placet; auferat ei Dominus mentem peruerſam, inſpiretque meliorem & ſanam. Quod petis, vt (ſi ita mihi videatur) dem operam, vt a ſummo pontifice prorogetur Sereniſſimo Ferdinando, eiuſque toti familiae tempus ad eas condonationes promerendas, quarum iampridem dies - - - ea facultas detur: ego vero libenter omnia faciam; atque etiam vt nobilibus iis, quorum catalogum mihi adſcripſiſti, ad ſacerdotia vacatura ius detur, ſedulo cum pontifice agam: primumque illud perficiam, vt per te piiſſimi principis deſiderio ſatisfieri poſſit. Vale, atque aequo animo omnia perfer, vt eccleſiae Dei proſis. Roma ſeptimo Idus Septembris. M. D. LX.

XXVII.

Cardinalis Otho Hoſio, Roma Vindobonam.

Cytbardi fortunam ſibi curae eſſe: Delfini adventum Hoſio innoxium fore: morum reformationem vrgeri a principibus.

Reſpondeo his litteris ad tres epiſtolas tuas, eodem tempore mihi redditas a te, quarto, prid. Non. Idib. Auguſti datas. Primum igitur Cytardum nobiliſſimum ac venuſtiſſimum diuinae voluntatis praeconem omni meo ſtudio complectar: cui apud Pontificem magno praeterea adiumento fuerint commendatitiae litterae tuae, qua de Aquiſgranenſium ſenatorum filiis, qua vero maxime de eius nepote. Neque de ſacerdotiis, quae deſcripta miſiſti, quidquam praetermittetur, etſi magna res ſit, &

cuius occaſio expectanda videatur, ſed volet Pontifex Maximus Cytardi operam egregiam, & iſti ciuitati perutilem, proſequi quocunque poterit officii genere; neque committere, vt is vllo loco, modo res habeat facultatem, deſideret liberalitatem ſuam, praeſertim cum accedat praeſens commendatio clariſſimi viri Vitti Gaiel Secretarii Caeſaris, qui cum apud pontificis fratrem eum locum tenuerit, quem ſcimus, tantum gratia poterit, quantum voluerit. Altera epiſtola eſt de epiſcopi Delfini ad vos aduentu, qui, vt antea ſaepius ſcripſi, ita futurus iſtic eſt, vt & nihil laedat exiſtimationem tuam, & breui diſcedat. Neque eſt, vt tu propterea cogites de diſceſſu tuo, qui ſi eſſes in vltimis terris, illinc accerſerere, vt te pontifex iſti muneri praeficeret, in quo adminiſtrando ita te geris, vt bonorum cupiditati ſatisfacias, neque maius vllum fidei, prudentiae, diligentiae teſtimonium tibi dari poſſet, quam a Pontifice maximo datum eſt, proximo ampliſſimorum patrum concilio. Mirari vero minime debes, ſi quaedam ad te non perſcribuntur. Noſti enim multitudinem & magnitudinem negotiorum: noſti Romanas occupationes, vt, ne ſi velimus quidem, in pleriſque poſſimus eſſe diligentes. Quare tibi fortaſſe opus ſit certi alicuius hominis opera, qui te de omnibus faciat certiorem. Nam hoc in more poſitum eſt internuntiorum, vt vrbanarum rerum priuatos hic ſcriptores habeant. Itaque, ne quicquam ignores, facile fuerit prouidere. Ego quae ad dignitatem tuam pertinere intelligam, quo minus te de illis admoneam, nulla vnquam occupatione impediar. Quod ſcribis de prouincia Salisburgenſi, luctuoſum eſt, ſacerdotes illic eſſe, qui in ſtupris & inceſtis voluptati, nefariis ſuis flagitiis, honeſti connubii nomen praetendant. Ad quorum igitur ſcelerum poenam carcer aedificatus eſt, ſi non ad illarum peſtium cuſtodiam? quibus delictis ignominiae, verbera, caedes reſeruantur, ſi non in huiuſmodi monſtra adhibentur? quas hominum iniurias perſequemur, ſi, quae Deo imponuntur, contumelias negligimus? Quod ſcribis morum emendationem vrgeri a principibus, res quidem vtilis ſit, & haud ſcio an etiam neceſſaria, ſed praeſtaret

mea

mea quidem ſententia, vnumquemque ſuos reliquis mores & vitam probare, quam arroganter praeſcribere viuendi leges iis, a quibus illae ferendae ſint. De qua morum diſciplina ſi maiori illis curae eſſet, quam de tollendis haereſibus, hoc vno maius in nonnullos homines odium ſuum declarant, quam pietatem in Deum, ſed quid velint, cum ne hoc quidem ſatis explicent, facile apparet. Venio ad tertiam epiſtolam, in qua ſcribis, non dubitare te, quin a Cardinali Borromaeo, ad quem omnia praeſcripſiſti de iis, quae cum Caeſare & cum Rege eius filio egeris, cognoſcam. Ego vero cognoui iam omnes actiones tuas, ipſo etiam eas exponente, & tollente in coelum laudibus Pontifice Maximo, deque tuis ornamentis verbis ampliſſimis benigne colloquente, quae me res quanta laetitia affecerit, tu pro noſtra amicitia facile exiſtimabis. Vale. Romae VII Id. Septembris MDLX.

XXVIII.

Puteus Hoſio.

Conſolatur calumnias moleſtiasque in legatione patientem.

Accepi heri poſt ſatis longum interuallum litteras tuas VII. idus ſcriptas; quarum ego tarditatem ſum aliquantum miratus; ſed illud admiror magis, quod ad eum diem nondum tibi redditae eſſent poſtremae litterae meae; quas tamen perueniſſe iam credo; atque etiam Pharienſem epiſcopum cum ſyngrapha, qua tibi quingenti aurei nummi extra ordinem numerentur: hinc ſuppeditabitur, quod in piorum, eruditorumque virorum egeſtate ſubleuanda expenſum hactenus tuliſti: qua tua benignitate, vt video, & multum profici hominibus poſſe, & Deo rem gratiſſimam fieri, ita velim tibi opes affluere, vt pro tua huma-

nitate ac liberalitate quamplurimis benigne facere poſſis. De Staphyli filio quid ego nunc tibi pollicear, neſcio: dabo vero operam ſedulo, vt, ſi fieri poteſt, homo de religione bene meritus, intelligat laborum ſuorum, pietatiſque rationem libenter nobis haberi. De ſalute hominis non deſperare te valde gaudeo, petoque etiam a te vehementer, vt ea ſpe ita omnia temperes, ne hominis praefracti ingenium irrites, ſed magis lenias, ad lenitatemque, ac mitiores ſenſus prudenter traducas. Te abligurire omnia neque hic vmquam rumor fuit: nec quiſquam eorum, qui te norunt, fieri vmquam poterit, vt de te eam opinionem ſuſcipiat. Quare deſine leuiſſimorum hominum voculis offendi; tibique perſuade, me numquam de tua conſtantia in religionis cauſa tuenda, ac defendenda dubitaſſe: quamquam certe veritus ſum interdum, ne aliquorum conſuetudine offendereris, ita vt in eo legationis honeſtiſſimae munere obeundo, quod abs te hoc tempore ſuſceptum te maxime patrono, atque auctore indiget, iniuriam tibi fieri exiſtimares: quum quidquid hinc ad Caeſarem de grauiſſimis rebus reſpondendum erat, in eo aliorum opera vteremur. Sed haec rogo te aequo animo vt feras, puteſque tibi in Chriſti cauſa tuenda omni ſtudio, ac diligentia verſanti numquam Dei opem, praeſidiumque defuturum: ſapientes enim in ſua ſapientia capiuntur; quorum vero ſapientia Dei virtute nititur, ea ſemper aduerſus omnes hominum improborum, callidorumque machinationes & reſiſtit facile, & nobis etiam praeſtat, vt victoriam conſequamur. Perge igitur, ſcitoque, Caeſaris adhuc morbo factum eſſe, ne ad te inſtauratae facultatis priſtinae litterae mitterentur, quibus Sereniſſimi Ferdinandi piiſſimae poſtulationi ſatisfieret: ſed in eo tamen putato me omnem operam ſedulo poſiturum, vt cito mittantur. Vale Roma Quarto Cal. Octobris. M.D.LX.

XXIX.

XXIX.

Otho Auguſtanus Hoſio.

Regem Maximilianum mitiorem factum gaudet, cardinalitiam dignitatem haud obſcure Hoſio praeſagiens.

Delfinum habetis volucrem & iucundum nuntium, ex eius etiam oratione certam pontificis maximi voluntatem de concilii ratione. Quare expecto iam ex tuis litteris omnia certiora. Te quidem ipſum, perinde, aut amare, etſi vnice diligo, aut laudare, etſi in coelum fero, vt meritus es, mihi poſſe non videor, qui praeter reliquum fructum vberrimum legationis tuae, qui conſtat bonis omnibus, regem ipſum mitiorem, & commodiorem prudentia ac lenitate reddideris. Ornaſti, mihi crede, munus officii tui veriſſimis ſapientiae ac religionis ornamentis, maeque ſcribendi laudi, quae ſingularis eſt, agendi laus iſta non cedit, ex qua, vt praeclare intelligo, quanta pars ad ſanctae ſedis auctoritatem redundet; ſic ab illa dignum virtute tua praemium ad te peruenire velim, quod equidem ſpero, & vt praecipuam hanc laetitiam ferre poſſim, quantum in me fuerit, enitar. Vale. Romae V. idus octob. M D LX.

XXX.

Borromaeus Hoſio.

Delphinum concilii maturandi cauſa Viennam miſſum: lenius, quam Hoſius fecerit, cum Maximiliano agendum eſſe: Hiſpanum in viam reducturum Bohemum.

Cum ad te ſcripſiſſem XXV. die menſis praeteriti, accepi litteras tuas datas III. & XV. eiuſdem menſis, vna cum foliis

foliis quae in ipſis litteris incluſa ad me miſit. Quae omnia pergrata fuerunt ſanctiſſimo domino noſtro, cuius ſanctitas valde probat, vt ſolet, actiones tuas.

Reuerendus epiſcopus Pharenſis debet non ſolum iſthuc peruenisſe, ſed etiam tractaſſe, & forſan ad optatum finem perduxiſſe ea, quae in materia concilii occurrunt. Qua de re, cum idem Pharenſis plene te docuerit, non eſt quod amplius dicam. Quod autem ſanctitas ſua in praeſentia tibi ſignificandum duxit, hoc eſt. Videtur, ſanctitati ſuae lenius agendum cum ſereniſſimo Bohemiae rege, quam adhuc factum fuerit. Itaque tuae partes erunt in colloquiis, quae cum ſua ſerenitate habebis, eius ingenio obſequi, nec prae te ferre velle illum monere, praeſertim cum ſereniſſimus Hiſpaniarum rex tractet cum eodem rege, ſperetque, ſe non in vanum laboraſſe. Quod cum ſanctitas ſua intellexerit, confidatque in Domino, auctoritatem ſuae catholicae maieſtatis hoc in negotio maximum pondus habituram, hoc te ſcire voluit, ac Deum orabit, vt dignetur hoc ſanctum opus perficere. Cum vero certo ſciam, te pro tua prudentia nulla in parte defuturum, & ſanctitatis ſuae voluntati obtemperaturum, nihil aliud dicam, ac tibi ex corde me offero & commendo. Datum Romae die XII Octobris 1560.

Accepi & alias tuas datas XXV. praeteriti, quibus reſpondens dico, ſanctiſſimum D. N. contentum eſſe, concedere ſereniſſimo archiduci Auſtriae iubileum, quod poſtulauit, cuius expeditio quamprimum fiet, & ad te tranſmittetur.

Multum reuerendae D. V.

vti frater,

C. Cardinalis Borromeus.

Illud adiungam, non eſſe intermittendum officium vllum, quo minus D. V. cum ſereniſſimo rege Bohemiae conſuetudinem ſuam ſolitam continuet; atque etiam interdum ea colloquia inducat, quae pro tempore viſa ei fuerint oportuna; ſe tamen leniter agendo, & nunquam increpando.

XXXI.

XXXI.

Hoſius Pflugio, epiſcopo Naumburgenſi.

Ex originali.

Percenſet diſſidia theologorum proteſtantium, omnibusque ad concilium recurrendum eſſe dictitat.

Perquam gratae mihi fuerunt reuerendiſſimae D. V. literae, quibus ſe cupere concilium vt Oecumenicum habeatur, oſtendit, quod breui congregatum iri ſperamus, quandoquidem caeſarea Maieſtas, quae pietas illius eſt, & religio, quod vult pontifex, ab eo minime ſibi diſſentiendum eſſe putat: niſi quod indici malit concilium, quam quod ſemel Tridenti caeptum eſt, continuari. Veſtros autem ab eo ſic abhorrere, ſatis mirari non poſſum. Cum nullius, quam veſtra magis interſit, vt aliquando tandem ratio inueniatur, qua perfici queat, vt idipſum ſentiant, idipſum dicant, idem ſapiant omnes, quae nusquam inueniri poteſt melius, quam in concilio. Vident, in quot ſectas mirabiliter inter ſe diſſectas diſſecti ſint, quemque fructum ex colloquiis iſtis ſuis tulerint. Certe vicini veſtri negant, eos qui veſtri principis [a] imperio ſubiecti ſunt, amplius eſſe confeſſionis Auguſtanae; verum ad Tigurinam, ſiue Geneuenſem, eos aiunt defeciſſe, ſeque ſolos iam propemodum in orbe toto eſſe gloriantur, qui purum Dei, hoc eſt, Lutheri verbum, conſernent, & ſynceram euangelii, hoc eſt confeſſionis Auguſtanae doctrinam, retineant. A qua ſic veſtros excludunt, vt nihil eis cum Dei verbo, nihil cum euangelio commune eſſe velint. Quod cum veſtri [b] videant, cumque ſe ab illis haberi pro haereticis intelligant: quod etiam editis vtraque lingua libris non obſcure teſtantur Duces Vinarienſes, &, qui Theologi dici volunt, Mans-

a *Auguſti, Saxoniae electoris.*

b *Wittebergenſes, & ceteri electoris Auguſti theologi anno 1560. docentes.*

Mansfeldenſes: vt nihil interea dicam de Flacco, de Gallo, de Amsdorfio, de Vigando, deque caeteris eiusdem farinae puri Dei ſui verbi defenſoribus, qui non alium, quam qui natus eſt Islebii, Chriſtum, nec aliud, quam quod ab illo ſcriptum eſt, evangelium agnoſcunt, illum vero prorſus ignorare videntur, quem nos ante mille quingentos annos, in Bethleem Judae natum eſſe profitemur, qui non, ſicut Islebienſis ille, diſſenſionis & diuiſionis, ſed pacis & dilectionis Deus eſt: qui fecit vtraque vnum, non vt ille ex vno duo ac plura etiam. Cum haec ſuis ipſi cernant oculis, mirari ſatis nequeo, quod nullam ſibi medicinam adhiberi cupiant. Certe qui communis eſt orbis totius chriſtiani medicus, Pius quartus, pontifex, nihil eſt quod votis ardentioribus expetat, quam vt, quod infirmum eſt, conſolidare, quod aegrotum, ſanare queat. Quo magis eſt iſtorum ſalus deſperata, qui cum tanto verſentur in diſcrimine, vulnera tamen ſua negligunt, morbosque ſuos non agnoſcunt: neque medici manum ferre poſſunt, eius praecipuè medici, cui fomenta potius adhibere deliberatum eſt, quam quod cauteriis vti velit. Si fuit vllus iam inde a multis annis pontifex, hic certe is eſt, qui ſumma cura Germaniae ſaluti tranquillitatique proſpectum cupit. Quoniam vero viam aliam & rationem non reperit, qua, quod cupit, efficere queat, de concilio oecumenico congregando cogitationem ſuſcepit, idque multorum opinione celerius. Nec aliud magis cupit, quam vt, quorum cauſa potiſſimum congregabitur, ii velint ibi potius, vbi conueniet eccleſia vniuerſa, quam in neſcio quibus angulis, & penetralibus, aut deſertis, expediendae ſuae ſalutis rationem quaerere. Quod quibus modis perſuaderi queat, cum aliis principibus tum ei * praeſertim, qui praeeſt iis terris, in quibus epiſcopum agit R. D. V. quaeſo mihi perſcribere non grauetur. Num expedire putat, vt ad eum aliquis mittatur, vel cum eo per literas agatur, vel id curetur potius, vt ipſe mittat in hanc aulam aliquos, quibus plenam facultatem iis de rebus tractandi concedat. Quo cele-

* *Auguſto Saxoni.*

celerius mihi iudicium hac de re ſuum perſcripſerit, hoc mihi rem fecerit gratiorem. Quod autem ſcribit, velle ſe rationem aliquam iniri, dum ſynodus congregabitur, qua poſſent, aduerſariorum voluntates mitigari, atque flecti; cuperem vt ipſa, quid ſibi videretur ea de re, perſcripſiſſet, aut, quod hactenus non fecit, faceret adhuc. Mihi vero curae futurum eſſet, vt nihil eorum intentatum relinqueretur, quaecumque ad mitigandos aduerſariorum animos recte, hoc eſt, citra Dei offenſionem fieri poſſent. Quae de reformatione ſcripſit R. D. V. lecta ſunt a me, ſed ea facta, quam ſcripta mallem. Vehementer mihi probatur, & expedire iudico, vt primo quoque tempore typis liber mandetur, ac in publicum prodeat. Idem ſentio de altero quoque libro, quem Cromerus noſter, mihi legendum obtulit, in quo ſummatim breuiter perſtricta ſunt omnia, de quibus hoc infoelici noſtro ſeculo controuertitur. In quo nihil eſt animaduerſum a me, quod magnopere poſſit offendere, praeter vnum hoc, quod in extrema libri parte ſcribit, de vita moribusque pontificis penes concilium iudicium eſſe debere. Excuſſit autem librum Cromerus noſter diligentius, qui mihi tamen in quibusdam notandis ſcrupuloſior fuiſſe videtur. Meus de oppreſſo Dei verbo, cuius meminit, premitur adhuc, nec dum enim eſt abſolutus, ac ex quo tempore de morte Ioannis a Laſco mihi fuit renunciatum, qui contra meum de expreſſo Dei verbo, neſcio quid effutiuerat, totis prope decem menſibus, verbum vnum non ſcripſi. Nam & cum laruis, vt eſt in prouerbio, luctari non libuit, & fuit, per omne tempus id, mens aliis curis & cogitationibus vehementer diſtracta. Quod ſuper eſt, opto R. D. V. diu eſſe incolumem & foelicem. Cuius me gratiae commendo. Ex Vienna 21. Octobris anno Domini MDLX.

ANNOTATIO.

Quandoquidem haec de diſſidiis proteſtantium theologorum domeſticis ab Hoſio ad Pflugium data epiſtola vix intelligi poteſt ſine quadam cryptocalviniſmi notitia, qui ſub Auguſto et Chriſtiano I. Saxoniam excruciavit; rem extraneis gratam facturus de eo pauca annotabo.

Saxoniae electoꝛ, Fridericus II. qui mortem anno 1464. oppetiit, duos filios relinquebat, duas omnium Saxoniae Ducum familias condituros, *Erneſtum*, a quo *Erneſtini*, & *Albertum*, a quo Albertini principes deſcendunt.

Erneſtus, anno 1486. extinctus, genuit Ioannem electorem, qui Carolo V. confeſſionem Auguſtanam exhibuit, annoque 1532. e vita exceſſit, filium relinquens Ioannem Fridericum, electorem, cui Carolus V. ob bellum Smalcaldicum electoralem dignitatem, eique adhaereſcens territorium, in quo Witteberga ſita eſt, anno 1548. ademit, et in familiam Albertinam tranſtulit, Mauritiumque primum ex Albertinis Saxoniae electorem creauit.

Albertus, anno 1500. mortuus, filium habuit Henricum, anno 1541. vita functum, patrem duorum Saxoniae electorum, Mauritii et Auguſti, quorum ille anno 1553. hic autem anno 1586. vitam cum morte commutavit.

Vltimus ex Erneſtinis elector, Ioannes Fridericus, qui anno 1554. miſeriis huius vitae exemtus eſt, iam ante captiuitatem ſuam Melanchthonis, cum, in gratiam Calvinianorum, Auguſtanae confeſſionis decimum articulum de ſacra coena corrupiſſet, nimiam in hos indulgentiam magnopere improbauerat, ac tandem anno 1552. a Caeſare, armis Mauritii electoris territo, carceribus dimiſſus coeperat, in locum ademtae ſibi academiae Wittebergenſis, aliam Ienae in Thuringia condere, quae puritatem doctrinae evangelicae adverſus Melanchthonis diſcipulos tueretur. Tum vero ſimultates principum Albertinorum et Erneſtinorum non obſcure in ſcholas, Wittebergenſem et Lipſienſem, electorales, Ienenſemque, ducalem ſe diffuderunt, doctoribus publicis ſe vtrinque gravium errorum inſimulantibus.

Maxime autem Melanchthon poſt Lutheri mortem, aſperiore monitore iam remoto, cum academia Wittebergenſis ſub Albertinorum principum imperium ditioneinque cecidiſſet, audacius agere, ac totum ſe dedere Calviniſmo viſus eſt, aut certe controverſias inter proteſtantes ortas ita temperare, vt, iuxta Homericum illud,

Tydidem haud noſſes, vtris in partibus eſſet. a

Tandem paulo ante obitum, qui ei anno 1560. contigit, iudicium, ſeu, reſponſum de controverſia coenae Domini, V. calend. nouembris anno 1559. clam perſcripſit ad Fridericum III. electorem Palatinum, qui primus in Germaniam publicum religionis Calvinianae exercitium violenter invexerat, cauſamque Lutheri huic, ab Hugonotis Gallis ſeducto principi, penitus prodidit. Auctae hinc controverſiae inter Lutheri et Melanchthonis diſcipulos, et cryptocalviniſmus tota Saxonia electorali ſtudioſe diſſeminatus. Cum Melanchthon morte vitam finiiſſet, inſtituti dux praecipuus fuit eius gener, Caſpar Peucerus, profeſſor

a *Iliados* 1, *verſu* 85.

feſſor Wittebergenſis longe doctiſſimus, qui ſua autoritate permoverat theologos Wittebergenſes, vt anno 1571. catecheſin, Calvini nonnulla dogmata complexam, conſcriberent, et ad vſum ſcholarum publicarent. Quod cum tandem Auguſtus elector multis ex rebus intelligeret; Peucerum in carcerem coniecit, ac, procurata ſummo ſtudio formula concordiae, quam plerique Romani imperii ſtatus proteſtantes anno 1580. tanquam fidei ſuae repetitam confeſſionem, ediderunt, clandeſtina Calvinianorum in provinciis ſuis molimina, id eſt, *primum cryptocalviniſmum* eliminavit.

Auguſti filius, Chriſtianus I. Saxoniae elector, qui anno 1586. patri ſucceſſit, ac anno 1591. mortuus eſt, a Melanchthonis diſcipulis perinde, vt aliquandiu Auguſtus, opinionibus ad Calvini placita accommodatis diligenter imbutus erat, ac ex cancellarii ſui, Nicolai Krellii, iudicio atrocia in Lutheri ſectatores decernebat, triumphantibus tota Saxonia Calvini aſſeclis, qui commodo ſuo Lutheranorum ſpeciem prae ſe ferrent.

Sed hoc electore e vita ſublato Fridericus Wilhelmus, in principibus Erneſtinis Altenburgicus, qui orbos Chriſtiani filios ex maiorum providentia tuendos ſuſceperat, Calvini dogmata denuo e Saxonia eiecit, cancellario Krellio anno 1601. vi decreti caeſarei, cumprimis ob cauſas politicas, capite plexo. Et hic fuit finis *ſecundi*, vt voce hybrida vocari ſolet, *cryptocalviniſmi*.

Theologos, quos hic Hoſius nominat, Flacius, Gallus, Amsdorffius, Wigandus, et Mansfeldenſes, in Lutheri doctrina contra Melanchthonis ſcholam perſtabant. *Principes Vinarienſes*, quorum in epiſtola Hoſius meminit, fuerunt tres captivi quondam electoris, Ioannis Friderici, filii, novae academiae Ienenſis nutritores, Ioannes Fridericus II. Ioannes Wilhelmus, et Ioannes Fridericus tertius, quorum nomine et autoritate Latine et Germanice anno 1559. in lucem prodiit *confutatio et condemnatio praecipuarum corruptelarum et ſectarum*. [b] In illis ſectis praecipuum ferme locum obtinebant adiaphoriſtae, quorum Pflugius anteſignanus fuit. Sed corruptelae hoc libro confutatae maximam partem extra eccleſiam evangelicam ortae erant: quae autem inter evangelicos ipſos tum agitabantur controverſiae, iamdudum graſſari deſierunt.

Quod Hoſius de inutilitate colloquiorum affert, id cum Carolum quintum, in moleſtiſſima concilii oecumenici dilatione medicinam a placidis, ſed ſua autoritate Wormatiae, Ratisbonae, et alibi inſtitutis partium colloquiis petentem, tum ipſum Pflugium inprimis pungit, quem conſtat controverſias in chriſtiana caritate domi expedire, quam Germanicarum eccleſiarum libertates monarchico Italorum arbitrio permittere maluiſſe. XXXII.

b *Confutatio illa ſectarum etiam inſerta eſt corpori doctrinae Thuringico, quod Ioannes Guilielmus, Vinarienſis, omnium hodiernorum linear Erneſtinae principum communis parens, Latine et Germanice publicavit anno 1571.*

XXXII.

Puteus Hoſio.

De Galliae regis oratore, num ſit ſuſpectus haereſeos?

Quam tu prouinciam moleſtiarum & periculorum plenam, mi Hoſi, me hortante pro Chriſti cauſa defendenda libenter ſuſcepiſti; eius te ne quando poenitere poſſet, ita ſemper curaui & curabo, vt confidam, me, ſimul & fidem & beneuolentiam meam nullo tibi vel tempore vel occaſione defuiſſe, omnibus facile probaturum: quare quod ad me proximis litteris tuis ſcripſiſti, te valde eſſe ſollicitum, quod Chriſtianiſſimi Regis orator tecum queſtus ſit, nomen ſuum ad nos haereſeos crimine delatum; in eo velim aequiſſimo animo ſis, tibique perſuadeas, multo ante tempore, quam tu huius legationis onus ſubires, oratorem regis (qualis is iampridem ſit) cognitum perſpectumque non paucis eſſe: neque propterea tamen eum haereſeos delatum eſſe apud nos, neque tua, neque cuiuſquam opera. Sed quod iam palam ante aliquot annos ipſe de ſe aliis perſuaſit, in vtram partem ſpectet, id cum ipſe ſecum conſiderabit, tum iis etiam examinandum relinquet, quibus Eccleſiam ſuam gubernandam Chriſtus commiſit. Ego quod ad te amplius de eo ſcribam, non habeo. Illud vero ſcire magnopere aueo, ex Delphinio nummos acceperis ſtatim, an nondum etiam? Vale & bono animo vt ſis facito: habes hic qui tua cauſa omnia & libenter vult & optima fide praeſtat. Roma VII Cal. Nouembris. MDLX.

XXXIII.

Puteus Hoſio Roma Vindobonam.

Hortatur, vt cum Delphino collega concorditer, ac mutuo amore vivat, nuevosque eius, atque ſuam ipſius aegritudinem animi diſſimulet.

Accepi vno tempore binas litteras tuas cum ternis, aut quaternis codicillis, ex quibus te in grauiſſimi negotii tractatione ſumma cum ſollicitudine verſari cognoui, potiuſque collegae [a] aduentu aliquid plus tibi curarum, & moleſtiae acceſſiſſe, quam leuatum, aut demptum eſſe; quae res certe non mediocriter me perturbauit: non quin verear, te ad ferenda omnia ſatis fortem aut conſtantem non eſſe; ſed quod nolim te vllo modo tantum cuiquam tribuere, vt quae ſanctiſſime, prudentiſſimeque ſentias, atque alias etiam ſcripſeris, ea vel prorſus reticenda, vel de ſcriptis tuis delenda, vel negligentius tractanda cenſeas. Fateor enim ingenue, cum litterae tuae ad ſummum pontificem datae in aliquot Cardinalium euocatorum corona praeſente pontifice legerentur, erubui tua cauſa, miratuſque maxime ſum, te in collegae tui ſententiam contra ſententiam animi tui adductum, non modo ea verba, quae in litteris ad me miſſis adſcribenda curaſti, prorſus deleuiſſe, ſed etiam declaraſſe, te id ſentire, vt indicendum potius, quam continuandum concilium ſit: qua de re etſi ad me aliter, id eſt, rectiſſime atque ſanctiſſime ſcripſeras: nolui cuiquam tamen, ne Auguſtano [b] quidem, aliquid indicare, ne leuitatis arguereris. Omnibus enim Cardinalibus notus & carus es; tuae autem eruditionis, & virtutis apud pleroſque opinio atque exiſtimatio permagna eſt, & honeſtiſſima. Quare nolui quidquam tibi decedere; atque ideo a te peto etiam atque etiam vehementer, vt te vnum in conſilium adhibeas, eaque forti ani-

a *Delphini, nuntii pontificii nuper Viennam poſtmiſſi.*
b *Otheni, epiſcopo Auguſtano et cardinali.*

ti animo ſcribenda eſſe ſtatuas, quae rectiſſime ſentis; tibique perſuadeas in eadem te eſſe cauſa, in qua cum futuri eſſent apoſtoli, moniti ſunt a Chriſto, ne quid praemeditarentur, ſed ſimpliciter reſponderent, quod Spiritus ſanctus admoneret: ſed haec nolo pluribus. Collegae tui voluntatem, atque beneuolentiam, oro te, quibuſcumque rationibus potes, cura primum vt retineas, deinde ſi id aegre potes, illud praeſtare debes, vt nulla tua culpa alienatum a te eſſe homines ſentiant. Hoc, vt puto, facile aſſequeris, ſi quae offendere eius animum poſſunt, (id eſt, quae ad perſtringendam aliquo modo hominis vel in latine ſcribendo ruditatem, vel in loquendo tarditatem ſpectant) ne leuiſſime quidem attigeris. Litteras in gratiam Ferdinandi tibi inſtauratas, etſi ſero fortaſſe, tamen aliquando expediendas, mittendaſque curaui. Tu quod poſtulas de nobilibus Aquiſgranenſibus, curabis Auguſtano vt perſcribatur, atque vt nomina & cognomina omnium ita depicta mittantur, vt facile legi poſſint - - - - - tum honeſte ſentias; & fatearis permultum intereſſe, quorum hominum opera vtaris. Quod reliquum eſt, aequo animo perfer omnia, vt eccleſiae Dei prodeſſe poſſis; nunc enim propior eſt multorum ſalus cum tua magna laude coniuncta, quam quum in curatione tantum tuarum ouium maiore cum animi tui voluptate verſabaris. Vale. Roma, Quarto Nonas Nouembris M. D. LX.

XXXIV.

Cardinalis Auguſtanus Hoſio.

Conſolatione lenit moeſtitiam conqueſti, laboribus ſuis Romae meritum haud ſtatui pretium.

Ego vero me vtrunque memini ad te ſcribere, & quid de Gallis ſentirem, quod ad concilium attinet, & quod exemplum

plum ſtatuendum ducerem in Salisburgenſes ſacerdotes, qui ſe nefariis ſtupris & inceſtis contaminarent: quae ſi perlatae ſunt ad te litterae, non tamen res tanti eſt, vt te hominem in maximis rebus occupatiſſimum noua hac occupatione velim impedire, vt reguſtes a primo litteras meas; ſin redditae non ſunt, ne tanti quidem, vt de ea iterum ſcribendum eſſe cenſeam: miſſa igitur iſthaec faciamus, miſſas fortaſſe inquies etiam laudes, quippe qui multi ſitis in honore verborum ſpectatae virtuti tribuendo, re ne oppreſſam quidem virtutem ſubleuetis, tantum abeſt, vt ſuis praemiis afficiatis. Vere quereris in hac, vt leniſſime dicam, negligentia nonnullorum, qua in re vtinam videres, & dolorem, & laborem, tum de te, tum de illis, quos commemoras, meum, qui laudat [a] verbis ampliſſimis, miſerius egent, & turpius. Quae tamen tarditas aliquam habet excuſationem, vel negotiorum, vel temporum. Sed eam curam omnino neglectum iri non exiſtimo, differri quidem video, nonnunquam neceſſario, vtcunque res ſit, ſtudium ac diligentia mea non poteſt iure deſiderari: quin etiam vereor interdum, ne diligenti commendatione moleſtus ſim iis, qui potiuntur, verum prouehor amore ſingularium virtutum tuarum, quarum ſingularem quandam rationem haberi velim, neque dubito, quin aliquando habeatur, et ſi ſerius ſit quam debetur. Mea certe ſi eſſet, quam inprimis vnam ob hanc cauſam eſſe cuperem, vel facultas vel authoritas, non laboraremus: enitor quantum poſſum, minus quam vellem efficio: ſcribo quae audio vel ab ipſis principibus, meque vehementer delectat & eorum praedicatio de tuis, de Cytardi, de aliorum laudibus, & mea in ſcribendo earumdem commemoratio, quam tibi iucundam [b] eſſe nolim: neque vero, ſi quorum officium requiritur, ego me a te ſocium eorum culpae adſcribi puto: abeſt enim hoc a tua prudentia. Supplementi nomine ſpero tibi aliquid miſſum iri, & vt mittatur, quantum in me fuerit, curabo. Otium illud, cuius deſiderio

a *Legendum videtur:* laudant.
b *Forte:* iniucundam.

rio teneris, eſt plane poetarum: at in iſtam virtutem, doctrinam, & ſapientiam minime videtur conuenire: cui alia quaedam beatitudo propoſita eſt. Herbipolenſis epiſcopi litteras cum his habebis. Si quid eſt, quod a me proprie fieri velis, laeſeris amicitiae ius, niſi de eo me admonueris, quo mihi nihil gratius facere potes. Vale Roma. V Id. Nouembris M. D. LX.

XXXV.

Cardinalis Madrucius Hoſio.

Narrat, Pium IV. in patrum conſeſſu praeclare iudicaſſe de Hoſio, ſeque malle, concilium alibi, quam in ſua vrbe haberi.

Reuerende in Chriſto Pater,
Domine mi, frater honorande,

Etſi in ſcribendo tepidior appareo, non eſt tamen, (vbi ex re D. V. aliquid tractari poſſe confido) quin me totum penitus non inſinuem: vt heri in congregatione contigit, in qua pariter ampliſſimus Cardinalis Moronus D. V. amantiſſimus interfuit. Summa cum laude lectae fuere litterae R. epiſcopi Delfini, quae perquam honorificam D. V. inter cetera mentionem faciebant, vbi vno ore omnes miris te laudibus extulere, & ſua ſanctitas haec praeciſa verba protulit: Epiſcopus Varmienſis eſt omni laude dignus, & illum decorabimus. Volui haec paucula D. V. ſignificare, quae pro ſua prudentia verborum emphaſim conſiderabit.

Cras ſua ſanctitas diſcalciatis pedibus cum vniuerſo cardinalium ſenatu & vrbis religioſorum coetu ad diuae Mariae ſupra Mineruam ibit, impartita prius Chriſti fidelibus delictorum venia. Supplicabitur Deus, vt afflictis chriſtianae reipublicae rebus clementer aſſiſtat, & concilium (quae ſua penitus eſt cauſa) foueat,

foueat, protegat, & ad optatum finem vnanimi Chriſti fidelium conſenſu perducere dignetur. Publicari breui debet bulla per Canoniſtas 12. theologos plurimum ventilata. Maluiſſem (Deum teſtor) vt in omni alio loco quam Tridenti concilium indictum eſſet, non quod labores vel ſumptus meorum illic vellem ſubterfugere, ſed quia audiui, locum illum multis, & his quidem praecipuis non plane placuiſſe. Ego autem ſemper credidi, non locum, ſed continuationem diſplicuiſſe, quae tamen ita moderabitur, vt his, qui ratione conuinci poſſunt, diſplicere non debeat. Volui haec paucula D. V. ſignificaſſe, quae pro comperto habeat, me eſſe & fore pietatis & ſolidae doctrinae ſuae perpetuo ſtudioſiſſimum. Datum Romae 23 Nouembris 1560.

R. D. V.

ex animo vti frater

C. Cardinalis Tridentinus.

Reuerendo in Chriſto Patri, Domino vti fratri honorando, D. Stanislao Oſio, epiſcopo Varmienſi, apud Caeſaream Maieſtatem nuntio apoſtolico.

ANNOTATIO.

Hic Cardinalis Tridentinus, Chriſtophorus Madrucius, ſi vera Oldoinus narrat vita Pauli III. patrem habuit Ioannem Gaudentium Liberum, Madruci principem, matrem Veronicam, e Germanica Fuggerorum familia ortam, quibus parentibus in lucem editus eſt Tridenti anno 1512. Octodecim annos natus factus eſt ciuitatis patriae epiſcopus, ac paulo poſt Brixienſem epiſcopatum obtinuit. Anno 1542. Paulus III. presbyteri cardinalis dignitatem in eum contulit. Multa aureorum millia Hoſio Cardinali, ſua fere omnia pauperibus donare ſolito, elargitus eſt, obitiſque legationibus plurimis iter ad mortem confecit anno Chriſti 1578. cum annum aetatis ageret ſexageſimum ſextum. Habetur Hoſii ad eum epiſtola in editis Hoſianis numero 58. tomo II. operum p. 208.

XXXVI.

Hoſius Pflugio.

Mauult, legatos principum euangelicorum cum plena poteſtate, maturandi concilii cauſa, Viennam mitti, quam a pontifice ad principes. Hoc etiam ſupra perſuaſum voluit proteſtantibus p. 114.

Probatur mihi conſilium R. D. V. de via & ratione, qua principes quidam Germaniae, qui videntur ab eccleſia catholica diſſidere, adduci poſſent, vt ſuos nuntios ad concilium mittant, ac ibi potius ab vniuerſa eccleſia, quam in neſcio quibus angulis a paucis quibusdam, de doctrina ſua cognoſci velint. Quibus ita prouiſum iri de ſecuritate, plane vt ſibi ſatisfactum eſſe dicant, mihi dubium non eſt. Magis autem illud placeret, quod priore loco poſuit R. D. V. vt ab ipſis principibus huc legati cum plena poteſtate mitterentur, quibuscum tractare liceret, quam vt ad ipſos principes aliqui legarentur. Velle autem & hoc R. D. veſtra clarius expreſſiſſet, ſi mittendi ſint ad principes legati, a quo mittendi ſint, a Pontifice ne, an a Caeſare, an ab vtroque? Quid ſit facturus pontifex neſcio, hoc ſcio, quod nihil ſitit magis, quam ſalutem Germaniae, & quo quiſque grauius aegrotat, hoc maiore ſtudio ſubuentum illius morbo cupit. Fortaſſis non eſſet is recuſaturus, quin aliquem ad principes nuntium mitteret, modo ſciret ſuam illum dignitatem eſſe retenturum. Qua tamen de re certi nihil habeo, ſed animi tantum mei coniecturam ſcribo. Prior illa ratio mihi videretur multo facilior, ſi ſuos huc potius legatos principes mitterent, quibus cum tractari poſſet, plena illis poteſtate conceſſa. Quod ſcribit R. D. Veſtra, ad flectendos eorum animos, qui ſegregauerunt ſemetipſos, non parum ponderis allaturum, ſi qua ſcholarum diſciplinaeque eccleſiaſticae ratio habeatur, prudenter admodum ab illa cogitatum eſt. Atque vtinam aliqua eiuſmodi ratio iniri poſſet, qua

primo

primo quoque tempore factum hoc videremus. Caeterum concilium celeritatis indiget. Quod si forte, nihil interea tale praestari posset, non video quid impediat, quominus in concilio hac ipsa de re tractetur. Haec ego nunc breuibus R. D. Vestrae scribenda duxi. A qua maiorem in modum peto, vt primo quoque tempore meis iisce literis rescribere ne grauetur. Ad ea, quae misimus ante mensem in vrbem, responsum adhuc non accepimus, verum in horas expectamus. Quicquid erit, non ignorabit, R. D. vestra. Quod superest opto R. D. Vestram diu esse incolumem & foelicem. Cuius me gratiae commendo. Ex Vienna XXVII. Nouembris. Anno Domini. M.D.LX.

XXXVII.

Cardinalis Augustanus Hosio.

Cythardum, Caesaris confessionarium, calumniis superiorem esse, nec a rege Bohemiae periculum ei metuendum.

Cythardum patrem spectata eius pietas, & sacra eruditio ab omni obtrectatorum calumnia facile defendit. Auditorum vero, & delatorum insidiae viri etiam nomen & virtutem illustrant. Quare non est, vt ille commoueatur inanibus periculis, quae clandestinis libellis proponentur. Nam ea ratio minantium & leuitatem, & consilium ostendit. Nullum enim, mihi crede, pondus habent eiusmodi homines, qui tantum vt illum de instituta ratione deterreant, regio nomine ad eiusdem terrorem abutuntur; sed fac esse verum timorem, equidem quantum damni in eius concionibus faciat haeresis, coniicio ex illo genere minarum, quarum iactationem Dei primum, deinde summorum principum fretus gratia Cythardus noster, te, puto, me certe auctore contemnat. Interea vero laetetur secum agi quemadmodum olim cum Athanasio, Hieronymo, aliisque sanctissi-

mis viris actum eſt. Quorum virtutem cum ferre non poſſet impietas, modo officii ſimulatione crimina confingebat, modo cum parum illa ratio procederet, vim intentabat. Sed nulla eſt minantis auctoritas apud eos, qui illum modo timendum, qui aeternis ſuppliciis animas afficere poteſt, Ieſu Chriſto doctore, didicerunt. Gaudeat illud praedicari apud omnes, ſe concionari ad populum Hoſiano more. Nemo enim vnquam ſanae mentis eam conſuetudinem a chriſtiana formula ſeiunget. Tu vero iis radicibus, eo robore vir es, vt verendum non ſit, ne loco tuo, quae eſt religionis & prudentiae regio, dimoueare. Forſterum iuuenem a literarum ſtudiis non abhorrentem tua commendatione libenter complecterer, ſed nullam hic video rationem ſiniri eius collegii, quod tu ſcribis, & ille vult. A Ieſuitis autem eſt alienior. Beneficia concupiſcit, quae ſi aſſequitur, reliqua ſibi facilia fore ſperat. Vale & tibi & eccleſiae Dei. Romae pridie Kal. Decembris M. D. LX.

ANNOTATIO.

Nemo prudens vitio dabit Hoſio, quod Cythardum, de quo ſupra p. 30. quaedam notata ſunt, a pontifice defenſum ornatumque voluit. Vindobonae enim ſibi familiaritate coniunctum videbat apud Caeſarem de congregando concilio ſatagere atque contendere: quae res legationis Hoſianae caput fuit. Quapropter eum in Borromaei clientelam obnixe commendavit. In epiſtola quadam Borromaei a nobis praetermiſſa, anno autem 1560. die XXV. Septembris ad Hoſium data, haec de Cythardo invenimus: *Sanctiſſimus dominus noſter, quemadmodum dominationi veſtrae ſcripſi, Cytardum amat inprimis: eumque in domino hortatur, ne hoc tempore cum Maieſtate caeſarea ea officia intermittat, quae tam ſunt neceſſaria & animarum noſtrarum ſaluti, & ſtatuum conſeruationi; pro quibus plenam eſt a Deo recepturus mercedem, atque etiam a ſanctitate ſua remuneraturus; prout ad illum ſcribam, cum plus otii nactus fuero, aut etiam re ipſa, ſi dabitur occaſio, melius declarabo.*

XXXIIX.

Borromaeus Hoſio.

Caeſaris de purgandis monaſteriis quibusdam conſilium pontifici probari, qui Hoſium iubeat intimam cum legato Veneto amicitiam colere.

Reuerendus epiſcopus Commendonus iſtuc peruenisſe iam debet, & cum meis litteris expoſuiſſe R. D. tuae mandata, quae habebat, quae id continebant, quod tunc nos tibi ſignificare, & te ſcire oportebat: quare nunc non ero in his litteris longior; eo magis quia litterae tuae diei XXVII. & XXIX. menſis exacti, & breues erant, & aliqua tantummodo nuntiabant. Non omittam tamen tibi hoc dicere, gratiſſimum ſanctiſſimo domino noſtro fuiſſe, cognoſcere optimam illam rationem, quam Caeſarea Maieſtas ſuper purgandis iſtis monaſteriis iniit, multoque gratius erit ſanctitati ſuae, executionem eius rationis, effectumque cognoſcere, ex qua non niſi optimus fructus ſperari poteſt: proptereaque iubet te in hac parte non deeſſe Maieſtati ſuae, quin ea, quae abs te exegerit, praeſtes. Vult etiam ſanctitas ſua, habere te bonam, atque intimam rerum, conſiliorumque concordiam cum legato iſtic Illuſtriſſimae reipublicae Venetae, communicando ſemper cum eo omnia ad religionem pertinentia; idem & ipſe tecum faciet, atque ita alter alterum in faciendis, quae hac de re incidunt, officiis adiuuabit: ſed ante omnia habere te iubet ſanctitas ſua bonam valetudinis curam; vehementer enim ei diſplicuit, quod ex litteris Reuerendi epiſcopi Delfini cognouit, te grauedine & diſtillatione vexari, & non bene habere. Incumbe igitur diligenter curandae ante omnia valetudini, ac deinde caeteris. Ego me tibi, vt ſemper, ex animo offero. Datum Romae die VI. Decembris 1560.

XXXIX.

Borromaeus Hoſio.

De epiſcoporum, Commendoni et Delfini, miſſione in diverſas Germaniae provincias narrat, excuſatque adhortationem ad Hoſium perſcriptam, vt mitiſſime Bohemum tractet: domeſticorum enim officium eſſe, domeſticos hortari.

Ad binas litteras, quas epiſcopo Commendono ad te dedi, addam has tertias; & dicam in ſumma, ipſum epiſcopum Commendonum tibi fuſius explicaturum, quae ego non potui in meis illis litteris perſcribere; & quae praeterea ſit mens ſanctiſſimi domini noſtri tam ſuper hac tota materia concilii, quam ſuper aliis rebus occurrentibus: cui epiſcopo tu omnem fidem habebis.

Ordinauit ſanctitas ſua, vt dictus epiſcopus Commendonus, Germaniam inferiorem, Saxoniam, Haſſiam, & caeteras regiones ſeptentrionales perluſtret; Delfinus vero Germaniam ſuperiorem: ſi ita tamen Caeſareae Maieſtati videbitur expedire; ad cuius arbitrium ſe refert ſanctitas ſua. De te autem nihil eſt, quod dicam, niſi maximum quotidie gaudium ex tuis litteris comparari ſanctiſſimo domino noſtro, cum videat te apud ſereniſſimum Bohemiae regem fructus parere tam bonos: quae res praecipue, praeter alia multa debita virtuti, pietati, & optimis animi tui dotibus, eſt in cauſa, vt te amet ſanctiſſimus D. N. faciatque quamplurimi, quemadmodum melius cognoſces, cum ſe occaſiones obtulerint honorandi, & benefaciendi tibi. Nam quod ad illud, quod te excuſas, idque longa oratione per litteras tuas diei VI. Nouembris; hoc pro certo habe, id quod tibi ſcriptum fuit, non ea de cauſa ſcriptum fuiſſe, quo actiones tuae, quae ſanctiſſimo D. N. ſunt probatiſſimae, reprehenderentur; ſed vt tu etiam atque etiam admonerere de mitiſſima cum eo rege ratione ſeruanda; quod genus abundantis admonitionis inter

dome-

domeſticos, cuiuſmodi nos ſumus, in bonam ſemper partem accipi debet, ſicut te & feciſſe, & facturum eſſe confido. Itaque incumbe laeto animo in munus iniunctum; & bene vale. Ego me tibi ex animo offero. Datum Romae die IX. Decembris 1560.

XL.

Cardinalis Puteus Hoſio.

Gaudet, Hoſium in ſpem potiundi Bohemiae regis ingreſſum eſſe.

XIX. Cal. binas litteras tuas accepi, quae tamen mihi ſimul redditae non ſunt; nam quas breuiores vna cum iudicio tuo de indicendo, vel continuando concilio ad me poſt alteras longiores ſcripſiſti; eae ad me prius allatae ſunt; quas credo te Venetias, atque inde huc per publicum tabellarium curaſſe perferendas; alterae longiſſimae cum codicillis tua manu ſcriptis, itemque exemplo ſchedae italice, tuaeque, ac Delphinii communis ſententiae latine ſcriptae, cumque epiſtola Cromeri, ac prolixo ſermone, per te cum Rege habito, ab Illuſtriſſimo Cardinali Mantuano ad me miſſae ſunt: quibus nunc breuiter reſpondebo; multa enim praeteribo, quae ex Commenduno coram audies: quae vero ad conſtantiam tuam pertinent, ea mihi viſa ſunt a te & prudentiſſime conſiderata, & ſcripta nuper tam explicate, vt vere te ſemper chriſtianae reipublicae ſalutem ſpectare oportere; ſed non ſemper eadem ſentienda, ac dicenda eſſe cenſuiſſe declararis. Quare nihil eſt, quod de ea re ſis ſollicitus, cum praeſertim quae fuerit ſummi Pontificis in ea deliberatione ſententia, atque conſilium, iam omnibus appareat. Modeſtiam tuam laudo vehementer, cupioque te aequo animo ferre quaecumque accidunt; rogo vero etiam atque obteſtor, vt

multa diſſimulanda tibi eſſe in animum inducas, modo id agatur, vt catholicae religionis cauſam honeſte tuearis. Video te magnam in ſpem de rege ingreſſum, adiuuante Chriſto, magnum aliquod operae pretium eſſe facturum: quod ego ſemper ſperaui fore, modo te ille audiret; nunc autem ſpem habeo multo meliorem (quando ille ſe tibi quaſi erudiendum facile praebet) futurum breui, vt diuino praeſidio adiutus hominem ad ſaniora traducas. Quod ſi aliqua ex parte a te factum erit; nonne fatearis neceſſe eſt, praeclarum, atque inprimis Deo gratum facinus abs te perfectum eſſe? Sed ego maiora etiam ſpero. Tu fac animo forti vt ſis, confidaſque & tua virtute, & amicorum tuorum opera, te maximas progreſſiones ad ſummum exiſtimationis gradum facere. Scriberem ad te plura, niſi me alia multa impedirent. Vale. Roma XIII. Cal. Ianuarii M.D.LX.

Cum haec ad te ſcripſiſſem, faſciculum litterarum tuarum accepi; in quo ad oratorem Luſitanum vnae inſcriptae erant, binae vero ad Ticinium; ſed quarum tamen alterae poſt conſignatum faſciculum alligatae fuerant; vtriſque curaui ſtatim vt redderentur ſuae. Quas autem ad me litteras poſt ſextum & vigeſimum Nouembris diem ſcripſiſſe te nuntias, eae nondum mihi redditae ſunt; neque enim Vittus Gaiel quiſquam viſus hic eſt; neque apud Venetos tabellarios, quorum ſarcinas, peraſque omnes diligenter perueſtigandas, atque excutiendas curaui, vlla tua epiſtola inuenta eſt, quae tamen mihi inſcripta eſſet. Quod ſcribis de Salisburgenſi archiepiſcopo * iam electo, viro pio, erit mihi non minori curae illius dignitas, quam gratum certe fuerit pii ac ſtudioſi hominis electione factum eſſe, vt publicae vtilitati, ac ſaluti conſuleretur. Iterum vale XII. Cal. Ian.

Ecce autem antequam haſce litteras complicarem, ex Pontificiis aedibus tertius litterarum tuarum faſciculus affertur, mihi inſcri-

* *Archiepiſcopus Salisburgenſis, cuius mentionem hoc loco facit Puteus, Ioannes Iacobus de Kuon erat. Electus anno 1560. mortalitatem exuit 1586. vt Hanſizius refert Germaniae ſacrae to. II. p. 635.*

inſcriptus, aperui; reperi poſt eas, quae ad me datae III. Cal. Decemb. erant, alteras ad Auguſtanum Cardinalem, alteras ad Ticinium, quas illico miſi. Ego vero vehementer delectatus ſum (cuiuscumque tandem opera id factum, aut curatum eſt) Caeſaris pietate, atque conſilio, in ea re ordinanda ac reparanda, quae vere ad officium veſtrum pertinet. Quare pergite ambo in eiuſmodi rebus, quas multas eſſe puto, quae veſtrae opis indigeant, omnem operam diligentiamque adhibere, quoties vel leviſſima ſe offert occaſio, vt per eam vobis aditum ad curandum aliquid patefieri poſſe ſperetis. Vale iterum & tertio plurimum mi Hoſi, & me ama. Eodem die.

XLI.

Hoſius Pflugio.

Pontificem omni ſtudio contendere, vt principes proteſtantes in concilium conſentiant, ob eamque rem nuntium miſſum iri Naumburgum.

Quae ſcribit R. D. Veſtra de neſcio quibus principum ſuſpicionibus, vana eſſe prorſus certo ſciat. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Nihil tale Pontifex cogitat, quale metuunt illi. Paterne cupit eos in viam reuocare, qui deflexerunt, ac mittit etiam ſuum ad illos nuncium, virum & pium & doctum, qui cum in vrbe magna mihi fuit familiaritas. De quo ſcriptae fuerunt ad me literae, ſeptimo idus menſis huius, quod egreſſurus inde fuerat poſtero die. Itaque expectamus eum in horas: Speramus etiam, quod ad conuentum iſtum Numburgenſem ſit venturus. Egi cum Caeſarea Maieſtate, de mittendis ad conuentum iſtum legatis, ſed ea nuncium hunc expectat, nec prius, quam ille venerit, ſibi ſtatuendum ea de re quicquam eſſe putat. Quod mihi iuſtum & aequum vi-

detur. Fides publica non deerit iis, qui venire volent ad concilium, ampliſſima forma conſcripta. Vt autem ſemel res recte iudicatae reſcindantur, & bis eadem de re iudicium adipiſci liceat, durum id eſt. Quaeritur etiam Philippus, de Flacco, & de Gallo, quod ii damnent quiduis, non auditis perſonis, neque diiudicatis rebus, & quod ſibi ſuisque fieri non vult Philippus, fieri volunt iſti catholicis, vt quae ſemel ab illis recte ſunt decreta, ea ſi minus damnentur, ſaltem in dubium reuocentur, perinde atque ſi decreta nunquam eſſent: idque non auditis perſonis, neque diiudicatis rebus. Cum fuerit concilium congregatum, tum iſta rectius peti poterunt: adferent enim rationes aduerſarii, quamobrem denuo quaſi re integra audire eos oporteat, de iis quae ſemel iam decreta ſunt. Quae cum diligenter expenſae fuerint, ſimul & eae quae contra fuerint allatae, procul dubio, quod ius & aequitas poſtulauerit, decernetur. Quod ſi vero promiſſum eſt aliquid antea, qua de re mihi non conſtat, tanto iuſtior erit cauſa, quam ob rem hoc ſibi concedi poſtulent. Vt autem tale quid concedatur, non auditis perſonis, neque diiudicatis rebus, nec iuri, nec aequitati conſentaneum eſſe videtur. Certe iſti, qui dici volunt euangelici, regulam illam euangelicam ignorare non deberent: Quod tibi fieri non uis, alteri ne feceris, nec contra illam aliquid poſtulare. Interea tamen D. V. reuerendiſſimam latere nolo, quod bulla, qua concilium conuocatur hac forma ſcripta eſt: Bulla indictionis concilii, nec vlla fit in ea continuationis mentio. Ego vero perſuaſum omnino habeo, etiam ſi fortaſſe minus iuſtas rationes adferrent aduerſarii, quamobrem, tanquam re integra, denuo illos audiri oporteat, de iis, quae ſemel recte ſunt conſtituta, quod patres, qui fuerint in concilio congregati, facturi ſint nihilominus, vt aliquibus ex corpore ſuo prouinciam hanc mandent, quicunque dubitauerint aliqua de re iam decreta, vt eis ratio decreti reddatur, deque rebus omnibus in ſpiritu lenitatis inſtruantur. Sed haec omnia ſcribuntur a me, tanquam ab epiſcopo Wormienſi, non autem tanquam a nuncio, quandoquidem nihil mihi conſtat adhuc de pontificis

tificis voluntate. Hoc autem ſcio, quod in gratiam Caeſareae Maieſtatis indicendum eſſe concilium putauit, quo facilius addu ci poſſent ii, quorum cauſa factum id eſt, vt in illud conſentirent. Adeo nihil quaerit pontifex hic aliud, quam vt optimis quibusque rationibus Germanorum principum ſtudia conciliare, & eos ad conſentiendum in concilium adducere poſſit. Quae praeterea prudenter expendit reuerendiſſima dominatio veſtra, de iis agetur à me cum caeſarea Maieſtate diligenter, ſimul vt nuncius apoſtolicus, qui mittitur ad principes, venerit. Nam ante aduentum illius conſultatio haberi non poteſt. Quod ſupereſt opto R. D. V. diu eſſe incolumen & felicem. Cuius me fraternae beneuolentiae diligenter commendo. Datum Viennae XXVIIII. Decembris. Anno Domini M. D. LX.

XLII.

Cardinalis Tridentinus Hoſio Roma Viennam.

Laudibus in coelum effert Hoſii dotes, gaudet de appropinquante concilio, offertque ei ſuum caſtrum Tridentinum, quo hoſpitetur.

Reuerendiſſime in Chriſto Pater,
Domine vti Frater honorande.

Nihil poteſt eſſe melius literis a R. D. V. nuperrime miſſis, nihil religioſius, nihil diſertius, nihil in noſtra vera philoſophia conſumatius, habent enim in ſe verba vitae, & mirabiliter negantes Chriſtum arguunt, eosque valenter impugnant, qui confitentur, ſe noſſe Deum, factis autem negant. Iſta profecto eſt armatura temporis huius, hi Thoraces, hi Clypei aſſumendi ſunt, iſte euaginandus gladius contra eos, qui vadunt per vias chain, qui diligenter mortem inciderunt, in mala capti-

vi ducti ſunt, quoniam non habuerunt veritatis ſcientiam, imo repulerunt eam & interierunt propter inſipientiam ſuam. Ego vero tam ſanas literas non occultabo penes me, ſed legendas probis ac diſertis dabo, atque multis de ampliſſimis Patribus recitabo, qui pro ſua pietate atque officio erga Dignitatem veſtram propenſiſſimi ſunt, deque ea, & bene ſentiunt & loquuntur optime, ideoque ea de re mihi ipſi valde gaudio, & etiam atque etiam Reverendo meo Varmienſi gratulor, qui iſta fortuna & animo ſit, ſeque totum colligat ad certamen, cui nec Flaccus nec Gallus, nec monſtrum illud de Moravia vlla reſiſtere ratione poterunt, leonesque efferati cæteri omnes tondentur ab eo, & D. V. armis ſe ipſos interiment, quando ignorare voluerunt ritum Dei terræ, recordari eam non ignoro, pro illius conſumata canaque doctrina illius ſancti proverbii. Qui conturbat domum ſuam poſſidebit ventos, & qui ſtultus eſt, ſerviet ſapienti. Facit itaque peregregie D. V. ſi modo foris præparat opus ſuum, & diligenter exercet agrum ſuum poſtea ædificatura muros Hieruſalem, domumque concilii ſtructura & exornatura lapidibus precioſis, quorum acie atque ſplendore, rebellantium oculi tenebreſcant. Vt vero non neſciat, quid rerum modo geratur inter nos, diebus iſtis numeroſos atque perlongos Carrafarum proceſſus perlegit Pontifex iam bis ad ſententiam citatorum. Laboratur vehementer pro his, & vt ſuſpicor inclinata res eſt, quamvis quid ſubſequi debeat paulo poſt videbitur. Nam interea ipſe coniectura quippiam aſſequi nec poſſum nec auſim, ſemper enim aliis ponderare libenter ſino incertos rerum eventus, ſed illud ſane confirmo quod iſtorum negotio aliquibus iam menſibus plura aliorum negotia interturbata ſunt. Maximus praeterea Pius, quod prius dicere volebam, quantum valet, inſtat & vrget ad ſpecioſiſſimum atque exoptatiſſimum conventum quam citiſſime vt veniatur, cuius de ſanctiſſimis conſiliis atque decretis, & fere lapſa Reſpublica inſtauretur, renovetur eccleſia & totus terræ orbis infirmiſſimus ad ſanitatem redigatur. Erecta protinus eſt in ſpem Italia tota & incredibiliter exultavit,

vit, hoc ipſo audito concilii nomine, certa quaſi de ſua tranquillitate & ſalute. Ecquid putat D. V. factura eſt, cum omnes in vnum ibimus, cum ad ſynodi menſam accumbet, & in tam deſiderata vniverſorum epulatione atque convivio ſeſe effundet ſuper omnem eſcam, per quam cum langvidi & aridi, tum cæci & claudi ſani fient. Confidimus autem quod ſibi non deerit Gallia, in his ſanctis inceptis, quippe quæ ſemper eſt ſolita ſe ſuosque Reges in rebus talibus Anteſignanos facere, accepta etenim Bulla dixit ſe velle de re tota conſulere noſtrum Cæſarem, qui quidem, vt probe novit D. V. ea pietate, fide ac ſanctitate eſt, vt ſemper religionis negotia, ſuis quibusvis negociis cenſuerit anteponenda idcircoque nihil non expectandum eſt a Cæſarea Maieſtate S. cumulata prudentia, magnitudine animi, ſingularique ſapientia inſigniſſimum, nihil enim vnquam ſuum vulgare fuit. Quæ cum ita ſint, ſuperbi gigantes iſti, qui quadraginta iam annis ab recta aberraverunt, & ab evangelio deſciverunt, odio invidiaque vulnerati, forſitan intra ſepta redibunt, in ſpiritu ambulare incipient, & non vltra deſideria pernitioſa, tanta aviditate perficient, præteritorum delictorum pœnitentiam agentes, & futurorum indemnitati proſpicientes, ſicque firmum fundamentum Dei ſtabit habens ſignaculum hoc quod cognovit Dominus, qui ſui ſunt. Cæterum ipſe confortare & eſto robuſtus ait Dominus Joſuæ, atque facias omnem legem, & pro certo habeat D. V. quod ei manſio Tridentina non deerit, quod alias ſcripſit. Ea equidem de re vices meas gerentes certiores feci, civitatem vt totam perquirant, percommodumque locum adinveniant, in quo poſſit perbelle verſari. Quodſi forte tota civitas intercluderetur, dimidium caſtri noſtri Reverendus Vormienſis noſter habere poterit, nec vllis meis aut meorum commodis in hoc parcam. Valeat D. V. cui me ex animo commendo atque offero. Romae. V. Januarii M.D.LXI.

XLIII.

XLIII.

Hoſius Pflugio Vienna Naumburgum.

Obteſtatur, vt nuntios pontificios Naumburgum miſſos quoquo modo iuuet.

Scripſeram antea reuerendiſſimae D. veſtrae, deſignatum eſſe nuncium in Saxoniam a pontifice maximo, reuerendum D. Franciſcum Comendonum, epiſcopum Zacynthi, virum inſigni doctrina pietateque praeditum. Proficiſcitur nunc is, vt prouinciam ſibi mandatam obeat, magnamque ſpem in pietate R. D. V. collocatam habet, quod ea conſilium & auxilium illi ſuum imparciat, quo rectius munus hoc obire poſſit. Quod vt faceret, ab illa pluribus peterem, niſi vltro hoc illam facturam eſſe pro eo zelo quo chriſtianae religioni proſpectum cupit, compertum haberem. Proficiſcitur autem vna cum eo reuerendus Dominus Delfinus, epiſcopus Pharenſis, non quod is prorſus ſit in Saxoniam nuncius deſtinatus; ſed quoniam ii, qui ſunt ad Rhenum principes, ad hunc ipſum conuentum venturi dicebantur, viſum eſt Caeſareae Maieſtati, cuius conſilio vt vterentur pontifex mandauerat, vt ambo ſimul eo proficiſcerentur. Non dubito, quin R. D. veſtra, pro ſua erga ſanctam ſedem apoſtolicam obſeruantia, debitum illis honorem habitura, nec vlla in re, qua iuuari poſſint, defutura ſit. Interim ego Deum précor, vt ſanctiſſimi D. noſtri conſilia, quae non alio, quam ad recuperandam eccleſiae tranquillitatem ſpectant, fortunet, & eorum foelicem progreſſum, exitum vero faeliciorem largiatur, vtque principibus iſtis ſpiritum charitatis infundat, quo memores, vnde exciderunt, tandem aliquando reſipiſcant, & ad eccleſiae redeant vnitatem, extra quam ſalutem conſequi poteſt nemo. Quod ſupereſt, opto R. D. V. diu eſſe incolumem & faelicem. Cuius me fraternae beneuolentiae commendo. Datum Viennae XIII. Ianuarii Anno Domini MDLXI.

ANNO-

ANNOTATIO.

Diu multumque Hosius, Pii IV. in Caesaris aula nuntius, protestantes Germaniae principes frustra solicitaverat, vt legatos suos cum plena potestate Viennam mitterent de concilio tractaturos. Quocirca tandem nuntios cum literis fiduciariis ad eos mittendos putabat pontifex, Zachariam Delfinum, Pharensem, & Io. Franciscum Commendonum, Zacynthi episcopos, qui animos, vel nomen concilii perhorrescentes, promissis et rationibus circumflecterent. Cum autem Caesaris autoritate consilioque ad hanc rem maxime indigeret; ante omnia Vindobonam proficiscebantur nuntii, sententiam Ferdinandi exquirere iussi. Quo cum perveniissent, monentur a Caesare, ambo adeant sine mora protestantes Naumburgi ad Salam congregatos, cum iisque leniter et modeste agant: si enim singulos in sua quemque provincia convenire cogantur, verendum esse, ne, vt Thuanus libro XXVIII. in anno 1561. loquitur, ab alio ad alium remittantur. Igitur bini hoc consilium secuti (de quorum legatione Borromaeus etiam supra numero 39. ad Hosium scripserat) Naumburgum se conferunt, vbi civitatis episcopus, ad quem hanc epistolam Hosius dedit, magnopere iis et prodesse et obesse poterat.

Ambobus in vrbis curiam invitatis, die quinto Februarii anno 1561. simul auditi sunt, singulisque principibus, et absentium legatis, cum exposuissent, quae sibi pontifex mandasset, singula concilii diplomata, singulasque literas pontificias, cuique nominatim inscriptas, exhibuerunt, caesarisque nomine omnes hortati sunt, vt ad synodum Tridenti indictam convenirent. Acceptae quidem Pii IV. literae; sed cum post nuntiorum discessum animadversum esset, principes in epigraphe dilectos filios vocari; paulo post ad vnam omnes, vinculis earum nondum laxatis, remissae sunt nuntiis, quod neque pontificem pro suo patre, neque se pro eius filiis habere possent status protestantes. Cancellarius Hennebergicus, qui interfuit conventui, et acta authentica diligenter collegit, e quibus in tertia editione historiae Augustanae confessionis capite XIV. hanc protestantium congressionem luculenter descripsi, referebat tum, nimirum die sexto Februarii, ad principem suum, Georgium Ernestum, cum quo Hennebergica domus extincta est, literas pontificias tam artificiose obsignatas obtectasque fuisse, vt vocabula: *dilecto filio*, non statim apparerent. Fortassis hoc spectarunt principes, fieri haud posse, vt pontifex se paterno amore complecteretur, quos in bulla coenae quotannis a communione ecclesiae Romanae arceret his verbis: *excommunicamus et anathematizamus quoscunque Lutheranos.* Pallavicinus libro XV. capite II. id, quod ante profectionem nuntiorum de hoc conventu Vindobonae deliberatum, id vero, quod Naumburgi actum

eſt, capite III. enarravit. Idem etiam capite quarto commemorat, qua ratione nuntii ſeiuncti iter ſuum, indicendi concilii ergo, in ſuperiorem ac inferiorem Germaniam ſuſceptum, continuaverint.

XLIV.

Borromeus Hoſio Viennam.

Viſitatio monaſteriorum permiſſa Caeſari: Gallos bullam concilii improbaſſe: omnem cautionem adhibendam, ne Caeſar Gallorum partibus ſe miſceat.

Ad litteras D. Tuae diei XVIII. menſis exacti, in quibus loquitur de viſitatione & reformatione, quas Imperator in ditionibus patrimonii ſui fieri vellet, ita reſpondeo. Sanctiſſimum Dominum noſtrum habita ratione praeſentium temporum, manifeſtique periculi, in quo eae regiones eſſe inueniuntur, niſi eis efficaciſſimum quodque remedium adhibeatur, non modo non offendi ex eo, quod Maieſtas ſua iis ſe immiſcere videatur, quae ex Pontificali officio ad Sanctitatem ſuam ſpectant; ſed magnam etiam ei debere gratiam cogitationis & curae, quam de iis rebus capit: ſcit enim Maieſtatem ſuam non ad hoc moueri, vt cum hac ſancta ſede concurrat, ſed animo plane ſincero, vt negotio Dei inſeruiat, & animabus populorum illorum pro ſua parte ſubueniat. Nihilominus, vt & huius ſedis dignitas integre conſeruetur, & ea ſalua, voluntati quoque Imperatoris obſecundetur, hoc conſilii cepit ſanctitas ſua, vt tibi per incluſum his litteris Breue facultatem daret, eos homines ad hanc viſitationem & reformationem deſtinandi, qui tibi magis idonei viſi fuerint; ſed tamen meis his litteris hoc tibi iniungit expreſſe, vt tu cum effectu eos tantummodo deſtines, qui a Maieſtate ſua proponentur; ſciens eam propter notitiam perſonarum, ſuamque probitatem, neminem propoſiturum, niſi idoneum & huic muneri parem.

Rece-

Recepimus etiam alias litteras tuas diei XIIII. eiuſdem menſis; & quoad colloquia habita cum Sereniſſimo rege Bohemiae, ſanctiſſimus dominus noſter valde tuam rationem & prudentiam ac dexteritatem probat; indeque cum Dei auxilio fructum aliquem bonum ſperat.

Quoad bullas epiſcoporum Pannoniorum; iam compluribus abhinc diebus accepiſſe eas debes ab Reuerendo Commendono, qui eas detulit: pro certoque habeo, epiſcopis illis gratam benignitatem & liberalitatem erga eos ſanctiſſimi domini noſtri fuiſſe.

Quod maioris momenti eſt; id vt tenacius haereat menti tuae, ad extremum reliqui. Ex Gallia ſignificatur nobis tum ab Nuntio illic noſtro tum etiam ab aliis 62670445258730347858369356021 hoc ſibi muneris deſumpſiſſe, vt Bullam concilii improbet; nec modo id annititur, vt ea Bulla in conſiliis Galliae vitioſa inueniatur, praetextu, quod haec potius, vt ei videtur, continuatio ſit, quam noua indictio; ſed forte etiam procurauit & procurat, vt Imperator eandem opponat difficultatem: ad quod ſuſpicandum ducimur ex eo, quod Galli nullam adhuc nobis ſuper ea Bulla reſponſionem certam dederunt; & aperte ſcripſerunt, idem facturos ſe, quod Caeſarea Maieſtas. Hac de cauſa placuit Sanctitati ſuae ad te mittere dedita opera per diſpoſitos equos Secretarium Reuerendi Delfini; tibique iniungere, vt diligenter cum Maieſtate ſua agas, ne aures iis praeſtet, qui forte temptarent eam auertere ab ea coniunctione & rationum conſiliorumque conſenſu, qui ei cum ſanctiſſimo domino noſtro intercedit in omnibus rebus, praeſertimque in hoc ſanctiſſimo negotio concilii; in quo certe tam catholice, tam pie Maieſtas ſua hucuſque verſata eſt, vt ne deſiderari quidem amplius poſſit; cum reſponſiones ſuas ita ſemper attemperarit, quaſi conſilium daret, ſemperque quae dixerit ad ea, quae ab Sanctitate ſua eſſent decernenda retulerit: nec tamen dici poteſt, Bullam magis continuationem ſapere, quam nouam indictionem, cum in ea vſurpata ſint verba tam cauta, tam plena, tam temperata, vt ea

pro ſe quiſque poſſit eſſe contentus. Sanctiſſimus dominus noſter confidit, Maieſtatem ſuam iam Bullam pro bona ſanctaque, vt re ipſa eſt, admiſiſſe; ſed ſi adhuc res in deliberatione eſſet, enitere tu optima quaque ratione animum Imperatoris firmare: dic ei, ſi ipſe ſancto huic negotio aſſenſerit, in eoque perſtiterit, Gallos quoque ac perinde alias etiam nationes ad illud inclinaturas; quod ſi ſecus faceret, omnem hanc rem peſſum ituram: neque dubitare quiſpiam debet, quin ſanctiſſimus D. N. in hac ratione concilii omnibus chriſtianis nationibus, quaecunque honeſte poterit, ſatisfactionis genera ſit daturus, omniaque illa facturus, quae facere bonus Pontifex debet, vt errantes in rectam ſemitam reducantur, aegrique ſanentur, quemadmodum manifeſto omnibus, cum quibus locuta eſt ſanctitas ſua, declarauit: & tu potes itidem omnibus confirmare. Sed quia tu prudentiſſimus es, nihil amplius dicam, niſi quod, ſi Reuerendus Delfinus & Commendonus etiam nunc iſtic erunt, has cum eis literas communices. Per eum, qui has literas deferet, mittit tibi dono S. D. N. vltra tuum ordinarium ſalarium quingentos ſcutatos aureos numeratae pecuniae, vt commodis tuis conſulere poſſis, laetoque animo toleres ſumptus quos facis: ſed hoc tibi perſuadeas velim, has eſſe paruas ſignificationes magni animi, quem Sanctiſſimus habet tibi maioribus in rebus gratificandi, iuxta tua multa merita.

Accepimus litteras commendatitias electi Salisburgenſis; quem Sanctitas ſua ob teſtimonium tuum, multoque magis Imperatoris confirmare curabit; eamque expeditionem ego quoque pro virili mea promouebo: & me tibi ex animo offero atque commendo. Datum Romae die XIII. Januarii MDLXI.

Eiusdem R. D. Tuae

vti frater

C. Cardinalis Borromeus.

Non

Non mittimus per Secretarium Delfini quingentos illos ſcutatos, quos in noſtris litteris dicebamus mittere, ne aliquo malo caſu amitterentur. Mittemus autem ſcedam banchariam per Canobium. Quod velim ſcias, vt interim hilarius de eis diſponas, ac ſi iam numeratos recepiſſes.

ANNOTATIO.

Cardinalem Lotharingum, ſupra p. 27. de concilio apud Caeſarem queſtum, quod ipſe tum Auguſtanae confeſſioni, vt Thuanus libro XXVIII. refert, haud dubie in pleriſque aſſentiretur, hac Borromei epiſtola incuſari, vix dubium eſſe poteſt peritis hiſtoriarum. Certe ex Borromei literis manifeſtum fit, Thuani coniecturam vanam non fuiſſe, quam dicto libro, recitata reginae Catharinae ad Pium IV. epiſtola, ita prodidit: *His literis Gallica libertate et tempore maxime ſuſpecto, quo de concilio nationali apud nos habendo fama paſſim increbuerat, ſcriptis, immane quantum commotus eſt Pontifex. Quod tamen ab illo pro tempore diſſimulatum in cauſa fuiſſe creditur, vt de concilio oecumenico, cuius ſpem magis excitaverat, quam fidem praeſtare decreverat, ſerio cogitare ceperit.* Sed quoquo modo ſe res habeat; hoc tamen exploratum nobis eſt, clerum Gallicanum ne ab initio quidem bene de concilio, eiuſque fructu ſperare potuiſſe. Sic enim Ioannes Bellaius, ſummae doctrinae virtutiſque cardinalis, circa ſynodi auſpicium ad Petrum Caſtellanum, epiſcopum Matiſconum, ſcripſit. *

Ad Petrum Caſtellanum Epiſcopum Matiſconum.

Non hoc, Tridenti quod fremitu vago
Proſcindimur, te eommoueat magis,
Caſtelle, quam hyberna rigentem
Concutiunt Gyarum procellae.
Namque inter iſtos ut fatear Patres
Vnum notari poſſe, vel alterum,
Quem conferas illis beati
Tempora quos aluere ſecli:

* *Extat hoc carmen p. 154. in Bellaii poematis, quae Salmonius Macrinus, regis cubicularius, ſuis odarum libris tribus, Franciſco I. dedicatis, annoque 1546. ex officina Roberti Stephani, typographi regii, editis adiunxit.*

Totius at pars Concilii quota eſt
Quae recta ſpectet? ſiue reflectere (ut
Obliqua nunc eſt) morum amuſſim
Quærimus æditui ſagaces:
Seu nos legentes ipſa, apium modo,
Libata ſacris ex adytis bona
Fucis reluctamur, parantes
Mella cauis retinenda noſtris:
Molimur, inquam, ſiue ea, ſeu bonus
Vltro eſt daturus Cœlicolûm parens:
At non ſacrorum eſt iis miniſtris,
Flaminibuſue daturus iſtis:
Nam fama nobis percelebris niſi
Imponit, id non hic agitur, grauis
Vt fulciatur, quam minari
Omnia proſpicimus, ruina.
Hunc ira torquet plena tyrannidis,
Blanditur ille aut Concilio, aut ſibi,
Hic cautus ima quæ volutat
Mente premit, dubius futuri.
Quoſdam procax vis ingenii ferit,
Caligo quoſdam, aut ſegnis inertia,
Sunt certa quos, ſunt quos cupita
Præmia & huc rapiant, & illuc.
Quid quod vel ipſis de auſpiciis rei
Tantæ a quibuſdam quæritur? O nefas!
In publica ludi ſalute, ab
Ipſius auſpicibus ſalutis?
Tollenda ſi qui tecta locauerit,
Id ſerio non tractet: ab ultima
Si molibus baſi ſolutis
Fecerit arx vitium, quid ultra
Aut tecta ſperes eſſe tibi imbrium
Tutamen, arcem aut effugium, truci

Quod Martis ad primos tumultus
Obiicias ſapienter hoſti?
Caſtelle, clament quamlibet aut Patres
Iam quos Tridentum detinet, aut alii
Iis qui artibus tectas caducæ
Inſidias faciunt Tyaræ:
Ne des huic tete, obſecro, fabulæ,
Comœdiam quæ nec pariat ſuo
Ab fine, nec curſum per omnem
Effugiat tragicos furores.

XLV.

Borromeus Hoſio.

Tempori ſerviens mittit aliud breve, quo Caeſari conceditur poteſtas eligendi et conſtituendi reformatores monaſteriorum, ita tamen, vt nuntius illud penes ſe retinere debeat, donec odoretur, Caeſarem ſui praeteritione in hoc negotio offendi.

Ea eſt S. D. N. propenſio animi ſatisfaciendi Imperatori in omnibus, quae poteſt, vt, cum in dubitationem veniſſet, ſuam M. offendi poſſe, dari tibi, non ipſi, facultatem deputandi viſitatores & reformatores illorum monaſteriorum, voluerit aliud Breue M. ſuae mitti, quod his litteris erit alligatum, in quo S. M. eandem dat auctoritatem, quae in altero data eſt tibi. Itaque vult Sanctitas ſua, vt tu pro tua prudentia cures primum diligenter, tibi concedi executionem tui Breuis, neque de altero mentionem vllam facias, niſi prius plane cognoueris, ſuam maieſtatem in hac re non libenter acquieſcere; quo caſu ſuum ei praebebis, dabiſque operam optima quaque ratione, vt intelligat, nihil magis velle S. S. quam quae Maieſtas ſua velle videtur: ea enim eſt praeſentium temporum ratio, vt multo pluris facere debeamus

beamus fructum tam boni operis, quam parvum illud dignitatis detrimentum, quod ex hac conceſſione euenire poſſet, & praeſertim cum Imperatore, qui ſe animo tam pio & Zelanti mouet ad hoc ſalutare opus peragendum. Tuae igitur erit prudentiae, hanc S. D. noſtri mentem ita exequi, vt fructus ex ea optimus percipiatur. Et me tibi quo ſoleo animo offero. Datum Romae die XIII. Ianuarii 1561.

XLVI.

Cardinalis Moronus Hoſio.

Dolet de ſimultate inter nuntios, gratulaturque Hoſio cardinalitiam dignitatem.

Feſtinatio tabellarii facit, ne ad omnia, quae in literis D. V. Illuſtriſſ. & R. VII. Februarii die datis continentur de horrenda haereſi Morauiana, de bulla concilii, de Proteſtantium arrogantia & tergiuerſatione, ſigillatim reſpondeam. Summatim dicam, magnum me ex iis rebus dolorem capere; Hungaricis epiſcopis omnia eſſe perbenigne remiſſa praeter operae mercedem, qua fraudari nullo modo mercenarii poſſunt. Delfino inprimis mandatum fuit, vt non modo cum Illuſtriſſima D. V. omnia communicaret, verum illam auctorem & caput in omnibus negotiis & conſiliis haberet: eum mandata Pontificis & vero monita mea non ſeruaſſe, & mihi & Pontifici ipſi permoleſtum ſane fuit. Sed de his hactenus. Nam hanc epiſtolam non ideo inprimis ſcripſi, vt literis D. V. Illuſtriſſimae reſponderem, ſed vt gratulationem complecterer iſto Cardinalatus honore, ad quem D. T. Illuſtriſſimam Pontifex ſumma cum ſuae erga illam voluntatis ſignificatione, tum collegarum atque omnium ordinum gaudio extulit. Ego quidem tanta laetitia ſum affectus, quantam

tam maximam animus meus capere poteſt ; idque non tam D. V. R. cui tamen propter eximium meum erga illam ſtudium ac perpetuam obſeruantiam omnia ſumma atque ampliſſima cupio, quam collegii noſtri & ſanctae eccleſiae inprimis cauſa. Ea eſt enim de D. V. Illuſtriſſima ac de ſummis & ſingularibus eius virtutibus hominum exiſtimatio, vt quoniam in eximia illius doctrina ac pietate ſummum ac praecipuum ſit rebus Eccleſiae afflictis praeſidium, ſtabiliſque & conſtans aduerſus veritatis oppugnatores defenſio, nulla iam honorum inſignia dignitatem illi addere poſſint. Itaque collegio noſtro, vt dixi, gratulandum eſt, quod tanto ornamento auctum ſit & illuſtratum ; & Eccleſiae, quae D. V. R. in ſe meritis, quibus nulla ſunt hac noſtra aetate plane maiora, iam diu debitam quamque maximam poteſt, gratiam refert. Multus ſane eſſe vellem in hoc officio, ſed neque coniunctio noſtra plura verba deſiderat, & tabellarius vrget. D. V. R. valetudini ſeruiat; ſeque ad eccleſiae tempora, quae qualia inſtent, videt, quantum poteſt, reſeruet; deque meo in ſe ſtudio ac diligentia omnia ſibi prolixe promittat. Datum Romae IIII Cal. Martias MDLXL

ANNOTATIO.

Cardinalis Ioannis Moroni vitam ſcripſerunt Auberius in hiſtoria generali cardinalium Mazarino dedicata, parte IV. p. 53. Vghellus Italiae ſacrae to. II. p. m. 136. et ante vtrumque Petramellarius continuatione ad Onuphrii vitas pontificum p. m. 247. In lucem prolatus eſt Moronus, patricius Mediolanenſis, anno 1509. Clemens VII. iuvenem adhuc epiſcopatu Mutinenſi donavit, Paulus autem III. anno 1542. variis legationibus cum laude functum cardinalitia dignitate ornavit. Sed poſtea diu in Germania pontificis nomine commoratus, et proteſtantium conſuetudine per officii ſui rationes vſus, a Paulo IV. ob Lutheraniſmi ſuſpicionem Romae in Hadriani mole diuturno carcere affligitur, ex quo eum Pius IV. anno 1560. liberavit, dignumque habuit, quem inter tres, ad ſynodum Tridentinam ablegatos cardinales ac praeſides, primum pronuntiaret. Diem ſuum obiit Romae anno Chriſti 1580. aetatis ſuae 72.

XLVII.

Cardinalis Simoneta Hosio.

Significat, se et Hosium anno 1561. die 26. Februarii cardinalitia dignitate ornatos esse.

Antequam hæ litteræ D. V. Illustrissimæ & Reverendissimæ deferentur, intelliget & se & me inter ceteros a Sanctissimo D. N. hesterno die in Cardinalium ordinem cooptatum fuisse. Id quod mihi multo iucundissimum accidit, non tam mea causa, quam Illustrissimæ D. V. quæ iampridem tot præstantissimis viris meritissime adnumeranda erat, & ad hunc clarissimum dignitatis gradum pro eximia suorum erga sedem Apostolicam meritorum magnitudine promovenda. Quare mirum in modum gratulor Illustrissimæ D. V. sibi hoc tempore hanc dignitatis accessionem contigisse, quam spero libenter acceptum iri ab Ill. D. V. dum Sanctissimi D. N. iudicium de illa ornanda & meritis honoribus cumulanda, una omnium voce constantissima probatur. Quamvis & hæc & maiora Illustrissimæ D. V. iam olim debentur pro clarissimis virtutibus eius; quæ me quidem Illustrissimæ D. V. tantum ex animo addixerunt, vt omnia illius commoda & ornamenta pro meis ipsis ducam; effeceruntque, ut quamprimum has ad illam litteras darem, quibus illi maxime testatum velim, me præcipue inter suos, quos Romæ habet, gaudere ob hunc suum Cardinalatus honorem, quem opto Illustrissimæ D. V. diutissimum fore ac felicissimum; mihique facultatem dari animo parem, omnia illi studia, omnemque, quam debeo, servitutem præstandi & perficiendi. Valeat Illustrissima D. V. cui me quam humillime commendo. Romæ tertio Calendas Martias anno 1561.

ANNOTATIO.

Ludovici Simonetae, a genere apud Mediolanenses nobili suam ducentis originem, annum natalem reperire non licuit. Cum iuris vtriusque doctor curiam

curiam Romanam aliquandiu frequentaſſet, epiſcopatum Piſaurienſem, Pauli III. beneficio, ob legalem ſapientiam anno 1536. adeptus eſt. Pius IV. anno in argumento epiſtolae dicto, cardinalem creavit, & praeſidentibus concilii Tridentini adiunxit, quo in munere parum inter eum & cardinalem Lotharingum conveniſſe, Oldoinus annotat. Obiit Romae anno 1568. Mirum prorſus eſt, quod de quodam pſeudoſimoneta Petramellarius p. 155. & Oldoinus to. III. col. 924. commemorarunt. Quoniam res in patrum purpuratorum hiſtoria, quod ſciam, exemplum non habet, Petramellarii relationem adſcribam:

Verum non ab re fuerit; ſceleſtum facinus, patratum a nefario quodam homine, qui Simonetae Cardinalis facie perſimilis; ipſius nomen, habitumque vſurparat, in memoriam reuocare. Erat iuuenis infimae conditionis; ex patre tamen Dei timorem prae oculis habente, natus, qui (vt plerique malorum) ſpreto ipſius conſilio: hortabatur enim hunc pater quotidie, vt ad artem aliquam exercendam, qua victum ſibi pararet, animum induceret: praedonibus comitem ſe addixit, & talem ſe in latrociniis oſtendit, vt breui inter ipſos primum locum ſit conſecutus, & eo temeritatis venit, vt, quo facilius furari ſibi liceret, cum Ludouicum Simonetam facie repreſentaret, Cardinalis habitum indutus, & ipſius Cardinalis ſimulata grauitate, ſibi Legati nomen arrogans, magna latronum caterua inſequente, quaſi honeſta familia, qui ipſi in diuerſis officiis coram inſeruiebant coronatus, multis in locis in Ciuitatum finibus, in montibus praeſertim vagans, impedimenta matrimonii in tertio, & ſecundo affinitatis gradu, & diſpenſationes concedendo, renunciationibus beneficiorum admiſſis, excommunicationis vinculo annexis, liberatis, indulgentiis conceſſis, & aliis ſimilibus, vel etiam multo maioribus, quae Legatus de latere facere conſueuit, perpetratis, tantam auri vim, ex his ſibi comparauit, vt tota ſupellectilis, ex auro, atque argento, eſſet confecta, ex quo factum eſt, vt in tanta haberetur exiſtimatione, vt eum multi nobiles aliquando comitati ſint, hoſpitio honorifice exceperint, nec non precioſis muneribus fuerint proſecuti, inter quos Annibal Lambertinus, nobiliſſimus Bononienſis, Podii Rognatici Comes, hunc per comitatum ſuum iter agentem, vt domum ſuam diuerteret, eum ſuppliciter rogaſſet, ab hoc in eo hoſpitio, in quo morabatur, lautiſſimo, ac ſplendidiſſimo conuiuio, fuit exceptus. Cum autem in ditionem Bononienſem (Deo ita per-

mittente) qui, vt ibi, quæ multis in locis concederet, veniſſe, Petrus Donatus Cæſius, vrbis tunc præfectus, poſtea S. R. E. Cardinalis, audiuiſſet; lictoribus miſſis, eundem cum nonnullis ex familiaribus (nam multi fugæ ſe dederant) captum, & deterrimo carceri mancipatum, cum multa vir ſceleſtiſſimus indigna confeſſus eſſet, ſuſpendendum condemnauit, quod factum eſt, laqueo aureo ad collum appenſo, & marſupio vacuo, ac inſcriptione; qua populum; non hunc eſſe Cardinalem Simonetam, vt ſe iactabat: ſed graſſatorem, tunc ſine moneta moneret. Itaque tantis pecuniis per fas, ac nefas congeſtis, hoc effecit, vt aureo laqueo empto ſuſpenſus vitam, quam ſceleſtiſſime tranſegerat, ſceleſtiſſime etiam finiret.

XLVIII.

Borromeus Hoſio.

Pius IV. mandat Hoſio, vt ſe Tridentum conferat concilii dirigendi cauſa, promittitque pileum cardinalitium, & augmentum menſtruae penſionis.

Poſt vltimas litteras, quas ad R. D. Tuam ſcripſi die VI. huius menſis, aduenit Canobius, a quo recepi litteras tuas diei XXV. Februarii, continentes relationem negotii ſui; deinde recepi alias ſane breues diei XXVII: ad quas omnes nunc ita reſpondeo. Quod ad negotium concilii attinet; potes profecto certus eſſe, quod S. D. N. nunquam conſentiret in rem tam foedam, cuiuſmodi eſſet ſcandaloſiſſima illa pax religionis; iccirco his talibus rebus aures claudere debes, quandocunque illarum mentio fuerit illata, eaſque abhorrere & abominari.

Die X. huius menſis S. ſua in ſolita beneuolentia erga R. D. tuam perſeuerans, promittenſque abs te ſibi optimam quamque operam ad obſequium Dei, ſanctaeque eccleſiae commoda, legatum te concilii in Conſiſtorio creauit; tecumque R. Dominos

nos meos Seripandum & Simonetam, vltra priores iam creatos, Puteum ſcilicet & Mantuanum: quod tibi ex animo gratulor. Quia vero ex Gallia nobis ſignificatur, eum regem omnino, & ſine vlla exceptione acceptaſſe Bullam concilii; & conſtituiſſe fieri electionem Praelatorum regni ſui atque oratorum mittendorum debito tempore Tridentum; nolens S. D. N. nec ipſe vlla in parte deeſſe muneri ſuo, decreuit, vt praedicti omnes R. legati diſcedant Tridentum ſequenti hebdomada; mihique praeterea iniunxit, vt monerem R. D. tuam, vti, nullo contrario iuſſu obſtante, inſtet a Caeſarea Maieſtate elicere ſupremam eius ſententiam ſuper negotio concilii; procurando, vt quouſque reliquum Germaniae conſtituat, quid facere velit, Maieſtas ſua non deſit mittendis illuc praelatis, quibus imperare poteſt, aut ſaltem oratoribus, qui concilio nomine Maieſtatis ſuae aſſiſtant. Quod cum Maieſtas ſua facere decreuerit; vult S. ſua te nullo expectato hinc vlteriore mandato, ſtatim Tridentum iter aggredi ad officium legati exequendum: & aut illuc, aut Viennam, antequam hinc diſcedas, mittet tibi pileum Cardinalitii honoris inſigne. Statuit tibi praeterea ab Calendis Aprilibus prouiſionem menſtruam quingentorum aureorum; admonebiturque procurator hic tuus, vt eos deinceps exigat: & quia ſcio te mandata Sanctitatis ſuae diligenter executurum, non ero hic longior.

Mitto ad te Breue Sanctitatis ſuae, quod ſcribit ad Caeſaream Maieſtatem in commendationem Aquiſgranenſium; itemque eius exemplum, vt Breue ei exhibeas, & quibus poteris officiis negotium adiuues. Et me Ill. D. Tuae humillime commendo, quam Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus incolumem laetamque conſeruet. Datum Romae die XV Martii 1561.

ANNOTATIO.

Per pacem foedam religionis intelligit ea, quae hoc anno 1561. reginae Catharinae iuſſu in colloquio Poſſiaceno cum Hugonotis agitata ſunt. Lege Thuanum libro XXVIII.

XLIX.

Puteus Hoſio.

In legatione ad ſynodum ſibi Hoſium collegam adiunctum eſſe.

Cum IIII. Id. litteras tuas Canobius mihi reddidiſſet; ab eoque multa honorifice de te, deque ſumma tua in negotiis pertractandis cum Caeſare prudentia & dexteritate cognouiſſem; allatae mihi heri alterae tuae ſunt tertio Cal. Martii datae; ad quas breuiſſime ſimul reſpondebo. Nam te Valentini tui cauſa Ticinius (id enim mihi ſe curaturum promiſit) pluribus verbis perſcribet; meoque etiam nomine te ſubmonebit, quae neceſſario lites ſequuntur, ea nullo conſilio vitari poſſe: quare aut eſſe ferenda, aut ab omni fori contentione abſtinendum: de compulſorialibus autem (quas vocant) aduerſario conceſſis non eſt quod labores; nullam enim eae moram iudicio afferre ſolent: in mora autem id eſſe audio, quod cauſa nondum inſtructa eſt: quamquam ſumma diligentia & ſtudio procuratoris id inprimis agitur, vt nuper ipſe mihi confirmauit. De concilio (vt vides) liberum ſibi eſſe putat vnuſquiſque pronuntiare quod ſentit, vel fortaſſe etiam quod cupit, aut ſtudet. Sed tamen breui res ipſa oſtendet, veriſne an confictis impedimentis a nobis, an ab aliis negotium differatur. Quae ſcripſerint Nuntii, non vidi; tibi tamen libenter aſſentior; nam eiuſmodi multa ſaepius accidiſſe ex aliis didici, & aliquando etiam ipſe comperi. Sed quid facias? homines ſumus. Tu (quod magno deſiderio expectabam) cum Siripando & Simonetta Romanis Cardinalibus adiunctus nobis collega es in legatione ad Synodum. Faxit Deus optimus maximus, vt in grauiſſimo negotio perficiendo omnes omnium ordinum & nationum voluntates & ſtudia ita coëant, vt vnum omnes & velimus & ſentiamus, atque interea, quae iſtic de monaſteriorum viſitatione auctoritate tua inchoata ſunt

ea perfecta omnia ex bonorum ſententia propediem audiamus. Reliquum nihil eſt, quod hoc tempore ad te ſcribam, niſi me Canobii de te perhonorifica praedicatione ita delectatum, vt, quoniam tibi praeſens praeſenti tantas honoris acceſſiones gratulari non poſſum, veris laudibus tuis & audiendis & commemorandis videar aliqua ex parte deſiderii mei ardorem reſtinguere. Ego nondum domo pedem effero, quod imbecillitate crurum & ipſorum inprimis pedum debilitate corpus ſuſtinere per me non poſſum: ſed ſpero tamen breui vires recuperaturum. Vale & me (quod benigne ſemper feciſti) amice dilige. Roma Idibus Martii MDLXI.

L.

Borromeus Hoſio.

Praecipit pontifex, vt Hoſius Tridentum proficiſcatur, ſimul ac ſcierit, collibitum eſſe Caeſari, legatos ad concilium mittere: revocat facultatem duci Clivenſi datam, qui Duisbergae academiam condere volebat: Venetos ſuos legatos ad concilium miſſuros.

Die Sabbati proxime exacta, quae fuit XV praeſentis menſis, ſcripſi ad R. D. tuam, quaecunque incidebant; quas etiam nunc litteras eodem exemplo mitto. Habitis deinde litteris eius, dierum 3 & 6. ei denuo dico, S. D. noſtrum velle, vt tu, qui vnus es legatorum concilii, cum primum acceperis ab ſua Caeſarea Maieſtate ſupremum aſſenſum ſuper mittendis ad concilium legatis ſuis atque praelatis, ſtatim iter Tridentum aggrediaris: atque interim Reuerendiſſimus Delfinus, ſi Viennam reuerſus fuerit, quemadmodum tu ſcripſiſti, illum ad proximum Paſca eſſe facturum, onus ſubibit ordinarii Nuntii apud Caeſaream Maieſtatem. Mantuanus iamiam eſt diſceſſurus; eſt autem tam vicinus Tridento, vt ſtatim illuc ſit peruenturus. Seripandus

pandus omnino intra tres dies proficiſcetur. Idem faceret & Puteus, ni valetudine impediretur; quae ſi illum diutius morabitur, mittet S. D. N. (ſi neceſſe fuerit) Reuerendiſſimum Simonetam poſt feſta Paſcalia.

Petierat a S. D. N. Dux Cleuenſis facultatem erigendae academiae in oppido Duisberga ditionis ſuae, quam facultatem Sanctitas eius pro ſuo perpetuo deſiderio demerendi omnes eos, qui Imperatorem affinitate contingunt, quemadmodum hic Dux, qui eius gener eſt, concedere ſane libenter inſtituit, Bullaeque de ea re expeditae fuerunt. Sed cum deinde multis ſane ex partibus & regionibus cognouerit S. ſua, id oppidum Duisbergae aſilum quoddam eſſe haereticorum, atque ex hac inibi erectione academiae, magnum fidei catholicae damnum poſſe proficiſci; proinde eam facultatem, quam dederat, eſt coacta reuocare: quam reuocationem, ne ille Dux aegre ferat, ſcribit ad eum Breue, quod his litteris iunctum eſt; mihique iniunxit, vt illud cum eius exemplo in manus R. D. T. mittam, vt eo viſo communicare cum Imperatore rem poſſit, atque ab eo poſtulare, vt huic Breui adiungere velit ſuas litteras; perſuaſum enim eſt Sanctitati ſuae, Caeſaream Maieſtatem pro auctoritate quam habet cum eo Duce effecturam, vt ille aequo animo admittat rationes, quibus adducta eſt S. ſua ad ſupradictam gratiam reuocandam. Poſſem quidem complures ad te ſcripturas mittere, ſuper quibus Sanctitas ſua hanc reuocationem fundauit, ſed vna ſufficiet; idque erit exemplum litterarum cuiuſdam magni viri, fideque digniſſimi. R. D. tua pro conditione negotii id tranſiget cum Maieſtate Caeſarea; ac deinde mittet ad Ducem Breue cum litteris Caeſaris; & de his, quae ſecuta fuerint, faciet nos certiores.

Officia, quae cum Imperatore, cumque Sereniſſimo rege eius filio indies facis, ſane grata ſunt Sereniſſimo D. noſtro, atque ab eo admodum commendantur: honoremque & humanitatem ac gratiam, qua te illi proſequuntur, in ſe ipſum exiſtima eſſe collocata.

Quo

Quod abs te quaesiuit rex Bohemiae, an Veneti missuri essent ad Concilium legatos suos; potes ei sine vlla dubitatione affirmare, eos tanquam obsequentissimos sanctae ecclesiae filios promptissime esse facturos, quicquid S. D. N. placuerit sine vlla exceptione. Neque de hac re dubites quicquam. Strasoldus, praesentium ostensor, Camerarius S. D. N. defert ad R. D. tuam pileum Cardinalis, vt honoratius huic sancto negotio concilii possit incumbere; quem tibi honorem esse habitum gratulor. Non enim solet pileus, nisi perquam raro, nouis Cardinalibus mitti, sed hic coram praesentibus dari Pontificis maximi manu.

Et quia Canobius, qui deferet Sereniſſimae Bohemiae Reginae rosam benedictam in Dominica Laetare, cito ad vos redibit, per quem iterum R. D. Tuae scribam; nihil nunc aliud dicam: tantum me ei humiliter commendo, Deumque pro sua incolumitate rogo. Datum Romae die XXIII. Martii MDLXI.

LI.

Hosius Pflugio.

Caesarem et Gallum legatos Tridentum missuros esse: sciscitatur etiam de mente principum protestantium, et conventu Brunsvicensi.

Antequam ad priores R. D. vestrae literas responderem, idibus Februarii ad me datas, redditae mihi sunt & alterae illius scriptae sexto idus Martii, vtrisque nunc respondebo, etsi breuius fortasse, quam vterque nostrum vellet. Quod vt ita faciam, cogunt me ingentes occupationes, & scribendi labores, quibus valde distineor. Ago autem R. D. vestrae gratias, quod me subinde suis literis appellare non intermittit, & iis de rebus certiorem reddit, quae vt sciam, mea plurimum interesse arbi-

tratur. Vidi reſponſum datum S. D. Noſtri Nunciis, a principibus, qui conuenerant Numburgum, de quo nihil nunc attinet ſcribere. Sed & ſcriptum hoc nuper ad me miſſum a R. D. veſtra legi, & quae ſit mens iſtorum principum, aliqua ex parte cognoui. Videntur nihil minus quam Concilium cupere, quod tamen a multis expeti, magniſque praecibus flagitari cernimus. De quo ago ſaepe cum Caeſarea Maieſtate ac vt ſuos ad illud oratores deſignet, vrgeo, quod ſe breui facturam pollicetur, ſed & Chriſtianiſſimus rex bullam Concilii recepit, ſuoſque Tridentum oratores & epiſcopos mittit, ſicut mihi ſcribitur ex Galliis. Sanctiſſimus vero dominus noſter mandauit Illuſtriſſimo Cardinali Mantuano, qui primus eſt ex praeſidentibus concilii, vt ad dominicam Palmarum Tridenti praeſto adſit quem ſequentur alii eiuſdem ſanctitatis legati & epiſcopi: quorum etiam caetus erit frequentior, poſteaquam legatos iam eſſe in loco vbi Concilium haberi debet, intellexerint. Ea res nobis ſpem facit, vt breui Concilium congregatum videamus. Cuius vt fructum quoque cernere poſſimus, Deus nobis praecibus diligenter eſt pulſandus. Quem habuerit exitum conuenticulum Brunſuicenſe, nondum ſcio, de quo ſi me certiorem reddere grauata non fuerit R. D. veſtra, fecerit mihi rem valde gratam. Vehementer enim cupio, non ſolum ſtatum rerum in Germania, verum etiam conſilia Principum ſi fieri poſſet, cognoſcere, vt quid hic mihi quoque faciendum ſit, ſcire valeam. Hic nouarum rerum nihil eſt praeterea. Opto R. D. veſtram diu eſſe incolumem & faelicem. Cuius me fraternae beneuolentiae commendo. Ex Vienna die XXVII Martii Anno Domini M. D. LXI.

ANNOTATIO.

Conventiculum, quod vocat Hoſius, fuit conventus publicus ſtatuum circuli Saxoniae inferioris, menſe Februario anno 1561. indictus Brunſvigam. Cauſa fuit Alberti Hardenbergii Calviniſmus, Brehmae publice ſparſus e cathedra eccleſiaſtica, quem tuebatur Daniel a Büren, conſul Brehmenſis, ambo carisſimi Melanchthonis diſcipuli. De hoc conventu prolixe egerunt Rethmeyerus

rus historiae ecclesiae Brunsvicensis parte III. capite VII. et Loescherus in historia motuum religionis parte II. cap. VIII. Paulo post hanc coitionem circularem Daniel a Büren calvinismum vi et armis in vrbem Brehmam introduxit: qua de re extat anno 1562. edita D. Simonis Musaei vera narratio de Brehmensi seditione excitata a sacramentariis. Sunt nobis non paucae Büreni epistolae avtographae, quibus professores Wittebergenses, Melanchthonis cryptocalvinianos discipulos, omnium destinationum suarum participes feci.

LII.

Puteus Hosio.

De sacerdotiorum Hosii reditibus narrat, regemque Polonum confidit facile consensurum in eius cardinalatum.

Scripseram ad te superioribus litteris meis de Canonicatu Vniciouiensi iniectam fuisse nobis spem, fore, vt quaecumque tuo nomine postulassemus, impetrarentur. Postulauimus autem, & impetrauimus tibi canonicatum ea conditione, vt intra annum dimittas, cum eo tamen, vt cui velis, tibi interea illum cedere liceat. Quare habes, quid sit actum tua causa: hoc tamen ita factum est, quia Cardinales ex decreto Lateranensis concilii non possunt adipisci sacerdotium vllum, cuius census & professio infra ducentos aureos taxetur. Tuum nunc erit perficere, vt inter Archiepiscopum Gnesnensem & Martinum Cromerum honesta aliqua ratione de toto negotio conueniat, ita vt intra praescriptum temporis spatium alteri possis sacerdotio cedere. Curabo autem (si fieri poterit) vt expediti supplicis libelli exemplum vna cum his litteris ad te mittatur. Quod attinet ad eam animi tui suspensionem, qua video te necessario plurimum laborare, scito me non mediocriter etiam perturbari: non quia tibi non censeam certum esse oportere, vt oblata & missa ad te tanti honoris ornamenta, statim cum summa grati animi tui significatione recipias; sed quia nonnihil verear (vt sunt & ipsa per se

tempora, & hominum etiam voluntates in malum inclinatiores) ne quid tibi moleſtiae exhibeatur ab improbis, praeſertim in recenti hac multorum bonorum gratulatione; vt eam ſi prorſus labefactare non poſſunt, aliquo tamen modo interturbent. Sed cenſeo tibi omnia conſtantiſſime perferenda, ſperandumque propediem ſereniſſimi regis tui adſenſum honori tuo magnum decus additurum: nam non modo egregiis tuis virtutibus, vt hoc benigne tibi largiatur, adduci rex ipſe debet; verum etiam Pontificis Caeſariſque litteris, aliorumque multorum precibus ſpero illum tantum tributurum, vt etiamſi in te offenſiore animo eſſet, magnam ſe apud Principes omnes inhumanitatis ac propemodum impietatis notam ſubiturum arbitretur, niſi & ipſe quoque ad hanc dignitatis tuae amplificationem, praeter adſenſum, propenſamque animi voluntatem, aliquid etiam tanto rege digniſſimi ornamenti liberaliter conferat. Quare bono animo eſto, & mihi gratiſſimum fuiſſe ſcito, quod exempla litterarum ad regem, alioſque, ad me curaſti. Vale, & me, vt ſoles, ama. Roma quarto Cal. Aprił. MDLXI.

LIII.

Borromeus Hoſio.

Iterum pontifex aptat τῷ πέτρῳ ϛάθμην, et concilii maturandi cauſa quaedam Caeſari impertitur, mittitque reginae Bohemiae auream Roſam.

Has ad R. D. tuam Canobius defert, qui & ſacram Roſam Sereniſſimae Reginae Bohemiae dabit, quemadmodum iam tibi ſignificaui per litteras meas die XXII Martii Straſoldo datas.

Accepi deinde litteras tuas diei XIIII. poſt quas, quia ad te perueniſſe debebunt & Breue & litterae S. D. noſtri, ſimul cum Bireto,

Bireto, pileoque cardinalatus inſignibus, & nos ſane confidimus, noluiſſe te Spiritui ſancto reſiſtere, non eſt quod aliud nunc ſuper hoc negotio reſpondeam. Quod ad reſponſionem attinet, quam Imperator ab S. D. noſtro expectat; nos nunc ignoramus, quas ad res reſponſum expectet Maieſtas ſua, cum poſt illa, quae a Commendono tractata ſunt, nihil inciderit, quod Sanctitas ſua ſignificari vellet Imperatori, niſi hoc tantum, quod vobis compluries ſcriptum eſt; expectare ſcilicet nos, vt certiores fiamus, miſiſſe Maieſtatem ſuam praelatos & oratores ſuos Tridentum, cauſa aſſiſtendi, interueniendique concilio, vt iam ea pollicita eſt, ſe huic rei pro ſua parte non defuturam; atque hac ſpe Sanctitas ſua & creauit legatos, & iam R. Mantuanum & Seripandum miſit Tridentum, & R. D. tuae iniunxit, vt & ipſa tum illuc proficiſcatur, cum Imperator oratores ſuos miſerit: poteris ergo modeſte inſtare, vt a Maieſtate ſua certum huius rei exequendae reſponſum feras; reddeſque ei has litteras S. D. noſtri, quas meis adiunxi, vbi inter alia Sanctitas ſua nonnulla de hoc negotio tangit, quemadmodum ex earum exemplo videbis. Gratulaberis praeterea Imperatori nouum partum Sereniſſimae Reginae Bohemiae nomine Sanctiſſimi D. N. & omnium noſtrum, qui rerum omnium proſperarum & iucundarum Maieſtatis ſuae ſemper ex animo participes ſumus.

Dices inſuper Maieſtati ſuae, Sereniſſimum D. N. non modo libenter annuiſſe conceſſioni reſeruationis pro fratre ſecretarii Gamez, ſed & eam re atque factis executum fuiſſe, conferendo ei iam nunc, in gratiam Maieſtatis ſuae, Cantoriam Badaioſae Pacenſis dioeceſeos, qua ſane is debet eſſe contentus, ſiue dignitatem ſiue reditus reſpiciat.

Addes & iſtud, Sanctitatem ſuam conceſſiſſe libenter & reſeruationem illam, quam eius Maieſtas pro ſuo medico petiit, & eomet ipſo modo, quo ſibi concedi petiit.

Praeter has ſupradictas gratias recordatus Sanctiſſimus D. N. Imperatorem ſibi alias commendaſſe Illuſtrem Phoebum de Turre & aliquot alios ſeruitores ſuos; pariterque Sereniſſimum

Regem Bohemiae & ipſum nonnullos Capellanos ſuos & quoſdam alios commendaſſe: idcirco nunc per occaſionem vacantiae Carafae decreuit reſeruare penſionem mille ſcutatorum in gratiam Maieſtatum ſuarum diſtribuendam, quemadmodum ipſis Maieſtatibus placebit.

Poterit ergo Reuerendiſſima D. T. vtrique earum hoc ſignificare, eiſque dicere, vt nominent eos, qui magis videantur mereri; nominaque eorum ſcripta cum portione penſionis, quam cuique aſſignabunt, ad nos mittet; ſtatim enim expeditio conficietur.

Si forte praeſentires, Imperatorem aegre ferre, quod ſupradicto Illuſtri Phoebo datus non ſit titulus Abbatiae vacantis in agro Forojulienſi per mortem Carafae; excuſabis Sanctiſſimum D. noſtrum quod id fecerit, vt Dominorum Venetorum reſpectum haberet, cum ea Abbatia in eorum dominio ſita ſit ad ipſa confinia terrarum Maieſtatis ſuae, habeatque temporalem iuriſdictionem & caſtella ſubiecta. Sed non deuenietur ad hoc excuſationis officium, niſi cum Reuerendiſſima D. tua eo viderit opus eſſe.

Quod Nuntii noſtri diuerſa renuntiauerint ab eis, quae Imperator habet ſuper reſponſione data Naumburgi a Proteſtantibus; id nobis quoque nouum videtur: poterit tamen Reuerendiſſimus Delfinus hunc tibi propediem ſcrupulum eximere, remque vt ſe habeat explicare: cum tamen ſatis intelligatur, illos nolle concilium.

Poteris etiam Sereniſſimo Regi Bohemiae nomine Sanctiſſimi D. noſtri & omnium noſtrum ſuſceptum modo filium maſculum gratulari; & iuxta ea, quae ſuperius recenſuimus, ei dicere, Sanctiſſimum D. noſtrum neſcire, quae ſit illa reſponſio, quam Pater eius Imperator ab Sanctitate ſua expectat, ſed potius Sanctitatem ſuam expectare, vt ipſe Tridentum mittat oratores & praelatos ſuos, quemadmodum iam fecit Sanctitas ſua; et ſi quicquam reſpondendum habebat Sanctitas ſua ad vltima ſcripta Imperatoris in negotio concilii, in dies ea verbo ſignificauit oratori

ratori Maieſtatis ſuae, a quo debet omnia cognouiſſe. Quod ad caeteras res attinet, quas ſcire te oportet, & hic aguntur, in Canobium cuncta reiicio, atque ideo longior non ero. Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus Reuerendiſſimam D. tuam incolumem laetamque conſeruet & proſperet, cui me ex animo offero & commendo. Datum Romae die prima Aprilis 1561.

ANNOTATIO.

Canobius, Pii IV. nuntius, in Poloniam ad Sigismundum Auguſtum proficiſcens, pertranſibat Viennam, obtentu perferendae roſae aureae, reipſa autem, vt multa tranſigeret ſuper concilio, quae Pallavicinus commemorat libro IV. capite IX.

LIV.

Puteus Hoſio.

Scire cupit, quo animo rex Poloniarum tulerit cardinalitiam dignitatem Hoſio collatam.

Proficiſcente ad vos Canobio, putaui mihi eſſe faciendum, vt de Canonicatus Vniciouienſis exitu aliquid ſcriberem: cum praeſertim videam litteras meas, quas ad te mittendas Ticinius curat, tardiſſime ad vos perferri. Cum primum igitur de eius Canonicatus vacatione per litteras tuas, quae mihi XIII. Cal. Aprilis ſub veſperam redditae fuerunt, cognoui; nihil intellexi a me tua cauſa perfici poſſe, niſi prius eius ſacerdotii conferendi facultatem non ad Cracouienſem, aut Gneſnenſem, ſed ad ſummum Pontificem ſpectare didiciſſem; id autem difficile mihi fuit, quamquam poſtridie mane feliciter obtigit, vt de vtriusque iure certior fierem: illud autem difficilius occurrit, quod intra cuius eccleſiae terminos Vnicionienſe oppidum ſitum eſſet, neque erat in tuis litteris adſcriptum, neque aliqua vlla coniectura

ctura conſequi poteram; poſtremo illud obſtabat, quod ex concilii Lateranenſis decretis nulli Cardinalium adipiſci ſacerdotium licet, niſi ducentis aureis eius cenſus taxetur. Quas tamen difficultates Reuerendiſſimi Cardinalis Simonettæ opera, qui Datarii adhuc munere fungitur, tuique ſtudioſiſſimus eſt, plane ſuperauimus: adiecta ea lege in ſupplici libello, vt intra annum eo ſacerdotio, quod tibi interea commendatum eſſet, alteri cedere & liceret, & neceſſe eſſet. Commode hæc perfecta erant, cum ecce aliud impedimentum maius obiectum audio: Cum enim Sabbato ad eos, qui libellos ſupplices omnes in publicos codices referendos curant, nondum noſter peruenisſet, vehementerque eius morae cauſam admirarer, diligenterque per Latinium procuraſſem, vt ſi quid noui impedimenti ſubortum eſſet, ad me deferretur: heri tandem Latinius repperit, Ioſepho cuidam Conarzowski iure conſulto ad primum vacaturum canonicatum in Collegiata eccleſia Vniciouienſis oppidi Gneſnenſis dioeceſis ius a Pio Quarto Pontifice tributum, eumque ſtatim curaſſe ſibi nouo etiam libello confirmationis oblato canonicatum per obitum Raphaelis Vargauski vacantem adiudicari. Quare neſcio quid tibi polliceri de ea re amplius poſſim. Haec ad te, vt acta omnia ſunt, perſcribenda curaui, vt ſi quid a Vobis ad hanc rem praeſidii afferri poteſt, dum adhuc recens eſt, de eo me ſtatim certiorem facias, quo tibi, cuius cauſa libenter omnia velle debeo, aliqua ex parte ſatisfacere poſſim. Vale & Cromero noſtro ex me ſalutem nuntiari pro ſumma tua humanitate curato. Roma Cal. Aprilis M. D. LXI.

* * *

Hæc ego ad te ſuperioribus diebus Canobio dederam, qui mihi ad vos illico profecturum ſe confirmarat: ſed quum illum adhuc neſcio quid expectare audiam, verearque ne ſilentium meum accuſes, volui ad te alterum exemplum mittere. Cupio autem

autem a te certior fieri, quum primum Tridentum perueneris, priuſque etiam, ſi tamen aliquid certi erit, quo animo Sereniſſimus Poloniæ Rex honorem Cardinalatus oblatum tibi a ſummo Pontifice acceperit; quibusque verbis de ea re vel gratulatus tibi ſit, vel certe ad litteras tuas reſponderit. Erit certe mihi gratiſſimum, ſi id illico ad me perſcribendum curaris: pendeo enim adhuc ſollicitus, non de tua aliqua dignitate, verum de commodis tuis; quamquam ſpero meliora de Regis benignitate. Vale. Roma XIII. Cal. Maii. M. D LXI.

LV.

Tridentinus Hoſio.

Laudat Hoſium, anno 1561. in die Paſchatos miſſa ſibi cardinalatus inſignia ſuſcepturum.

Ego vero Reuerendiſſime mi Varmienſis domine, meo in propoſito perſeuerabo, & quotieſcunque mihi poteſtas dabitur augendae dignitatis veſtrae, nihil praetermittam in ea ornanda, quod poſitum ſit aut in praemio virtutis, aut in honore verborum, atque ita agam, vt me non modo fautorem ſuum, ſed & amplificatorem cognoſcat, inprimis autem teſtimonium perhibebo, de aperta Pontificis in ſuo pileo, de non obſcura ſenatus voluntate, idque vbique & omnibus palam faciam, & inſimul D. V. Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae mihi & veritati officium ſedulo meum praeſtabo. Sed quis neſcit modeſtiam ſuam natura ingenitam & ſtudio comparatam? Quis neſcit diſtrictam fuiſſe ſemper omni ambitione, & valde alienam a curis hominum, ſemper in ſacris litteris verſatam, religioni vacauiſſe, animarum ſibi permiſſarum ſaluti incubuiſſe, in vinea Domini laborantem nunquam quieuiſſe aut otioſam fuiſſe. Quamobrem quid ad hoc dicere poterit ſapientiſſimus & certe chriſtianus Po-

lonus rex? procul dubio nihil niſi regia auctoritate dignum. Qui cum ſit nobiliſſimum chriſtianae reipublicae membrum, & inter primorum capita non poſtremum, magnopere probabit, quod de optimi Varmienſis perſona probauit Deus, quod iudicauit pontifex & collegium noſtrum decreuit. Pro ſua enim ſingulari prudentia ſolita eſt regia eius celſitudo publica commoda ſuis ſemper commodis anteferre. Hac itaque in parte bono quaeſo ſit animo D. V. R. & Illuſtriſſima, & nauim hanc conſcendat alacriter, diuinae vocationi parendo: ſuum ad exemplum etenim & nos alii connauigabimus, in ſoluendoque oram & in portu tenendo ſuam imitabimur & ſequemur induſtriam, quam & in hoc vehementer laudo, quod in die paſchatis noſtri ordinis inſignia ſumere deſtinauerit. Fuit namque tantis incoeptis tempus valde idoneum, tum propter Varmienſem nouum eccleſiae ſponſum tunc primum corona decoratum, tum propter communis ſalutis reſurgentem Dominum. Omnes enim hac in die viuunt ei, ſed ii praecipue, qui docti ſunt, D. V. R. perſimiles, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellae in perpetuas aeternitates. Redeunte igitur in partes iſtas Domino Canobio noſtro, libenter haec ſcribo, quae pluries ſcripſi, reſpondendo partim epiſtolae ſuae V. Kal. Aprilis Viennae datae, partim repetendo, ſcilicet vt firmiter teneat, me neque deeſſe vlla in re, neque vnquam defuturum laudi, gloriae, dignitati ſuae, licet quinquageſimum iam ſupra quintum diem cruribus laborauerim, perpetuo in tibiis me angente dolore, ita vt plures inſomnes duxerim noctes, non vrgente podagra, ſed neruorum frigore perſtringente. Valeat D. V. R. & Illuſtriſſima & libenter expectet, donec iuſſerit Pontifex equitare. Cui me humiliter ex animo commendo. Romae quarto Idus Aprilis MDLXI.

R. & Illuſtr. D. V.

humilis ſeruitor

C. Cardinalis Tridentinus.

LVI.

LVI.

Borromeus Hosio.

De nuntio pontificis, concilii significandi causa in Moscoviam mittendo: ob impedimenta ab Hispanis obiecta concilium nonnihil differendum esse.

Expeditio Canobii vsque in hunc diem dilata est iis de causis, quas ex eius sermone cognoscet R. tua dom. nunc, praeter illa quae videbit ex caeteris litteris meis, haec mihi dicenda sese offerunt. S. D. nostrum, licet Canobium aptum huic prouinciae profectionis in Moscouiam iudicaret, voluisse tamen etiam considerationem habere personae Reuer. episcopi Delfini, qui forte ad hanc rem potior est; iccircoque singulas expeditiones fieri iussit in vtriusque personam, quae nunc omnia per ipsummet Canobium ad te deferuntur, vt tu ipse Imperatorem adeas, cumque eius consilio statuas, vtrum eorum mittere expediat; quod enim tu sic statueris, id omne iam nunc approbat Sanctitas sua; neue haec profectio amplius differatur, mittuntur pariter ad te per viam Venetiarum mille scutati aurei in viaticum, quos ei qui in Moscouiam proficiscetur, dabis. In reliquis, refero me ad alias litteras meas, sermonemque Canobii. Deus ac Dominus noster Iesus Christus R. D. tuam incolumem laetamque conseruet atque augeat. Datum Romae die XVI. Aprilis MDLXI.

Dominus Ioannes de Ayala, quem rex Catholicus mittit ad S. D. N. vt ei significet difficultates, quae in illis regnis sunt ortae super bulla concilii, nondum venit, sed expectatur indies. Itaque nouit R. D. V. quod sine Praelatis Hispaniarum concilium esset infructuosum, & quod ante ipsorum aduentum necesse erit, vt ipse D. Ioannes aut redeat in Hispaniam, aut mittat ad regem suum responsum, quod a sua Sanctitate habuerit. Quare

cum ſua ſanctitas cognoſcat, concilium neceſſario per aliquot dies dilatum iri; videtur ei minime inſtandum apud Imperatorem, vt de praeſenti mittat Praelatos & oratores ſuos Tridentum, ſed tantum cum eius Maieſtate agendum, vt eos promptos habeat & itineri accinctos, cum primum nos ſignificabimus, Praelatos Hiſpaniarum venturos fore. Nam cum D. Ioannes Praelatus mandata ſua Sanctiſſimo D. noſtro expoſuerit, poterimus certiorem facere Maieſtatem ſuam ita in tempore, vt illa poſſit mittere ſuos Praelatos & oratores Tridentum, praeueniens in hoc alios Principes, quod & ſanctitas ſua optat & par eſt a Maieſtate ſua fieri, quae interim ex diuerſis Germaniae partibus habebit ea reſponſa, quae expectat. Volo autem D. V. R. ſcire, ipſum regem catholicum certo modo oſtendiſſe, ſe, poſtquam ſanctitas ſua audiuerit Praelatum nuntium ſuper rebus concilii, probaturum, quicquid in hoc negotio ſua ſanctitas ſtatuet: quocirca ſperandum eſt, breui tempore concilium habiturum eſſe progreſſum ſuum.

Putabamus pro itinere in Moſcouiam ſatis eſſe mille aureos. Sed cum illud iter & longum ſit & anguſtiis plenum, ſanctitas ſua voluit mittere litteras Cambii duorum millium aureorum, vt, ſi D. V. R. quae illius regionis inſtructa eſt, videbitur, dandos eſſe nuntio illuc profecturo vltra mille aureos, vel integram ſummam duorum millium, poſſit hoc facere, vt ei libebit, cum ſanctitas ſua ſciat, illam non daturam eſſe, niſi eam pecuniae ſummam, quae erit neceſſaria.

Si Reuerend. Pharenſis nondum Viennam reuerſus erit, vult ſanctiſſimus D. noſter, quod D. V. R. non expectato illius reditu curet expeditionem Canobii in Moſcouiam. Si vero Pharenſis redierit, & ei contingat haec profectio, D. V. Reverendiſſima retinebit apud ſe ipſum Canobium, cuius opera vtetur in negotiis ſanctitatis ſuae vſque ad reditum Pharenſis ex Moſcouia, & idcirco iniunximus illi, vt D. V. Reverendiſſimae obediat in iis omnibus, quae illi indies iniunxerit.

Vide-

Videbit R. D. V. incluſum memoriale ſuper abuſibus monaſteriorum Viennae, & pro ſolita prudentia & pietate ſua curabit, vt illis opportune prouideatur, deque ea re reſponſum nobis dabit.

Di Vienna ſi ſcriue, che'l Monaſterio chiamato delli Scoti ſemina mala dottrina alle volte nelli luoghi di ſua Giurisdittione preſſo à Vienna, ſpecialmente nell' amminiſtratione della Sta Euchariſtia. Si dice anchora d'altri diuerſi monaſterii, ch'oltre che viuono male li monachi, ſono infetti di diuerſi errori: in modo che li luoghi ſacri ſono molto profanamente tenuti.

Suppc^o adunque V. S. Illma proueda à tal diſſordine per le vie che à lei pareranno piu conuenienti.

LVII.

Borromeus Hoſio.

Mittit Breve, quo Boruſſiae dux ad concilium inuitatur.

Accepimus litteras Reuerendiſſimae D. tuae dierum XXIIII. & vltimi menſis exacti; hodieque etiam Straſoldus hic adfuit: &, quia Sanctiſſimus D. N. moleſte tulit de impedimento, quod te vereris habiturum ſuper reditibus epiſcopatus tui; iniunxit mihi, vt ei rei efficaciſſimum quodque remedium adhiberem; itaque ſtatim Breuia his litteris iuncta expediri curaui, quorum & exempla mitto, vt eo quod continent viſo, eis prout libuerit vti poſſis: ſcripſimus pariter de hac re ad epiſcopum Camerinenſem, & litterae his iunctae ſunt, per quas ei iniungitur, ne deſit impendere nomen, auctoritatemque ſanctitatis ſuae, vbicunque huic negotio opus fuerit; atque ita agere, ne vllum incommodum diſpendiumue patiaris.

Conſilium Reuerendiſſimae D. tuae de mittendo Canobium ad inuitandum Ducem Pruſſiae ad concilium, placuit Sanctiſſimo D. noſtro; idcircoque Breue ad eum Ducem ad te mitto, vt id vel praeſenti Canobio des, vel ad iam profectum mittas, inſtruens eum monitis & conſiliis his, quae tibi neceſſaria videbuntur. Illud quoque conſilium tuum, quod Canobius ſe interponat in negotio pacis inter Moſcouitam regemque Poloniae, non diſplicuit Sanctitati ſuae; & vt ita fiat, decreuit, modo ea res Imperatori quoque probetur, neue quicquam agatur praeter voluntatem praeterque notitiam ſuae Maieſtatis: propterea, ſi necdum diſceſſerit Canobius, poteris cum Imperatore agere, vt ei imponat, quid ſibi in hac re agendum eſſe videatur; ſcribimus autem & ad Canobium, vt mentem in hac re Maieſtatis ſuae exequatur; quod ſi iam ille profectus fuerit, poteris tu ſententiam Imperatoris exquirere, ſignificans Maieſtati eius, Sanctiſſimum D. noſtrum omnia illi in hoc negotio deferre; ac deinde ad Canobium ſcribes, quid eum agere oporteat; habet enim hoc ille mandatum, vt iuſſa tua perinde ac mea exequatur.

Hi rumores, qui iſtic ſparguntur, quod Sanctiſſimus D. N. nullos mittat ad concilium epiſcopos, imo eos, quos iam miſerit, reuocet, mera mendacia ſunt: etenim vltra duos legatos, aliquotque praelatos, qui iam Tridenti ſunt, non ceſſat & alios mittere, etiam vniuerſos, qui reſidui ſunt, miſſurus, ſi quidem videret, alios Principes mouere ſaltem incipere aliquot ex ſuis, quod Reuerendiſſimae D. tuae dictum velim, vt vbicunque inciderit, poſſit pleniſſimum teſtimonium ſuper hac veritate proferre. Quod ſi necdum miſſi ſunt ex Gallia neque oratores neque Praelati Tridentum, ſcias hoc non procedere a nobis; Nuntius enim noſter ſcribit, Dominos illos Gallos ſtatuiſſe, nolle ſe eſſe primos, ſed nec paſſuros, vt aliqui alii praeter eos ſint ſecundi; atque hoc tantum expectare, vt aut Imperator aut rex Catholicus incipiat.

Ratio inita ſuper Breui Ducis Cleuenſis, ſane bona eſt; relinqueturque Reuerentiſſimae D. Tuae cura, vt Imperator ſuper

ea

ea re officium faciat opportunum, ſi quae Pater Cytardus ſcripſerit opus eſſe.

Sanctiſſimus D. N. ob leuem admodum motum podagrae ſubiicere ſe coepit leuibus quibuſdam purgatiunculis, caetera ſanus & valens: ego quoque valeo, paratus & promptus ſemper obſequiis R. D. tuae, cui me ex animo offero atque commendo. Datum Romae die XVII Maii MDLXI.

Poſt redditas ab Straſoldo litteras R. D. tuae, nihil eſſe video, cui mea reſponſione ſit opus, cum & ipſae ſint maxima ex parte rerum incidentium nuntiae, & aliis eius litteris ſubſecutis ſatis ſupra reſponderim; quae tamen hae meae vſque ad hunc diem apud nos moratae ſunt. Itaque non omittam dicere, Sanctiſſimum D. N. vt aliquando tandem rem concilii cum rege catholico expediat atque explicet, ſtatuiſſe ad eum rurſum mittere epiſcopum Terracinenſem, qui iam iamque profecturus eſt, ibique Nuntius ordinarius remanſurus. Litterae ad Reuerendiſſimum Delfinum, quae his iunctae ſunt, vt ei cito fideliterque reddantur, curabis. Die XXII Maii.

ANNOTATIO.

Initium huius epiſtolae facile intelligitur ex Pii IV. ad Caeſarem die 20. Maii 1561. datis literis, quae ſic exordiuntur: *Allatum eſt ad nos, non paucos eſſe in Poloniae Regno, quos dilecti filii naſtri Stanislai in ampliſſimum S. R. E. Cardinalium ordinem cooptatio valde offenderit, quos etiam ſuſpicio eſt, in proximo Regni Poloniae Procerum Conventu id molituros, vt eum fructibus et reditibus Eccleſiae Varmienſis, cuius perpetuam adminiſtrationem illi commiſimus, ſpolient, quibus ablatis dignitatem ſuam tueri minime poſſet.* Reliqua ad hanc rem pertinentia habentur operum Hoſii tomo II. p. 229. ſqq.

LVIII.

Borromeus Hoſio.

Iter Tridentinum differendum, donec caeſar oratores et praelatos ad concilium miſiſſet.

Pro reſponſione litterarum R. D. Tuae diei VIII. menſis huius, hoc tibi debeo dicere, S. D. N. mentem eſſe, ne Tridentum proficiſcaris priuſquam Imperator illuc mittat oratores ſuos, itemque Praelatos, eos vtique, quos iam ex ſuis haereditariis ditionibus deſtinauit; eo magis, quia Reuer. Delfinus nondum iſtic eſt, ſed neque quando affuturus ſit, certo ſciri poteſt; nec ſanctae huius ſedis dignitati conueniret, vt nemo in iſta aula eius nomine reſideret; quare non te iſtinc mouebis, antequam ſe mouerint oratores & praelati Maieſtatis ſuae; & interim valetudinem tuam curabis, & quam maximos potes fructus procura in Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti cultum, & ſanctae ſedis huius obſequium. Vltimis litteris meis miſi R. D. tuae Breue ad Ducem Pruſſiae iuxta monitum tuum, & nonnulla alia Breuia ad te ipſum proprie pertinentia, cum eorum omnium exemplis; quorum mittendorum quia Reuerendiſſimo Cardinali Auguſtano placuit curam ſuſcipere, proque certo habeo omnia ad te fideliter peruentura, nihil ego aliud dixerim, niſi quod exempla litterarum, quae ad nos miſiſti, in ſecreta ſunt fidelique cuſtodia: quodſi Breuia in eam forte formam quam tu velles conſcripta non fuerint, reformabuntur ad libitum tuum; mihi enim certum deliberatumque eſt & in hac re & in caeteris omnibus ſemper obſequi voluntati tuae. Ad Canobium non ſcribo, cum iam profectus eſſe debeat; cui quod totam ſummam duorum millium aureorum dederis, iudicans minorem non poſſe ſufficere, factum tuum comprobat S. D. N.

Heri epiſcopus Terracinae per diſpoſitos equos hinc diſceſſit, quod nolui te neſcire, atque hoc fine meas litteras claudam,

Deum

Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum precatus, vt R. D. Tuam incolumem laetamque conſeruet atque augeat. Datum Romae. die XXIIII. Maii MDLXI.

LIX.

Puteus Hoſio.

Parſimoniam commendat.

Quid tibi faciendum cenſeant ii, quibus omnia tua commoda curae ſunt, perſcribet ad te pluribus Ticinius, qui heri mecum & cum Reuerendiſſimo Auguſtano multum fuit: nam quaedam ita agenda ſunt, vt tamen aliud agere velle videaris. Habenda autem ratio ſumptuum poſthac diligentius erit, neque vltra progrediendum in ea, quam patiantur annui reditus. Sed haec tu melius. Vale, & me, vt ſoles, ama. Roma XVIII. Cal. Iul. MDLXI.

LX.

Borromeus Hoſio.

Gallos indignante pontifice clerum ſuum conuocaſſe, indicto iam concilio oecumenico: rumorem de peremto concilio falſum eſſe.

Hò uiſto per piu lettere di V. S. Rma la gran doglienza ch'ella fà di non hauer da gran tempo in quà lettere noſtre. Jo le ſcriſſi à li 17. 22. et ultimo del paſſato, et a li 7. 14. et 21. del preſente, come la potrà uedere per le copie, che ſaranno qui alligate; et, ſe queſto ſi dimanda non hauere ſcritto, me ne chiamo in colpa; et V.S. Rma hà cauſa di dolerſi: mà credo che piu preſto habbiamo tutti cauſa di merauigliarſi, che tan-

te mie non le ſiano capitate ; hauendoglile ſempre mandate , ſecondo che faceuo prima , ò per uia del Nuntio di Venetia, ò dei R.mi Legati à Trento, de la riceuuta de le quali ſi è anco hauuto auuiſo. Da le ſudette copie V. S. R.ma intenderà quel che uuole N. S.or che la facci circa l' andar ſuo à Trento ; però non le replicherò hora altro, ſe non che eſſequiſca quel che uede eſſer mente di S. S.tà Che coſtà ſi dica, che non ſi farà più concilio, poco importa, perche poca fede douerranno hauer tali parole, doue da gli effetti ſi potrà ueder ben preſto il contrario ; mà per farlo fruttuoſo, è neceſſario hauer prima il Conſenſo de' Principi, per il qual conſenſo ſolo, come lei ſà, et non per altro, è ſeguita queſta poca dilatione: mà non può tardar più molto à comparere qualche auuiſo del negotiato del Veſcouo di Terracina, et forſe anco la riſolutione che quella M.tà mandi i ſuoi Ambr.i et Prelati à Trento, atteſo che per l' ultime lettere che hauemo da quella Corte, le coſe erano ben diſpoſte. Di Francia hauemo, che s' è inditta una Adunanza de Prelati per li 20. di Luglio proſſimo ; et ſe ben eſſi dicono, che ciò ſi fà ſolo per riformar gli abuſi di quel Regno, et per rimediar à li preſenti tumulti, è però coſa che non può piacere, eſſendo, come è, inditto il Concilio uniuerſale. S. S.tà non ha mancato di farne doue è biſognato i debiti riſentimenti ; et per aſſicurarſi meglio, ſollicita la partita di Monſ.or Ill.mo di Ferrara, al quale diede hieri la Croce ; et S. S. Ill.ma fà conto di partire poſcimane ſenza fallo, con animo di trouarſi à quella Corte à la più lunga à ſan Lorenzo, non obſtante che la ſtagione ſia difficile et pericoloſa di caualcare, et la compleſſion ſua molto debile, come ogn'un ſà.

Queſto è quanto gli poſſo dire de le coſe publiche ; ſperando ben preſto di potergli affermare, che li Prelati et di Spagna, et di Francia ſaranno moſſi per uenir à Trento ; al qual tempo, ſe non prima S. Ceſ.a M.tà douerà lei ancora far il medeſimo: Et allhora V. S. R.ma potrà ſimilmente uenir à Trento, mà non prima, come le ho ſcritto piu uolte. Et non hauendo da dir altro, con tal fine mi raccommando humil.te à V. S. R.ma et prego il S.or Dio che la conſerui, et contenti di quanto deſidera. Di Roma à 28. di Giugno MDLXI.

LXI.

LXI.

Borromeus Hoſio.

Tandem Hiſpanum plane conſenſiſſe in concilium.

Hodie Dei gratia peruenit huc tabellarius quidam ex Hiſpania, qui attulit litteras diei XIII. Iunii, ex quibus intelleximus, Regem catholicum, amotis omnibus difficultatibus, quae ſeſe illi in bulla concilii offerebant, deliberaſſe Sanctiſſimo Domino noſtro obedire, & ad voluntatem ac ſententiam eius ſe ipſum conformare, atque ideo vniuerſis epiſcopis non ſolum Hiſpaniae, verum etiam iis, qui in omnibus regnis ipſius reſident, mandaſſe, vt poſt primas Auguſti pluuias quamprimum ſe Tridentum conferant, vt ſacro concilio intereſſe poſſint: cuius quidem propoſiti ac deliberationis ſuae tametſi ſacra catholica maieſtas (id quod nobis exploratum eſt) tum ipſum Imperatorem, tum etiam regem Galliae atque alios principes certiores fecit, nihilominus tamen ego quidem certe committere nolui, quin hiſce meis litteris R. D. T. huius laetiſſimi nuntii commonefacerem, vt qui probe ſciam, quantam ex eo conſolationem pro ſumma ſua probitate atque pietate perceptura ſit; atque eo magis ad ſcribendum impulſus fui, quod Hiſpaniae nuntius nuper ad me miſit exemplar earum litterarum, quas R. D. T. XX. die Maii ad ipſum ſcripſerat, quas quidem refert & diligenter lectas & mirifice laudatas fuiſſe tam ab ipſo rege, quam ab omnibus illius curiae primatibus, atque eas quidem arbitror apud ſacram Catholicam Maieſtatem non parum profeciſſe, vt in hanc tam piam ſanctamque deliberationem deſcenderet. Hoc autem eo ſcripſerim, ne Reuerendiſſimam D. T. tam ſingulari laetitia atque iis laudibus, quae ipſi propter maximam pietatem & incredibile deſiderium huius ſacri concilii merito debentur, defraudarem. Caetera vero, quae ad indicendam duobus illis Principibus concilii Bullam ſpectant, ex aliis litteris, quae hiſce adiunctae ſunt, Illuſtriſſima

ſtriſſima D. T. cumulate cognoſcet. Quid praeterea ſcribam, nihil habeo, niſi fortaſſe illud, Illuſtriſſimum Cardinalem Ferrarienſem hodie ſummo mane profectum. Hic finem ſcribendi faciam, meque totum R. D. T. humiliter commendo & offero, quam quidem Deus optimus maximus diu incolumem ſeruet. Romae II Julii 1561.

LXII.

Borromeus Hoſio.

Si Caeſar promitteret, ſe oratores ſuos miſſurum ad concilium; non expectato eorum diſceſſu iter Hoſio ſuſcipiendum eſſe Tridentum: nuntium ad regem Sueciae ablegandum videri.

Heri ſimul atque litteras Hiſpanienſes perlegi, ad R. D. tuam per eos tabellarios, qui Tridentum ſe conferunt, ſcripſi id, quod ex hoc incluſo exemplo cognoſcere poteris: & quia res eſt magni momenti, voluit S. D. N. de ea Imperatorem certiorem facere per alium tabellarium, qui tibi has reddet vna cum litteris Sanctatis ſuae ad Caeſaream Maieſtatem, & earum exemplo, ex quo Reuerendiſſima tua Dominatio rem totam intelliget, ac pro eius ratione cum Maieſtate Caeſarea ita loquetur, vt res ipſa poſtulabit, & prudentiam tuam decebit: omnia vero cum Delfino communicabit, eumque ſimul ad Caeſarem introducet, quo melius is omnia, vt nuntius, teneat: inſtabitque diligenter, vt S. Maieſtas Praelatos & oratores ſuos Tridentum quamprimum mittat: quod ſi fecerit; aut ſaltem ſi breui ſe facturum aſſeueranter pollicebitur, licebit per S. D. noſtrum, tuam Reuerendiſſimam Dominationem non expectato illorum diſceſſu Tridentum proficiſci: hanc ob cauſam Sanctitas ſua ad te dono mittit 500 ſcutatos, quos procuratori tuo vna cum 500 alteris pro ſtipendio huius menſis hodie numerandos curabimus: ſi Sanctitas ſua

plus

plus poſſet, plus praeſtaret. Binae litterae, quas a tua R. D. XVII. & XVIII. Iunii ſcriptas modo accepi, nullam poſtulare videntur reſponſionem, cum nihil aliud in praeſentia ſcribendum ſeſe offerat, niſi illud; iam tempus eſſe, vt maledicorum linguae obmuteſcant, cum concilium Dei gratia ex voto procedere perſpiciatur; qua ex re intelligent homines, Sanctitatem ſuam nihil aeque atque hoc ſemper & optaſſe & egiſſe. T. R. D. ſi Vienna, vt puto decedet, non arbitror eſſe admonendam, vt ad Dei & Sanctiſſimi D. noſtri obſequium de rebus omnibus, totoque negotio Germanico Delfinum diligenter edoceat, & iis conſiliis ac monitis eum iuuet, quae ad rem facere videbuntur; itaque Reuerendiſſimae D. tuae me humiliter commendo atque offero, Deumque oro, vt eam diutius incolumem ſeruet. Datum Romae d. 3 Julii 1561.

Laudat Sanctiſſimus D. N. deliberationem Reuerendiſſimae D. tuae de mittendo Commendono ad regem Sueciae, & cauſas probat; ſed cum nihil ſcripſeris de Duce Pruſſiae, velit ſcire, Canobione an Nuntio Poloniae miſeris illud Breue: ſcias autem, Nuntium ipſum habere in mandatis noſtris, vt aut ipſe, aut ex ſuis aliquis perferat Duci illi Breue per te mittendum Canobio, ſi ipſe Canobius iam ad Moſcos profectus fuerit. Retentae vſque in diem V Julii.

LXIII.

Puteus Hoſio.

Sperari, Hoſium iam abiiſſe Tridentum: ſe iter inſtruere eodem.

Binas litteras tuas accepi; priores, quae VI. Id. Iunii ſcriptae erant, tertio Cal. Iulii: poſteriores autem ſexto nonas mihi ſunt redditae: ipſae vero XIII. Cal. Iunii abs te datae ſunt. De

tua igitur profectione; de qua tamen ſpero tibi quid ſit agendum iam eſſe perſcriptum, laboraui ſemper, curauique diligenter quantum res ipſa poſtulare videbatur, vt rationibus tuis conſuleretur. Quod vero mihi gratias agis, quod amici cauſam amice tuendam ſuſceperim; etſi non inuitus hoc audio, aut lego; nolim tamen exiſtimare te ſatisfactum a me eſſe omni ex parte deſiderio meo: maiora enim tua cauſa volo: ea autem dum perficere nequeo, ſingularis meus erga te amor atque egregia tua in rempublicam merita conquieſcere me non ſinunt: ſed hæc coram ſpero pluribus. Quæ mecum hic communicata non fuiſſe doles, id ſcito non negligentia aliqua, aut culpa vllius factum: ſed quod imbecillitate corpuſculi mei rariſſime eos viderim, quibuscum communicanda illa fuerant. Curavi tamen quæ potui: monuique frequenter Ticinium, ut ſi quid opus eſſet, etiam meo nomine eos conveniret, a quibus aliquid petendum erat. Nunc ſpero omnia confecta, atque ad te perſcripta, ita ut iam te iter ingreſſum putem; quod tibi Deus proſperum fauſtumque eſſe velit. Ego (quando tibi tantum quantum nulli fortaſſe alteri tributum a Philippo Hiſpaniarum Rege audio) propediem, id eſt quum primum calores remiſerint, profectionis meae tamdiu dilatae, conſilium explicandum, atque expediendum mihi eſſe video: quod etſi propter infirmiſſimam valetudinem meam ſine maximo incommodo, & aliquo etiam ſalutis diſcrimine perfici a me non poteſt: libenter tamen omnia patiar, ut eccleſiae Dei plurimum his temporibus afflictae proſpiciatur. Vale & me ama. Roma. III. non. Julii M. D. LXI.

LXIV.

Cardinalis Seripandus Hoſio.

Mittit annotata in Hoſii confeſſionem chriſtianam.

Legeram ego, cum adhuc Salerni eſſem, & videndi tui nulla omnino me teneret ſpes, neque enim vel Romam ego cogita-

gitabam, vel quae cauſa Salernum vt ipſe venires te impellere poſſet, in mentem mihi veniebat: legeram inquam libellum de expreſſo Dei verbo: & ita certe legeram, vt nullum omnino verbum, nullam ne paruam quidem dubitationem, nullum vel tenuiſſimum ſcrupulum, quae me remorarentur, offenderem. Pari equidem curſu confeſſionis Chriſtianae librum a Iulio Alexandrino mihi redditum legebam, quinimmo multo feliciore, quod videre te mature & e viua voce tua multos eius generis puros liquidoſque ſermones haurire ſperarem. Sed ecce literae tuae, quibus ſignificas, neſcio quid eius libri cap. LXXIII. a Roardo Tapper fuiſſe deſideratum, quod non omnino ſatis explicaſſet; mandaſque mihi, vt ea de re attente cogitarem, teque libere monerem, dum adhuc ſub incude liber eſſet, & ſi quid vel admiſſum vel praetermiſſum foret, emendari facile & corrigi poſſet. Statim quanta maxime potui diligentia voluntati tuae religioſe obtemperaui. Verum cum Tapperi cogitationes diuinare minime poſſem, quaecunque mihi in mentem venerunt, annotaui, eaque deſcripta cum his ad te literis miſi. Ea tanti tu facies, quanti videbitur. Ego certe propter moroſas iſtas obſeruationes, quae & refelli facile, & in quibus optimi quique ſcriptores deprehendi poſſunt, nihil immutarem.

Annon opere in longo fas eſt obrepere ſomnum? Quod autem inprimis abs te peto, illud eſt, vt pro certo habeas, me rebus iſtis nihil moueri, ſed eas collegiſſe, vt tibi Domino meo Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo morem gererem. Reliqua vero, quae ſcribis, & ad horum temporum calamitatem attinent, vt ſpero & opto, coram. Vtinam autem tam cito, quam Illuſtriſſimus Princeps & ampliſſimus Pater Mantuanus & ego deſideramus. Dominus tecum ſemper ſit virorum fortiſſime, vt res noſtrae non iam cadentes ſed fere iam ſtratae & abiectae, te adminiſtro, & imperante Deo aliquando tandem ſubleuentur atque erigantur. Tridento Nonis Iulii MDLXI.

ANNO-

ANNOTATIO.

Reſponſio Hoſii ad Tapperi, theologi Lovanienſis, obſeruata in libro confeſſionis Hoſianae habetur to. II. operum Hoſii p. 162.

Cardinalis Seripandus, Neapolitanus, Troiae in Apulia anno 1493. die 6. Maii natus eſt. Anno 1507. Neapoli eremitarum S. Auguſtini ordinem ingreditur, obitoque ſecretarii et cancellarii eremitarum munere, fit ſummus ſui ordinis vicarius et prior generalis. Pius IV. cum anno 1561. die 26. Februarii cardinalis inſignia ei detuliſſet, virum multarum linguarum peritum creat legatum apoſtolicum concilii Tridentini, in quo ante eius exitum anno 1563. Tridenti e vita demigravit.

LXV.

Puteus Hoſio.

De epiſcopatu Varmienſi ſatis cautum eſſe Hoſio.

Binas litteras tuas diuerſis temporibus accepi: ex quibus quo animo Sereniſſimus Rex Canobii profectionem proſecuturum ſe polliceatur, cognoui: ſimulque illud, nihil tibi reſcribi hinc ad plurimas litteras tuas. Quod autem erat in extremis additum de rumore diſceſſus Cardinalis Mantuani, plane rumor fuit. Nam quod attinet ad concilium, vrgemur iam, ita vt profectionem adornemus. De rege quod nullam epiſcopi appellationem tibi tribuat, non video, cur eſſe ſolicitus debeas; neque enim id tibi neceſſario tribui debere, intelligis facile ex omnium pene litteris; qui te Cardinalem Varmienſem tantum, non etiam epiſcopum appellant: neque eſt praeter te forte quiſquam, qui me Archiepiſcopum Barienſem nominet; niſi ſi quid incidit, in quo Archiepiſcopi auctoritas neceſſaria ſit. Quare nolim te in eo acutiorem aut nimis ſuſpicioſum eſſe; quod ipſum per te commodiſſime interpretari potes. De profectione Caeſaris in Vngariam primum, deinde in Boëmiam & Germaniam

niam expecto quid factum ſit. Te autem non video cum tua dignitate Caeſarem ſequi vllo modo poſſe. Hic quid actum impetratumque ſit, quod attinet ad nummos, iam puto ex Ticinii litteris cognouiſti: te autem modeſtiae tuae conſcium decet etiam exiſtimare, ſcribas ſaepenumero vel parum attentos, vel nimium occupatos non omnia verborum pondera ita expendere, vt & perſonae & rei dignitas grauitaſque poſtulat; quare quod reſcripſiſti, maxime probaui. Ego nullam tuendi tui occaſionem, nullum locum omitto: ſi quid perficiam, cognoſces ex aliis. Vale & me ama. Roma XIIII. Cal. Auguſti MDLXI.

LXVI.

Auguſtanus Hoſio.

Certiorem facit de collato ipſi titulo S. Laurentii in Paliſperma.

Nihil mihi profectione optatius, nihil erit aduentu Tridentum tuo iucundius. Accedet tua praeſentia multum animi bonis & piis. Erit Dei cauſa munitior, mihi denique maior facultas fuerit & ſcribendi ad te, & quod pluris facio, tuarum litterarum. Poſtremo cum eo veneris, videberis tamquam ab extremitate profectus medium attingere. Reliquae anguſtiae (ſpero) explicabuntur, quamquam de mille, quod ſcribis, falſum videtur. Non enim ſi id eſſet, ego ab illis praeſertim percurioſus de eo puto celatus fuiſſem, vel ſi id etiam belle occultaſſent, non tamen id ipſum alicunde non eſſem odoratus. Sed (vt dixi) commentitium id eſt, quod ita eſſe mox apparebit. De promiſſo, quod ſcribis, doleo, non id eſſe factum. Repraeſentatione enim video tibi opus eſſe, nedum vt ii, quibus negotium datum eſt, vt pecuniam ſoluant, ad tempus non reſpondeant; tametſi praeſtiterit multum ab iis deberi. Plures enim

penſiones vno tempore percommode exigentur. Tu modo, pater optime, ſaluus & incolumis Tridentum venito, quod ſummis a Deo precibus peto. Reliqua eodem Deo approbante, erunt, vt volumus. Ego efficiam, vt illis potius ſim de te moleſtus, quam vt tibi negligens videar. Heri Sanctiſſimus Dominus noſter te ſancti Laurentii in Paliſperma titulo ornatum voluit, quod templum eſt in colle Viminali ad thermas Olimpiadis, cum per ſe inprimis religioſum, tum vero etiam nobile ſingulari & caſtitate & pietate ſacrarum virginum, quae eum locum incolunt. De quo Pater ampliſſime & te admonendum & tibi gratulandum putaui. Vale. Romae Quinto Idus Auguſti MDLXI.

LXVII.

Cardinalis Tranenſis Hoſio.

Gratulatur ei dignitatem cardinalitiam.

Diuturna mea ab vrbe abſentia, magnaque amborum noſtrum diſtantia effectum eſt, vt gratulatio hæc ad te mea ſera perveniat, quamquam ſera omnino dicenda non eſt, quando ego cum primum audiui te ad hanc dignitatem tam pure, tam legitime ac ſancte electum, ſtatim gratulatus ſum, non ſolum tibi, ſed & vniuerſæ Chriſti eccleſiæ, quæ in tantis rerum procellis non modicum adiumentum & ornamentum a virtute, doctrina & auctoritate tua ſit acceptura. Quantum vero ad me attinet, firmiſſime crede, Reverendiſſime Pater, non ſolum pro veteri amicitia & conſuetudine noſtra me tui amantiſſimum, verum etiam pro vinculo hoc ſpirituali ac nouo, quo inuicem connexi ſumus, fratrem, & ſeruum in Domino tibi fore ſemper obſequentiſſimum. Reliquum eſt, vt me in orationibus & ſacrificiis tuis apud

apud Dominum commendatum velis. Vale Dat. Romæ, Decimo ſexto Cal. Septembr. MDLXI.

Reuerendiſſimæ Amplitudinis tuæ

Humilis ſeruus

B. Cardinalis Tranenſis.

ANNOTATIO.

Cardinalis Tranenſis vitam ſcripſerunt Ludovicus Donius d'Attichy tom. III. florum hiſtoriae cardinalium p. 332. Aubery in hiſtoria generali cardinalium parte IV. p. 491. et Vghellus italiae ſacrae to. II. col. 234. Ioannes Bernardinus Scottus in caſtro Manliano agri Sabini natus eſt obſcuris parentibus. Literaria ſtudia emenſus in aula Romana diu munus advocati conſiſtorialis obivit ea aetate, qua Ioannes Petrus Carafa, cardinalis et epiſcopus Theatinus, clericorum regularium ordinem, cuius membra Theatini dicuntur, condidit. Tum primis Theatinis ſe adiunxit Scottus, ac deinde a Carafa, qui pontifex factus Paulus IV. appellatus eſt, cardinalitium pileum ac archiepiſcopatum Tranenſem in Apulia impetravit. Epitaphio, quod ſibi vivens poſuit, illud Chriſti Matth. IX, 24. ſubſcribendum curabat: *οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει.* E vivis exemtus eſt anno, ſi Vghellus vera narrat, CIↃIↃLXIII.

LXVIII.

Cardinalis Auguſtanus Hoſio.

Exultat gaudio ob ſparatum aduentum Hoſii Tridentum.

Summa quidem ad pios omnes laetitia peruenit ex catholici regis propenſo (vt ſcribis) animo & voluntate in publicum hoc chriſtianae eccleſiae concilium, tanta conſtantia atque alacritate a Pontifice Maximo incitatum; ſumma item illi tributa laus chriſtianae religionis & pietatis, in qua nititur omnis & ſplendor & incolumitas regii nominis. Sed magno etiam gaudio

dio ex aduentu Tridentum tuo boni afficiuntur, in quo magnam publicae vtilitatis ac dignitatis ſpem collocarunt. Ego vero laetitia exulto & Eccleſiae Dei & tua & mea cauſa; ſui enim Eccleſia iuris magis idoneum defenſorem habere non poteſt; cuius patrocinio tam multos fractos & conciſos videat aduerſarios; & hic quidem communis eſt ex tui expectatione recte ſentientium fructus iucunditatis; mea vero ac tua voluptas ſingularis, quod campum quodammodo illuſtriorem quam antea, aptiorem certe habebit induſtriae tuae curſus. Cuius rei ſummo te iamdiu ſtudio teneri intelligo; vbi reliquas etiam difficultates, in quibus hactenus verſatus es, explicatum iri ſpero. Maior praeterea facultas vtrique ſcribendi fuerit. Omnino omnia erunt vberiora & hilariora. Quod vero ſcribis, meum ſtudium tibi gratius indies accidere, equidem tuum in me, vir optime, idemque Cardinalis ornatiſſime, amorem agnoſco & eximiam humanitatem, quae faciunt, vt id in beneficii loco ponas, quod a me tuo iure poſſis exigere. Quae mihi benignitas tua quantam neceſſitatem imponat ſtudii, curae, diligentiae in omnibus rebus, quas ad te pertinere intelligam, facile ſentio: quo magis enitar, vt & officio meo & expectationi tuae ſatisfaciam. Vale. Romae decimo Kal. Septemb. 1561.

ANNOTATIO.

Legati pontificii, Roma ad concilium miſſi, anno 1561. die XVI. Aprilis Tridentum pervenere, vt Pallavicino notatum libro XV. cap. XI. n. 3. At Hoſius, quem in aula Caeſaris incredibilia obſtacula removere, moleſtiasque innumerabiles devorare oportebat, menſe demum Auguſto Vienna Tridentum abiit, vt Reſcius obſervat in eius vita libro II. cap. III. Quo die ibi advenerit, non habeo exploratum. Permanſit autem Trideuti usque ad concilii finem, qui ei anno 1563. die quarto decembris impoſitus eſt [a] magna pompa, quam in collectis a ſe concilii Tridentini actis [b] deſcribit teſtis αὐτόπτης, Nicolaus Pſalmaeus, tenuis fortunae parentum magnus filius, epiſcopus nimirum Virdunenſis, et in concilio canonum redactor. Ceterum ſtatim a ſynodi exitu menſe decembri

a *Supra p. 82.*
b *Edidit nuper Carolus Ludovicus Hugo in ſacrae antiquitatis monumentis p. 217. Conf p. 409.*

cembri anni 1563. Tridento in Poloniam diſceſſit Hoſius, cum tota regio niuibus, frigore et glacie obriguiſſet, vt loquitur Reſcius dicti libri cap. XVII.

LXIX.

Henricus cardinalis, ac poſtea rex, Hoſio.

Gratulatur Hoſio cardinalitium decus.

Reuerendiſſime in Chriſto Pater,
& Illuſtriſſime Domine, D. Colendiſſime.
humill. commen.

Non tam gratulor R. D. T. de gradu iſto honoris ampliſſimi, quem virtutum ſuarum meritis adepta eſt, quam quod in ea tempora dignitas iſta illius inciderit, in quibus poſſet eccleſiae, tam multis tempeſtatibus atque procellis agitatae, opem afferre, atque laborantem pro ſua virili parte ſubleuare. Id igitur gaudeo, & D. T. in hoc omnium clariſſimo munere virtutis ſuae maximum fructum percepturam eſſe confido. Et quia non ſolum tuae probitatis opinio, verum etiam collegii noſtri ius atque neceſſitudo me tibi arctiſſime deuincit, velim, vt R. D. T. a me omnia poſtulet & expectet, quae ſunt ab homine illius ſtudioſiſſimo & collega coniunctiſſimo poſtulanda. Reuerendiſſime in Chriſto pater & Illuſtriſſime Domine, Deus optimus Reuerendiſſimam & Illuſtriſſimam D. T. feliciſſime augere & conſeruare dignetur. Olyſſippone die XXVI. Auguſti MDLXI.

Ei. R. & Illuſtriſſimae D. T.

humilis ſeruitor
Henricus Cardinalis Infans.

Inſcriptio:
Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino
Cardinali Varmienſi, fratri meo colendiſſimo.

ANNOTATIO.

Henricus, infans Portugalliae, Emanuelis divitis filius, natus eſt anno 1512. Cum generalis fidei per Luſitaniam inquiſitor nihil non ad cleri compendia inflexiſſet, vetuiſſetque ſub poena capitis, ne quis libros, aut res ad haereſin quomodocumque ſpectantes, in regnum importaret; anno 1545. a Paulo III. cardinalis creabatur. Tandem ab obitu Sebaſtiani, Luſitaniae regis, qui Heinrici fratris, nimirum regis Ioannis III. nepos fuerat, anno 1578. in Africa occiſi, cardinalis hic, ſenio iam confectus eiusdem anni menſe Auguſto regnum capeſſit, ac non longe poſtea moritur anno reparatae ſalutis 1580. aetatis 68. regni ſecundo.

LXX.

Auguſtanus Hoſio Tridentum.

Felicem progreſſum concilii ſperare iubet Hoſium, qui iter Tridentum converterat.

Hilariores tuas legi litteras ex Pago Sancti Michaëlis datas; te videlicet coelum ipſum & Italiae aſpectus exhilarauit. Accipio omen, tuumque aduentum tibi, nobis omnibus mihique inprimis gratulor. Tuam vero animi aequitatem & alacritatem amo vehementer, qui dum ſummittis ipſe te, & refers omnia ad voluntatem & arbitrium eorum, quibus inſeruimus, virtutem ac dignitatem illuſtras tuam; dum vilem tibi ſpiritum, viles res humanas omnes eſſe profiteris, modo optatis tuis de concilio reſpondeat Deus, quam ipſe Deo charus ſis, quanti a nobis aeſtimandus, oſtendis. Quamquam non id nunc primum cognoſcimus. Iam diu eſt, cum id ipſum vita tua, ſcripta, acta teſtantur; quibus te vt vnum ex illis Patribus, qui primis Eccleſiae temporibus floruerunt, admiramur, facileque intelligimus, adhuc reliquum eſſe ſemen veteris diſciplinae, quod pene ſummo Eccleſiae tempore tamquam frugem effundat chriſtianae doctrinae ac religionis. Haec tu praeſtas, nobis externa videnda ſunt, quae per-

pertinent ad tuendam iſtam & Cardinalis & legati perſonam. Qua in re etſi praeſto eſt moderatio tua, quae aliorum corrigat errata, tamen enitendum, ne vllum mendum ſit, quod huic ſplendori maculam poſſit aſpergere. Sed nullius ſpero officium deſiderabis, meum quidem certe tibi non deerit, quod tu humanitate tua quodammodo vrges & incitas, dum ea, quae tibi a me debentur, in beneficiis numeras, Menſtruae tuae pecuniae ratio explicabitur, vt ſcribis, vel repraeſentatione, vel permutatione. Nec dubito, quin omnia futura ſint expedita, ne te in cogitatione de concilio infixum quidquam praeterea impediat. Alexandrum Cerronium Arpinatem, qui ſingularis virtutis tuae amore incenſus, tibi vt inſeruiret, Viennam ſe contulit, Amplitudini tuae ita commendo, vt maiore ſtudio commendare non poſſim; dignus enim eſt & illo conſilio & illa animi inductione, qui te vnum & cognouerit & duxerit eximium, cui operam ſuam daret, cui tu aliquam viciſſim partem committas negotiorum tuorum. Habet ingenium, habet, vt audio, multarum rerum vſum. Fidei certiſſimum iam illud argumentum eſt, quod te vnum ex omnibus Cardinalibus delegit, praeſertim tam longe proficiſcens, cui ſe dicaret. Eſt praeterea, ſi quid hoc ad rem pertinet, non ſolum Arpinas, ſed etiam Marci Ciceronis gentilis, quod adhuc familiae nomen oſtendit. Cerronius enim quaſi Ciceronius dicitur; id apud te valere debet, qui in ſacris diuiniſque rebus explicandis Ciceronem maxime refers, vt quod illi eloquentiſſimo viro debes, huic eius nepoti reddas. Vale Romae tertio Calen. Sept. MDLXI.

LXXI.

Cardinalis Heinricus Hoſio.

Mittit Fureirum ad concilium.

Cum omnes conatus eorum, qui fidem atque religionem ſanctam habent, eo ſint hoc tempore comparandi, vt ſacro-

croſanctum concilium exitum felicem habeat, officium meum atque partes eſſe puto, nihil omittere, quod quidem exiſtimem, ad vtilitatem illius aliqua ratione pertinere. Idcirco non ſolum dedi operam, vt Luſitani Pontifices, qui eſſent magis expediti, ſe ad illud ſine cunctatione conferrent, ſed homines nonnullos, quorum eruditio atque pietas emineret, deligendos eſſe putaui, quos etiam mitterem, vt nomine Regis domini mei ea, quae illis in rem eccleſiae viderentur, R. D. T. & alios item patres ampliſſimos, qui ſimul concilio praeſident, admonerent, & eam quam poſſent operam Chriſtianae reipublicae nauarent. Cum igitur frater Franciſcus Fureirus homo ſit eruditione ſingulari praeditus, multiſque virtutibus ornatus, & in magnis negotiis, ad religionem ſpectantibus egregium ſpecimen prudentiae dederit, illum iſthuc etiam mittendum curaui, cum mandatis, quae quidem ille, vt confido, debita ſedulitate conficiet. Quare R. D. T. oro, vt illum velit in fidem ſuam recipere. Mihi enim rem gratiſſimam faciet, beneficiumque iſtud apud hominem doctum & pium & gratum collocabit. Reuerendiſſime in Chriſto Pater & Illuſtriſſime Domine, Deus optimus Reuerendiſſimam & Illuſtriſſimam D. T. feliciſſime augere & conſeruare dignetur. Olyſſippone die Septembris MDLXI.

ANNOTATIO.

Hic eſt ille Dominicanus, Olyſſiponenſis Luſitanus, qui in Latinis verſionibus Suavis et Pallavicini Forierus et Forerus dicitur. Lege Suavem libro VII. p. m. 479. et Pallavicinum libro XVIII. c. 1. n. 3. ſqq. vbi copioſe tradunt, quanto ſtudio diſputaverit in concilio de diverſis Hierarchiae capitibus. Quetif et Echard tomo II. de ſcriptoribus ordinis praedicatorum p. 261. huius Franciſci *Foreiro* ſcripta diligenter recenſent, notantque, non parvi momenti labores ei in concilio commiſſos fuiſſe.

LXXII.

Henricus cardinalis Hoſio.

Mittit Iacobum a Paiva ad concilium.

Haec mala, in quibus tot annos cum tanta religionis labe & flagitiorum licentia verſamur, me ſtimulant, vt nihil intentatum pro mea parte relinquam, quod exiſtimem poſſe aliqua ex parte ad huius ſacroſancti concilii felicem exitum pertinere. Magna enim ſpes me tenet, fore, vt tandem aliquando per illud finis erroribus pernicioſis & moribus antiquae diſciplinae contrariis imponatur. Cum igitur exiſtimem, rem eſſe eiuſmodi, ad quam perficiendam non ſolum pontifices, ſed omnes etiam homines probitate & eruditione praeſtantes, ſummo ſe ſtudio conferre debeant, nonnullos etiam doctos homines ad illud Regis domini mei nomine mittendos eſſe pataui, vt patribus in eo congregatis, ea qua poſſent ratione, ſubſeruirent. Inprimis autem Iacobus a Paiua mihi ſatis idoneus viſus eſt, cui hoc munus ſane fidenter aſſignari poſſet. Eſt enim vir & nobilitate & omni virtute ornatus, & vtriuſque philoſophiae diſciplinis egregie cultus, & prudentia non vulgari praeditus. Quare Reuerendiſſimam D. T. oro & obſecro, vt velit illi plurimum ſuae benignitatis impertiri. Me enim ab illa non vulgari beneficio deuinctum profitebor, & ipſe Jacobus a Paiua quidquid in illum contulerit Reuerendiſſima D. T. ſempiterna memoria conſeruabit. Reuerendiſſime in Chriſto Pater & Illuſtriſſime Domine, Deus optimus Reuerendiſſimam & Illuſtriſſimam D. T. feliciſſime augere & conſeruare dignetur. Olyſſippone die Septembris. MDLXI.

LXXIII.

Henricus cardinalis Hosio.

A Lusitaniae rege mittitur ad concilium Fernandus Martinus Mazcaregnas.

Quantam curam & solicitudinem afferat mihi tempestas haec, qua iactatur Ecclesia, facile Reuerendissima D. T. ex animo suo coniiciet. Ea namque est illius pietas, vt nihil esse arbitrer, quod illi maiori curae sit, magisque animum illius excruciet, quam hic praesens rerum status. Cum autem in sacrosancto isto concilio videatur esse remedium malorum omnium diuino munere & beneficio constitutum, omnes nos, ad quos praecipue haec cura pertinet, in eo debemus omnem mentem defigere, vt per illud tandem aliquando finis flagitiorum licentiae & pernicioſis erroribus afferatur. Quando vero ipse adesse non possum, perficiam certe, vt nemo in rebus omnibus, quas ad concilii rationem vtiles esse perspexero, & in mea potestate fuerint, officium meum desideret. Hac ratione impulsus curaui, vt Fernandus Martinus Mazcaregnas ad sacrum istud concilium a Rege domino meo legaretur, illiusque studium erga sanctam Romanam Ecclesiam nimis incensum & incitatum esse demonstraret. Est enim homo non solum opibus & nobilitate clarus, sed etiam eximia prudentia atque bonitate praeditus, & propter opinionem, quam de virtute illius habemus, idoneus, qui in isto sancto consessu Regis domini mei personam sustineat. Reuerendissimam igitur D. T. quantum possum oro & obsecro, vt illum amanter excipiat, humanitateque sua complectatur. Reuerendissime in Christo Pater & Illustrissime Domine, Deus optimus Reuerendissimam & Illustrissimam D. T. felicissime augere & conseruare dignetur. Olyssippone die Septembris MDLXI.

ANNOTATIO.

Ad hanc epistolam respondet Hosius to. II. operum p. 195. vbi orator Lusitanus Ferdinandus Martineus Mascarenius appellatur.

LXXIV.

Auguſtanus Hoſio.

Gaudet de concordia legatorum pontificis, et de frequentia epiſcoporum in concilio.

Reuerendiſſime & Illuſtriſſime,
Domine mihi obſeruandiſſime.

Tuæ, Vir ampliſſime, humanitatis, & in me beneuolentiæ maiora ſigna in dies oſtendis, quod vel hoc ipſo declaraſti, cum eum, quem tibi commendaram illi ipſi muneri præpoſueris, quod ei abs te petieram, in quo etiam noſtri ordinis Principi, Cardinali Carpenſi, viro ornatiſſimo es gratificatus. Ago tibi de eo cum meo, tum illius nomine gratias ſingulares. Ticinius noſter negocium ſuſcepit hominis quam primum ad vos mittendi. Ego ab Vrbe abfui hoc octo dies ruſticatus apud Cardinalem Tridentinum in Phaliſcis, quo conceſſeram frequenti, & vehementi eius inuitatu. Nunc cum Rure redierim enitar, & curabo, vti pecunia tibi ſoluatur ad eam diem quam ſcribis. Vt me afflixerunt, priores nuntii de graui febre, in quam incidiſſe dicebaris, ſic proximi plane leuarunt; quibus cognoui te & morbum depuliſſe, & iam vires refeciſſe. Egi Deo gratias immortales, qui ſalute tibi reſtituenda noſtræ etiam conſuluerit. Gratulor vero Eccleſiæ Dei ita cum præſentia & conſenſione trium legatorum non ſolum noſtri ordinis, ſed etiam Chriſtianæ Reipublicæ omni virtute Principum, tum præſenti magno, breui vero etiam maiore numero Epiſcoporum. Scribit mihi Caniſius noſter Hermundum Colonienſem hominem iuriſperitum Viennenſium Epiſcopi Vicarium, ſi conditionem ſe dignam nactus fuerit, libenter in Germania ſuperiore futurum. Quare te oro, me vt certiorem facias, an idem Vicariam mihi Auguſtæ operam recte dare, aut, ſi id minus, Epiſcopalis iurisdictionis offi-

cio ibidem ſatisfacere poſſit, feceris omnino mihi pergratum, ſi, & de homine, &, ſi is tibi probatur, de conditionibus, quibus videatur ad id adduci poſſe, ad me diligenter perſcripſeris. Vale. Romæ Tertio Idus Septembris. MDLXI.

LXXV.

Cardinalis Auguſtanus Hoſio.

Improbat conventum cleri Gallicani: de concilio Tridentino optima ſperat.

Vere tumultus illi veteres motus gallicos appellarunt, in quibus tanta ſemper inerat perturbatio, maior vt timor oriretur. Sed illa de bello. At quanti id refert, ſi in pace eadem pertimeſcimus? Quamquam non perinde eſt, vt nonnulli vix bene ſentientes dictitant. Frequentior eſt ille quidem conuentus, quam deberet. Accerſita etiam ex Germania capita confeſſionis Auguſtanae, vt impii augurantur, probandi, vt pii ſperant, improbandi cauſa. Sunt ibi (vtinam non eſſent) diaboli excurſores, ſed ſunt permulti; non deſunt etiam Chriſti milites, multo fortaſſe minore numero; ſed paucorum virtute ſemper vicimus, multitudine ceſſimus. Et tamen ſumma pietate omnes pene epiſcopi ſumpta diuina hoſtia ita concilium illud iniuiſſe dicuntur, vt ſe totos tradant diuino numini, idque decernant, quod Deus ſuaſerit. Nec vero publicum iſtud Chriſtianae Eccleſiae concilium infrequens erit, proficiſcentibus iam tot ex vrbe epiſcopis & ex omnibus Italiae locis; iſtuc ipſis etiam contendentibus Hiſpanis, quorum magna nobis expectatio quotidie commouetur. Simus igitur in bona cauſa magna ſpe, nec minore animo. De Colonienſi iſto homine, quando vix videtur poſſe illud munus ſuſtinere, hactenus me quidem vehementer habet ſolicitum penuria talium virorum, qui illi officio ſatisfaciant.

ant. Laboro etiam de Auguſtanis illis reliquiis, quae tibi adhuc debentur, nec minus de reliqua pecunia, cuius ſolutionem vno in te ſuſtineri ſcribis, quod mihi permirum videtur; ſed odorabimur & vrgebimus rem, quantum poterimus. Tu, quaeſo, pater optime, ne patiare iſtam tibi in animo ſuſpicionem inſidere, de te minus curae iis eſſe, quorum in poteſtate ſumus, quam de caeteris. Nam illis eſt (mihi crede) tua virtus eximia. Sed incidunt ſaepe tempora, quibus minus apparet; quod ferendum eſt in praeſentia, & ſperanda omnia meliora. Deus Amplitudinem tuam diu ſeruet incolumem. Romae XII. Cal. Octobr. MDLXI.

LXXVI.

Auguſtanus Hoſio.

Rerum Romanarum hanc fere rationem eſſe, vt explicatis etiam nodus inſit.

Nulla mea eſt admonitio officii tui, ſed omnia ſunt virtutis teſtimonia, quibus Amplitudini tuae dandis amor in eam meus, etſi ſummus eſt, tamen cum omnem laudem ſibi veritas vindicet, nihil pene in eo amori tribuo, niſi quod hac ipſa commemoratione mirifice delector. Maculam illam, de qua dixi verendum eſſe, ne tantum ſplendorem obſcurare poſſit, ad nos potius, quam ad te pertinet; ad nos inquam, quibus videndum eſt, ne praeſtanti virtuti deſint reliqua ſubſidia. Qua in re contendo equidem quantum poſſum, & eorum, quibuſcum agendum nobis eſt, voluntas eſt egregia; ſed natura & vis rerum romanarum eſt eiuſmodi, vt explicatis pene interdum rebus, tamen aliquis fere nodus inſit, quo expediendo, ii, quorum res eſt, habent negotii ſatis. Haec iam ab heroicis vſque temporibus ducta conſuetudo eſt. Sed ad extremum, modo id expectari poſ-

ſit, omnia ſuccedunt ex ſententia. Scripſi ad te proxima & ſuperiori epiſtola, me de ratione numaria daturum operam, vti ſatisfiat tuo & ſtudio & tempori. Dum id ago, incidi in febrem, quam vbi Deo adiuuante depulero, ad inſtitutum reuertar. Quod tantum habent apud te ponderis omnes commendationes meae, ſeruas in eo veterem conſuetudinem tuam: quae cum ipſe mecum reputo (facio id autem ſaepiſſime) intelligo, ſi gratum me, quod maxime cupio, probare velim, quantum mihi in tuis rebus ſtudii, operae, diligentiae ponendum ſit, vt officio erga te meo ſatisfaciam. Quae nullo loco deſiderabuntur, ſint modo publica iſtic, vt volumus, quod vel in maximis actionum anguſtiis, tamen in magna ſpe habeo; priuatae certe res ad voluntatem noſtram fluent. Vale Roma V. Kal. Octobr. MDLXI.

LXXVII.

Caniſius Hoſio.

In prouinciis proteſtantium graues motus exorituros: Lutherum a Calvino etiam in Germania devoratum iri.

Diuinae bonitati gratias agimus, quae Celſitudinem tuam Illuſtriſſimam iſthuc ſaluam adduxit, & ſanctae ſynodo non ſolum intereſſe voluit, veram etiam cum ampliſſimis lectiſſimiſque viris praeeſſe ad communem totius Eccleſiae vtilitatem. Precamur, & vna cum bonis omnibus exoptamus, vt neceſſarium hoc inſtitutum magis magiſque procedat. Nam lenta certe auſpicia, difficileſque aditus nuntiantur, atque vtinam filii lucis tantum in promouenda Chriſti cauſa praeſtarent, quantum in oppugnanda & remoranda illa plerique tum ſeculi tum tenebrarum filii praeſtare non deſinunt. Sed probati Eccleſiae filii hoc modo agnoſcuntur, & a zizaniis triticum facile diſcernitur. Quam pauci pro Chriſto ſtant, & cum eo colligunt? Nunc videre videmur,

demur, de qua diſceſſione loquatur Apoſtolus, cum ex ea finem mundi colligit. Sed ſus ego Mineruam, & intempeſtiuus propheta luctum augeo, vbi ſolatia potius expetuntur.

Auguſtae res quidem catholica ſic gubernante nos Chriſto ſuccedit, vt aduerſariis terrorem adferat numerus auctus electorum. Qua de re coram exponet is, qui perfert literas, vir ille colendus & eruditus, quantum ex vno congreſſu colligere licuit. Per hunc mitto quaedam ex mercatu recens allata, nec eſt opus remitti pecuniam, quae mihi ſaepe immerenti cumulate numerata fuit. Catalogum expecto aliorum quoque librorum: & ſi modo haud licebit, breui tamen tranſmittendum curabo. Quod ſcribunt quidam, Auguſtanos confeſſioni impiae ſubſcripſiſſe, figmentum eſt. Bis quidem eo nomine admoniti ac rogati, ſubſcriptionem hactenus recuſarunt. Sed neque Nurenbergenſes citra quandam exceptionem ſubſcripſerunt. Audimus graues in Saxonia motus facile exorituros, & in aliis quoque prouintiis non abeſſe procul, propterea quod equeſtris ordo nunc demum ſentiat, quid ſibi & reipublicae adferat detrimenti bonorum eccleſiaſticorum & monaſticorum diſſipatio, quam Principibus iſtis ferunt acceptam. Contra hos igitur inſurgitur, qui rationem reddere cummuni rumore clamante iubentur, in quos demum vſus verterint ea bona atque donaria, quae plebeiorum ac nobilium parentes Eccleſiis perpetua eſſe voluerunt, vt inde ipſorum quoque ſucceſſores & pauperes, minime vero principes, alerentur. Ad ſeditionem res ſpectare videtur.

De ſacramentaria re ſumma nunc iſtorum eſt concertatio. Caluinus Lutherum ſuppreſſurus videtur non ſolum in Gallia, ſed etiam in Germania. * Nec eſt quo progrediatur Sathaniſmus, ſi ſolem e mundo, Chriſtum Chriſtique corpus ex Eccleſia ſuſtulerit, vt prorſus atheos faciat. Reſiſtunt quidem Saxonici tantae impietati, ſed vincuntur arte, fraude, ſubtilitate, eloquentia, vafricie Caluinianorum. Dum ita pugnant inter ſe ſectarii,

* *Lege praefationem inſtructionis meae de vnione proteſtantium eccleſiaſtica p. 52. & libri ipſius capita VII. VIII. IX. X.*

ctarii, Turcicam ſectantur prudentiam, quae Chriſtianis pacem permittit, & bella non mouet Eccleſiae, quamdiu res ſuas male conſtitutas, & ignem domi graſſantem videt Imperator. Solus eſt Staphylus, qui negotii tantum illis vno alteroque ſcripto faceſſit, vt reliquorum obliuiſci propemodum videantur. Vtinam quod multi percupiunt, amplitudo tua otii aliquid impetret, & ad ſcribendum ſe iterum accingat, vt ſiue de oppreſſo Dei verbo, ſiue de argumento alio edat ſuae & catholicae pietatis monumentum, quod inprimis deſiderant filii Dei.

Confeſſionis Auguſtanae conquiram exemplaria, ſed latina ſolum, nam germanica requiri non arbitror. Nihil reperio a Vergerio editum, niſi quod mitto. Dominus Jeſus colligat & gubernet Eccleſiae ſuae paſtores, & per illos oues errantes, vt fiat vnum ouile & vnus paſtor toto orbe terrarum.

Colonienſes conciliorum nouam parant editionem, meque rogant admodum, vt ex vrbe adferri procurem, quod ad recognitionem ac locupletationem tanti operis conferat. Hic non poſſum amplitudinis tuae gratiam & opem non implorare, qua duce confici & perfici poteſt plurimum in re tam ſancta & frugifera promouenda. Scio difficile videri, quod poſtulatur: ſed refert profecto Eccleſiae, concilia limatius & accuratius & copioſius prodire, quam hucuſque factum cernimus. Catholici Coloniae ſumptus ingentes faciunt, vt hanc ornent, ſi poſſunt, editionem, ad quam Celſitudo tua quaeſo illis & Eccleſiae fauorem praeſidiumque tribuat. Sunt iſthic docti plerique, a quibus rogatis conferri forte in hanc rem poſſet aliquid, vt loca quaedam reſtituerentur, de quibus admoneri Coloniae per me vellent. De concilio Epheſino nuper inuento, & breui fortaſſis edendo ſcripſi ad illuſtriſſimum Cardinalem Auguſtanum.

Dominus gratiam nobis ſuam augeat, vt vere ipſi placeamus, & Eccleſiae vtiliter inſeruiamus. Auguſtae 7. Octob. 1561.

ſeruus in Chriſto, *P. Caniſius.*

LXXVIII.

LXXVIII.

Cardinalis Puteus Hoſio.

Morbo excuſat ſuam Tridento abſentiam.

Reipublicae chriſtianae ſtatum ſi aliquo fructu deplorare-mus, id quod certe poſſem, pluribus verbis ad te de ea re ſcriberem atque frequentius. Sed vt vides hoc malum alia conſilia, alias medicinas poſtulat. Ego iampridem & ſenio confectus & longo atque difficili morbo ita debilitatus ſum, vt praeter lene ac tepidum coelum nullum ferre poſſim: quare medicorum omnium vna eſt ſententia, & imbecillitatem meam & podagram in coelo frigido ſine manifeſto ſalutis periculo eſſe non poſſe. Si quid igitur eiuſmodi inciderit, quod hic opera mea iuuari poſſit, nulli labori parcam, vt aliquo modo Eccleſiae Dei prodeſſe poſſim. Tu dum hinc ſuppeditatur ſumptus, vnde potes, vtitor; id tecum reputans (vt ſcribis) aliquando futurum, vt Deus omnibus proſpiciat. De Valentini tui cauſa fui equidem ſemper ſolicitus, atque omnia facio, quae amicorum cauſa honeſte fieri poſſunt; ſperoque iudicem, ſi quid erit vel dubium, vel non plane probatum, in eo nobis conceſſurum eſſe omnia, quaecumque ſalua aequitate poſſunt concedi. Cetera neque expectanda ab eo ſunt, neque a nobis poſtulanda. His ego litteris ad binas tuas reſpondi, quarum poſtremae hodie mihi ſunt redditae. Vale & Mantuano Cardinali meo nomine primum ſalutem dicito; deinde pro eius in te liberalitate ingentes etiam gratias agito. Roma XV. Cal. Nouembris MDLXI.

LXXIX.

Caniſius Hoſio.

Gallos cum regia autoritate venturos Tridentum.

Venit huc Guilielmus, de quo pietas tua praeclare eſt merita Viennae atque Tridenti, tandemque in illo perfecit,

quod voluit. Deo ſit ſemper gratia. Priuſquam vero litteras Amplitudinis tuae traderet, egeram cum illo de confeſſione peccatorum inſtituenda, vt ſe primum irato Deo reconciliaret. Hic illius conſcientiae fui medicus, & ouem errantem libenter in viam reduxi, eaque praeſtiti per Dei gratiam, quae poſtea ſuis a me litteris Celſ. tua ſingulari quadam pietate contendit. Itaque nunc laetus abit, & ſolutus vinculo, quem ego etiam ſpero de mea in ipſum charitate faſſurum per occaſionem, ac de noſtris etiam poſthac commode loquuturum eſſe. Voluit autem meis ad dignitatem tuam litteris honorari, quoniam ad D. Virginem Lorethanam religionis ergo (quod mihi diſplicere non poteſt) proficiſcitur. Vtinam de illo bene mereri queam, quem ego, licet inter noſtros minime verſetur, tamen amo & amabo ſemper ob veterem conſuetudinem.

Nihil hactenus allatum eſt, vnde intelligam, litteras & libellos a me miſſos iſthuc perueniſſe: ſed ſpero tamen, vtramque farcinam redditam eſſe.

De concilii progreſſu laeta nobis promittuntur, quae vt vera ſint, Chriſtum precari pergemus. Nam & Galli cum regis autoritate venturi dicuntur. Erunt opinor poſtremi Germani, qui primum accurrere & neceſſarium concilii remedium expetere atque promouere debebant.

Scripſi aliquando de concilio Epheſino, quod Princeps Bauarus e tenebris in lucem proferendum curauit. Eſſent iſthic fortaſſe, qui Graecum codicem commode verterent, cum hactenus concilium hoc integrum deſideremus. Atque vtinam alia quoque concilia, neſcio qua fide nunc edita, integritati ſuae reſtituerentur, vt perfecti eſſent Tomi, quos vocant, conciliorum, & qui nunc Coloniae magnis ſumptibus breui recudentur.

Speramus fore, vt Amplitudo tua, quae doctiſſimorum hominum iſthic vtitur frequenti conſuetudine, nonnulla per illos conſcribi curet, quae cauſam Eccleſiae aduerſus haereticos, eorumque confeſſionem vindicent. Dominus Ieſus laboranti eccleſiae dignetur adeſſe, & huic concilii inſtituto optatos dare ſuc-

ſucceſſus ad chriſtiani orbis ſanctam reformationem. Amen. Auguſtae 8. Nouembris MDLXI.

LXXX.

Puteus Hoſio.

Auxilium Dei eccleſiae affuturum, quamvis adhuc differatur.

Quae etiam huc rumores vndique afferunt, vel aperte mala ſunt, vel ita dubia, vt peiorem in partem interpretari debeamus. Suſtinendum tamen eſt, implorandumque Dei praeſidium: qui ſi tardius, quam volumus atque optamus, opem nobis prope iam naufragis affert; cogitare debemus, culpa aliqua noſtra adhuc fieri, vt ſuper ceruical dormiat nobis, non ea forte voce eum inuocantibus, quae exaudiri vel poſſit vel debeat. Huiuſmodi autem procellis quam ſaepe alias Eccleſia Dei agitata atque iactata fuerit, non ignoras: affuit tamen aliquando excitatus Ieſus Chriſtus piorum precibus, ſtudiiſque: atque omnia in tranquillum ſtatum pro ſua benignitate reſtituit. Faciamus igitur & nos, quod prudentes milites ſolent: perſtemus in ſtatione vigiles, & quantum quiſque poteſt enitatur pro ſua parte, atque contendat reipublicae opem ferre. Ego hic nihil praetermittam, quod adiumentum catholicae religioni eſſe poſſit. De comitiis Pruſſiae quid ſperem neſcio: quae praeceſſerunt, ſi vera ſunt, quae ſcribis, neque placent, neque video quem tandem exitum ſint habitura. De nummis certo ſcio ad te omnia diligentiſſime a Ticinio perſcribi; velimque tibi perſuadeas, nihil tibi praecipuum accidere; in eadem omnes ſumus naui: id eſt cum eodem quaeſtore nobis omnibus res eſt. Editionem tertiam catholicae confeſſionis perfectam eſſe & tibi primum & chriſtianae deinde reipublicae gratulor: multum enim ex ea ſpe-

ro vtilitatis ad plurimos cum ſumma tua laude peruenturum. Ea autem nondum perlata eſt ad Ticinium, vt mihi heri narrauit: expectat eam in ſingulas horas; quae cum ad me peruenerit, tanquam ſummae tuae erga me beneuolentiae liberalitatiſque argumentum conſeruabitur. Tibi interim gratias quam maximas ago, optoque te bene diuque valere. Roma VI. Idus Nouembris MDLXI.

LXXXI.

Puteus Hoſio Tridentum.

Recogniturum ſe Hoſii cõfeſſionem catholicam nuper auctam.

Accepi tertio Id. binas litteras tuas, ſimulque tertiam editionem confeſſionis catholicae, multo vt puto & tu ſcribis, locupletiorem factam; quamquam video te in dies ſingulos multa etiamnum addere, vt propemodum futurum augurer, intra biennium iterum atque iterum auctam in maiorem molem in publicum proditurum. Percurram autem denuo multa, praeſertim librarii manu addita. Ago vero tibi gratias ingentes, quod nulli labori parcis, neque ſumptibus, vt reipublicae profis; atque etiam erga multos liberalitatem exerceas. De Valentini cauſa, quaeſtoriſque difficultate non habeo, quod vltra ad te ſcribam. Permoleſtum mihi accidit, quod in re, quae mihi tecum communis eſt, id eſt, in extorquenda a quaeſtore pecunia menſtrua, nihil tibi opera vel diligentia mea prodeſſe poſſum; quo enim id a meis diligentius curatur, eo ſerius numerantur nummi: qui interdum eiuſmodi ſunt, vt ſine intertrimento permutari non poſſint. De Pompeio Latertiani filio nihil antehac audieram: erit autem hoc negotium mihi curae, quaeque fieri poterunt in ea cauſa, modo ſit aliquis qui procuret, perficiam atque

que contendam, vt primo quoque tempore expediantur. Id enim tua cauſa libenter faciam. Vale & me ama. Roma XVII. Cal. Decembris MDLXI.

LXXXII.

Puteus Hoſio.

De Polonorum quorundam promotione eccleſiaſtica mentem ſuam aperit.

Accepi V. Cal. Decembr. binas litteras tuas, quae mihi a Ticinio redditae ſunt; ex quibus id inprimis cognovi, te cum Archiepiſcopi Gneſnenſis, tum Stanislai Ialenſcy, Abbatis Suleoüienſis, cauſa plurimum laborare; ut Archiepiſcopo idem Abbas ſuffraganeus cum titulo Naturienſis Eccleſiae concedatur; qua in re perficienda quid neceſſarium ſit, puto ad te Ticinium perſcripturum; ei enim, quae mihi uiſa ſunt ad tranſigendum negotium opportuna; quaeque etiam neceſſaria quaſi lege requirantur, diligenter ex ordine narraui. Quum igitur res parata erit, neque tibi, cui plurimum debeo, neque Archiepiſcopi beneuolentiae erga me, neque Abbatis etiam expectationi deero. Cetera eiusmodi ſunt, ut malim ad te aliorum litteris perſcribi. Quod attinet ad meam valetudinem, ſic habeto: in dies infirmior ingraueſcentis aetatis veterisque morbi moleſtias & pondus ita ſuſtineo, ut niſi me alii ſuſtineant, nullo modo pedibus ingredi poſſim. Tu vale, & me ama. Romae III. Cal. Decembris M. D. LXI.

LXXXIII.

Caniſius Hoſio.

Queritur de epiſcoporum Germanorum ad ſynodum vocatorum procraſtinatione.

Neſcio qui fiat, vt Auguſtanae confeſſionis exempla paſſim deſiderentur, fortaſſe quod nouam iterumque mutatam parent editionem. Itaque mittere ea non licet, vt a me poſtulauit Amplitudo tua.

Huius litteris valde ſum recreatus, & laetus Chriſto gratias ago, quod magna epiſcoporum frequentia ſacram ſynodum ornet, quodque Hiſpanos antiſtites accedere, & Gallicos etiam ſequuturos eſſe intelligam. Mirum & miſerandum ſane, cunctari more ſuo Germanos praeſules, qui ad rem familiarem magis attenti, quam ad cauſam Eccleſiae vindicandam ſeduli eſſe videntur. Omnia metuimus magis quam ſolum Deum. Aderit interim, vt ſpero, diuina bonitas pio Pii Pontificis inſtituto, qui certe non parum promouit tot legationibus & admonitionibus vere paternis atque apoſtolicis, etſi alii aliter de huius mente iudicent. Nunc de aduerſariis quod dicam non habeo. Venit vnus atque alter Wittenberga miſſus Auguſtam, vt ſectarios confirmaret concionando. Sed nos pergemus, ſi Dominus fauerit, catholicorum hic gregem a nouae doctrinae contagio immunem conſeruare, ſimulque prouehere in officio verae pietatis. Vehementer nobis placet, quod plerique modo frequentiorem ſibi faciant vſum ſacrae confeſſionis & communionis. Qua ratione fieri poſſe putamus, vt catholici aduerſus Sathanae ſynagogam perſiſtant in fide fortius, & inculpatius viuant, quam proh dolor hactenus factum eſſe videmus.

Expectamus hic D. Staphylum, quem aulae nobis abripiunt, ad curanda neſcio quae negotia, vt minus otii ac ſtudii ad ſcribendum adferat. Hortor autem illum, vt quemadmodum magna

magna cum laude coepit, ita porro pergat Schmidelino reſpondere, qui neſcio quando ex Gallicano conciliabulo reuertetur. Nondum obtigit liber authoris Caluiniani, cuius partem nuper miſeram, promiſſus eſt mihi tamen ab amico, nec omittam iſthuc eum mittere, vt primum accepero. Apud Bibliopolas non reperitur.

De ſynodis edendis Coloniae iam antea ſcripſi, ſperoque Romae & Tridenti futuros huius inſtituti promotores.

Mitto Tymanni librum, nam alium non licuit reperire. Sed neque Vergerii quicquam extat.

Quod autem ſcribit pſeudo epiſcopus Manſueldicus, magnam catholico cordatoque lectori recreationem merito adferat, cnm videt, nouos iſtos miniſtros de nouis canonibus anxie laborare, & catholicis armis ſeſe tueri contra ſeductam, ſed iam obſtrepentem plebeculam, cui vellent iſti ſi poſſent non minus quam Epiſcopi prorſus imperare.

Princeps Bauariae fuit his diebus Neuburgae & Phauſerum audiuit concionantem.

Aderat vxor Archiduxiſſa, Wirtenbergenſis etiam aliique Principes nonnulli, nihil minus quam Catholici. Rediit inde cum vxore non paulo ille confirmatior in veteri religione; adeo diſplicuerunt ritus Eccleſiae vel potius ſynagogae impiique conuentus. Ablegauit deinde Marſchalcum ſuum, qui a communione catholica ſeipſum ſegregauit, D. Staphylum magnifico munere proſequutus eſt, D. Eiſengrein liberali quoque munere donauit, vt magis ac magis catholicos ornare & amare videatur. Tum de Illuſtriſſimo Duce Braunſwicenſi ad me ſcribitur, quod in conquirendis catholicis concionatoribus ſedulam operam nauet, eaque de cauſa nobiſcum agi iuſſit. Nec eſt quicquam videre in Germania triſtius atque calamitoſius, quam in pleriſque Eccleſiis deſiderari Paſtores, multoque magis concionatores. Quae res ſi vlla quidem alia merito epiſcopos angit atque diſcruciat in hac tanta religionis perturbatione, quanta vix maior eſſe poſſe videatur.

Archi-

Archiepiſcopatus Pragenſis nondum ſolida iecit fundamenta, ſed praeclare fecerit Amplitudo tua, ſi haec qualiacunque primordia ſuis conſiliis & litteris promouere atque confirmare dignetur. Nota ſunt Bohemorum ingenia, qui arte quadam potius, quam imperio ad catholiciſmum adducendi videntur. Commendo me reuerenter Illuſtriſſimae Celſ. tuae, quam Chriſtus ad ſanctae ſynodi ac totius eccleſiae profectum diu nobis florentem conſeruet. Auguſtae IIII. Decembr. MDLXI.

LXXXIV.

Caniſius Hoſio.

Ob interna proteſtantium diſſidia laetitia ſe effert: vult catalogum edi eorum, qui concilio praeeſſent et adeſſent: etiam orationes quaſdam in ſynodo habitas cenſet publicandas.

Inueni tandem Klebitium, qui ſingulari genere ſcribendi & ſcholaſtica breuitate vti mihi videtur, impius quidem aſſertor impii dogmatis, ſed qui Lutheranis negotii ſatis exhibet. Pulchrum eſt videre pulchram hanc in ſectariis concordiam de rebus ſummi momenti, vt magis cofirmentur electi in veritate catholica ſibi perpetuo conſentiente.

Miſi non ita pridem alia eiuſdem farinae ſcripta: poſthac vix quidquam ante mercatum Franckfordienſem edent, vt opinor, aduerſarii. Si libere mihi loqui fas eſt, praeclarus iſthic quidem conuentus, ex tot Praeſulibus Eccleſiarum, quem Dominus in ſuam augeat gloriam. Verum haec Synodus longe appareret ornatior, vt quidam arbitrantur, ſi prodiret Epiſtola vel ſcriptum aliquod ſi non de induſtria, ſaltem obiter explicans eorum qui adſunt & praeſunt concilio, nomina ſimul & conditionem. Nec abs re fore cenſent, vnam atque alteram orationem elegantem publice recitatam & typis excuſam publice circumferri. Vnde

de mundus rerum huiuſmodi nouarum percupidus, de ſynodo rectius iudicaret, & catholicorum, qui procul abſunt, animi magis magiſque confirmarentur. Audio Ferrarienſem theologum aliquid reſpondiſſe Proteſtantibus, qui ad ſynodum vocati Pont. Max. legatos indigne tractarunt. Mihi nondum contigit videre librum, ſicut neque Vergerii epiſtolam. Nunc Tubingae illam quaeri curo. Dominus Ieſus Amplitudinem tuam ad Synodi & Eccleſiae commodum diu proſperam ſeruet. Reuerenter me commendo Ampliſſimae dignitati tuae in Chriſto Domino noſtro. Auguſtae 10. Decembris MDLXI.

LXXXV.

Cardinalis arae coeli Hoſio Tridentum.

Negat, ſe Franciſcanos e Flandria mittere in Poloniam poſſe: ſcire cupit, quid agatur in concilio.

Ego vero, Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Domine, curaui diligenter, vt fratres minores de obſeruantia ex Flandria & inferiori Germania mitterentur in Poloniam, vt veſtra Illuſtriſſima D. tam humane quam confidenter a me petierat; at equidem angor animo, me non potuiſſe veſtrae tam honeſtae petitioni cumulate ſatisfacere, & in cauſa fuit, quia illis partibus maiorem in modum opus ſunt fratres propter haereticos, qui indies magis atque magis inſurgunt; verum malo V. D. Illuſtriſſimam haec omnia & ſingula cognoſcere ex ipſorum patrum litteris, quae afferuntur, quam ex meis. Pro eo, qui meus eſt in D. V. Illuſtriſſimam ſummus amor, vellem, vt ſolebam, vti ſecum mutuis colloquiis, quibus infelicitate horum temporum priuamur. Quae autem fiunt in oecumenico concilio conducentia ad fidei vnitatem, optarem a te viro veridico, & a quo adulatio omnis eſt relegata, intelligere, & vtinam omnia ex ſententia nobis euenirent:

rent: aequo tamen & patienti animo ferre debemus, non minus aduerſa, quam proſpera. Si me certiorem V. Illuſtriſſima D. fecerit, cum aliquid noui (quod tamen fiat ſuo commodo) in concilio acciderit, erit mihi gratiſſimum. Supereſt, vt D. V. Illuſtriſſima me libere vtatur, ſi quid eſt Romae, quod ipſe aut cauſa ſua, aut ſuorum poſſum, nam me ad omnia ſemper illa habebit. Valeat Dominatio V. Illuſtriſſima. Datum Romae XIII. Calend. Januar. M D LXI.

D. V. Illuſtriſſimae & Reuerendiſſimae

humillimus ſeruus

Cardinalis Aracoeli.

ANNOTATIO.

Frater Clemens Dolera, Ligur ex Moneliano oppido, ſub republica Genuenſe ſito, obſcuris parentibus natus eſt anno 1501. Adoleſcens contulit ſe ad fratrum minorum de obſervantia familiam, in qua, ſtudiis philoſophiae diligenter excultis, tandem Salmanticae in Hiſpania anno 1553. totius ordinis miniſter generalis electus eſt, ac ita valuit auctoritate apud Paulum IV. vt anno 1557. ſub titulo ſanctae Mariae in ara coeli in collegium cardinalium reciperet. Migravit e vita initio anni 1568. aetatis 67. Romae, vbi quieſcit in ara coeli ante maius altare, vt refert Vghellus tomo I. Italiae ſacrae columna m. 714. Libros ab eo editos recenſet Auguſtinus Oldoinus in athenaeo Liguſtico p. 140. Vbertus Folieta in editis Romae 1574. clarorum Ligurum elogiis p. 166. laudem eius obtrivit potius, quam auxit. Ita enim de eo loquitur: *Humani ingenii imbecillitate, naturaeque dona ſua inter mortales partientis decreto fieri videmus, vt idem quamvis excellenti ingenio praeditus vir, et ad res gerendas natus, non omni negotiorum generi aptus ſit, neque ſatis feliciter ſeſe variis hominum ingeniis et ſtudiis accommodet. Quam rem CLEMENTI DOLERAE ex oppido Monelia uſu veniſſe conſtat. Is vir, cum Franciſcanum ordinem, cui multos annos ſummus Miniſter praefuit, et ad quod faſtigium ab inferioribus muneribus ad ſuperiora ſibi deinceps gradum faciens, cum ſumma omnium approbatione conſcendit. Is igitur vir, cum eum ordinem ſumma cum prudentiae, ingenii, probitatis laude rexiſſet, Cardinalis creatus famam tot meritorum et officiorum momentis diu collectam nihil ſane auxit, ut ſacrae purpurae inſignis titulus plus honori et amplitudini adieciſſe, quam priori gloriae et exiſtimationi addidiſſe videatur.*

LXXXVI.

LXXXVI.

Cromerus Hoſio.

De progreſſu concilii dubitat, et queritur de Italis.

Reuerendiſſime & Illuſtriſſime Domine.

De initio concilii melius equidem ſperare incipio: de progreſſu vero liceat mihi per vos adhuc dubitare. Videor enim mihi videre, quo res ſpectet per diſceptationem de actis prioribus & de poteſtate papae & concilii. Et ſunt ſuſpectae nationibus res Gallicae. De ☿ mirum eſt te non intelligere, neque ſubolfeciſſe. Succeſſor deſtinatur a ſene. Sed abhorrent ii potiſſimum, quos ille captare viſus eſt hactenus. Rex Boëmiae fertur duos filios miſſurus eſſe in Hiſpanias educandos.

Ad aulam noſtram ego iam plura ſcribere incipio, poſteaquam venit Maxilla. Minus enim otioſus ſum. Peto autem ſucceſſorem; modeſte tamen. De concilio ſcribere non praetermitto. Sed non ſemper eſt, qui perferat. Rex ſcribit ſe mirari, quod rarius ſcribam: ſe autem non habere, quod mihi ſcribat. Et interim ad meas litteras nihil mihi reſponderur. Miſi ei rythmos, & adſcripſi, vt videat, quantam fidem habere debeat iſtis talibus euangeliſtis, qui talia ſpargunt in vulgus, & in oppidis ſuis, vel ipſius adeo excudi faciant. Alios peti per corpus meum. Ridebit, ſat ſcio. Gaudebunt nonnulli.

De locatione quid vis ſcribam? Scripſi ad vicarium nuper, cum ipſe interuenerit multa pollicendo, vt illius fidei res committeretur, curare eum debere, vt extent promiſſa. Alioqui periculum eſſe, ne vterque amoueatur. Non deeſſe quidem, qui id agant. Vlrico fratri recte opinor poſſes rei familiaris curam committere, niſi eſſet deprauatus nouis dogmatibus. Nam hoc ita Antoninus Dominicanus affirmat, qui hinc nuper Lencium ad regem profectus eſt, placato caeſare. Mirifici artifices ad no-

cendum ſunt Itali. Dubitat ipſe, Canobiumne, an Camarinam, an quendam alium incuſet.

Caedimus, inque vicem praebemus crura ſagittis. In Galliis de armis neſcio quid agitari dicitur. Nec ſcio, an in Franconia quoque. Comes de Luna venit huc nuper, ac de te heri amanter quaeſiuit. Nondum hinc deceſſurus eſt. Pragenſem vix arbitror ad ſtatam diem iſtic affuturum eſſe. Negat, ſe paratum, aut conſtitutum quicquam adhuc ſecum eſſe. Videtur expectari reſponſum Paſſauienſis epiſcopi. Tametſi non creditur is aſſenſurus eſſe. Vale. Praga 22. die Decembr. 1561.

Tibi addictiſſimus

Mart. Cromerus.

Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino meo, Domino Cardinali Varmienſi, legato concilii Tridentini.

ANNOTATIO.

Martinus Cromerus, vir ingenio, eloquentia, fide, vſuque rerum excellens, humilem naſcendi ſortem habuit in Polonia. Quo anno Betzii, quae in Cracovienſi palatinatu regii iuris civitas eſt, vitam ingreſſus ſit, non eſt ſatis exploratum, ne Tretero quidem, vitam eius libro de epiſcopis eccleſiae Varmienſis loco XXII. deſcribenti. Variarum linguarum cognitione cultiorumque literarum ſtudiis ornatum, finitis peregrinationibus, publicis muneribus admovit aula patria. Sunt nobis epiſtolae Hoſii manu e caſtro Lubavienſi anno 1551. ſcriptae, quibus iuris vtriusque doctor, cuſtos Cracovienſis, et ſecretarius appellatur. Thomas de Plaſa edidit Coloniae anno 1566. Cromeri ſermones tres ſynodicos, cardinali Commendono dedicatos, quorum primum anno 1542. Petricoviae in ſynodo prouinciali habuit de tuenda dignitate ſacerdotii. Initio huius orationis ait quidem, ſe ſacris nondum initiatum apud ſacerdotes, iuvenemque apud viros graviſſimos perorare: nihilominus tamen ſingulari animi magnitudine, et acumine plus quam iuvenili, multa profert, quae indicio ſunt, Dei timorem hominum favori longe antepoſuiſſe. Ita enim inter alia inquit: * *Quid mirum, ſi nunc tam contemptum ac propemodum abominabile vulgo eſt ſacertium,*

* *Litera C. II. ſqq.*

dotium, quando omniahaec, quae priſcos illos venerandos et admirabiles faciebant, in nobis deſiderantur? Nemo officium ſuum facit, ac ne norunt quidem plaeriqueque. Omnes cultu divino et hominum nobis commendatorum ſalute neglecta, bonis pauperum et patrimonio Chriſti flagitioſe et indigne abutimur, et in vicarios munera noſtra reiicimus: atque vtinam in iis tamen delectum aliquem probitatis atque doctrinae haberemus: vtinamqe ii non alios porro pro ſe vicarios ſubiicerent. Et quod peius eſt, eo ventum eſt, vt nos ſacerdotes eſſe, haberi, dicique pudeat. In omne ſcelerum et flagitiorum genus, pudore omni metuque profligato, proiecti ſumus: et peccata noſtra, quemadmodum Sodoma, praedicamus. Quid mirum ſi contemnimur, vexamur, exagitamur, diripimur, et exibilamur paſſim? atque noſtris quidem odio, haereticis vero ludibrio ſumus? Receſſimus de via, et plurimos offendimus in lege: Irritum feciſtis pactum Levi, dicit dominus exercituum per Malachiam: propter quod et ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis. Mittam in vos egeſtatem, et maledicam benedictionibus veſtris. Et per Ozeam, Gloriam, inquit, veſtram in ignominiam commutabo. Magis certe mirandum eſt, religionem Chriſtianam non proculcari vulgo, et explodi, cum tantum abſint ſacerdotes, primores etiam, vt poſſint rudes erudire, aut errantes in viam reducere, vt vix noverint nonnulli, quare dicantur Chriſtiani, quamque vim habeat, et in quo poſita ſit Chriſtiana religio. Quid porro miramur, non paſcere eos, qui neque oves, neque pabula norunt, ac neque quod ſit paſtoris officium? Quid miramur, non docere eos, qui nunquam ipſi didicerunt? An nos, patres, non libamus fortunae, cum fructus et emolumenta ſacerdotii, non ſacerdotium ipſum conſectamur? Et vivat, ſentiat, credatque, ut vult quiſque, dummodo commoda noſtra nobis ſalva ſint, ſi non verbis, re ipſa certe palam loquimur. Itaque, etiam ſacerdotiorum nomine antiquato, beneficia vulgo appellamus, quaſi quae non, ut aliquo munere fungamur, ſed ut bene ſit nobis, dentur. Vnde impiae illae et horrendae voces natae ſunt, cum patronorum, in beneficii loco ſacerdotia clientibus data exprobrantium, tum clientium, mercedis nomine ea vel ſtactantium, vel efflagitantium. Quo fit, vt omni alia cura excluſa, nocte dieque cenſus, decimas, fructus, et praedia iſtorum ipſorum beneficiorum, vt vocamus, privatim atque publice, vel in abaco, vel in digitis computemus: Divinas vero ſcripturas procul a cubiculis, menſis, contuberniis, collegiis, conventibus, et omni vitae noſtrae conſuetudine relegavimus. Nec ſacra Prophetarum, Apoſtolorum et Chriſti ipſius ſervatoris noſtri verba vnquam fere in ſermonibus noſtris vſurpamus, praeter, quod non ſine magno animi dolore dico, ioci gratia, cum maxime videri volumus argutuli atque ridiculi. Habuit poſtea anno 1548. luculentam orationem Cracoviae in funere Sigismundi I. qua inter multas res praeclaras et hoc obſervat, tanti a Carolo V. factum Sigismundum, vt coniugi

eius ſecundae, Bonae, principi Sfortiae Mantuanae, Barenſem principatum (de quo ſupra. p. 79.) redderet, quem poſt obitum matris eius redegerat in ſuam poteſtatem. Perfunctus Sigismundi II. iuſſu multis legationibus apud Carolum V. Ferdinandum I. ac Paulum IV. tandem ab Hoſio, vltimum Romam abituriente, vt Reſcius narrat vita Hoſii libro II. capite XXXIII. primum adminiſtrator epiſcopatus Varmienſis, ac paulo poſt coadiutor, futurusque ſucceſſor aſſumitur, Hoſioque Romae anno 1579. mortuo, Varſaviae a Wladislavienſi conſecratur epiſcopus Varmienſis. Admirabile opus ſuum de origine et rebus geſtis Polonorum anno 1586. Poloniae regi, Stephano Bathoreo, dedicavit, vivendique finem fecit reparatae ſalutis anno 1589. aetatis 77.

LXXXVII.

Puteus Hoſio.

Gaudet, oratores Caeſaris veniſſe Tridentum, ſperatque, nunc tandem fore, vt concilium aliquid agere poſſit.

Et caeli iſtius clementia, &, quod pluris facio, conſuetudinis tuae ſuauitate libentiſſime fruerer, ſi me vel imbecillitatis meae ratio, vel anni tempus permiſiſſet, vel multorum etiam negotiorum moleſtiſſimum onus, quod mihi liberaliſſime imponitur ab iis, quibus parere aequm eſt. Quare nihil eſt, quod in Latinum transferas culpam deliberationis huius; is mecum libenter in Scythas usque extremos ibit. Sed aliquando, ut ſpero, coram pluribus haec inter nos. Gratulor oratores Caeſaris aduentare: fortaſſe eo exemplo permoti plurimi undique confluent, ita ut aliquando tandem aliquid agere poſſitis. Ego hic tua cauſa Abbati, quem mihi plurimum commendaſti, omnem operam & diligentiam meam bona fide praeſtabo. Tu interim vale, & me, quod prolixe ſemper pro tua ſingulari erga me voluntate feciſti, perge diligere. Roma XIII. Calend. Ianuarii M.D.LXI.

LXXXVIII.

Borromeus Hosio.

Certiorem facit de solutis nummis menstruis.

Si animi mei molestia, quam ex postremis litteris Reuerendissimæ & Illustrissimæ D. Vestræ cepi, sibi nota & perspecta esset, illud quoque certe intelligeret, me nihil magis cupere, quam vt sibi omnia ex animi sui sententia prospera & iucunda accidant: vt vero re ipsa cognoscat, per me non stare, quo minus suas prouisiones in tempore assequatur, vtque perspiciat etiam, quæ hic semel mandantur hoc nomine, ea summa diligentia confici; mitto obsignatam his litteris syngraphan Iormenti Thesaurarii, qua is mihi fidem facit de pecuniis Amplitudinis Vestræ nomine Georgio procuratori suo solutis, præter illas, quas ipsa istic accepit: ex qua quidem facile est cognoscere, quo tempore fuerint numerati quingenti aurei dono dati ab Sanctitate sua D. Vestræ Reuerendissimæ, quod si minus sibi renumerati sunt, id profecto culpa nostra non euenisse apparet. Si vero Prouisio Nouembris die tertia huius mensis solum modo est soluta, id eam ob causam factum est, quod litteris suis admonebamur, vt Abbati dinumeraretur, hacque de causa Thesaurarius noluit vlli alii soluere, quod mercatores facere solent, postea tamen Georgio Procuratori suo curata est, quemadmodum D. V. Illustrissima proximis litteris se velle scripserat. Quae vero pecunia sibi mense Decembri debebatur, istic soluta est; credoque eam sibi etiam esse dinumeratam, quae mense Ianuario debetur; proxima enim superiori hebdomada Venetiis solui mandatum est; atque hac ratione posthac omnino solutio fiet, cum illud Amplitudini Vestrae iam exploratum esse possit, me rem omnem vel maximam posthabiturum, vt in hoc sibi cumulate satisfaciam. Quod autem rarius ad D. V. Reuerendissimam scribam, id facio, ne inanibus meis litteris ei sim molestus, cum sciam, Illustrissi-

ſtriſſimum Cardinalem Mantuanum ei ſignificare diligenter, quaecunque ad ipſum ſcribo. Quod ſupereſt, opto Reuerendiſſimam D. Veſtram diu eſſe incolumem & felicem, cuius me gratiae diligenter commendo. Romae XXVII. Dec. MDLXI.

LXXXVIIII.

Caniſius Hoſio Tridentum.

Multos haereticos redire ad eccleſiam Romanam: expectare ſe orationem in concilii commendationem ſeu editam, ſeu edendam.

Pax Chriſti, & anni felix auſpicium,
vna cum vtriuſque hominis incolumitate nobiſcum.

Klebitium iſthuc peruenisse cognoui; de aliis libellis, quos paulo ante miſeram, redditos eſſe non accepi. Etiam non monitus librum Ferrarienſis theologi magis mihi ſeruabo, quam Germanis communicabo. Ioannem Antonium Delphinum quid ediderit de concilio necdum vidi: doctus eſt ſane liber Feltrenſis epiſcopi, & dignus meliori typographo. Summas interim ago debeoque gratias Illuſtriſſimo Domino Cardinali Mantuano, qui hoc ad me munus dedit, ac pro ſingulari pietate ſua minimis fauet cupitque gratificari.

Scribo tardius ob publicatas hic Iubilaei Indulgentias, quae magnos in Auguſtana meſſe labores operariis nobis attulerunt, quod frequenter diuini verbi ſemen ſpargendum fuerit, & colligendus inde fructus. Nunquam antea cum hoc populo actum fuiſſe videtur felicius, ſi noſtri temporis memoriam repetamus. Ad catholicam Eccleſiam ſe multi ex haereticis recepere, quos mundus hoc quidem loco, velut Herodes in Iudaea paruulum Ieſum, clam & palam perſequitur. Exceptae complurium confeſſio-

feſſiones, qui multis abhinc annis poenitentiae ſacramentum deſeruerant. In publica ſupplicatione maior quam annis ſuperioribus viſa eſt comprecantium turba. Quae res vt catholicis mirifice placuit, praeſertim cum ſacroſanctum Evchariſtiae ſacramentum non reuerenter minus, quam frequenter accipi cerneretur; ita non potuit ſectarios non offendere, quos aduerſus inſtitutum concilii plenis crepare buccis mirum non eſt. Sed excitat interim Dominus & illuſtrat quorundam animos, vt catholicam lucem videre geſtiant. Adſit Dominus Eccleſiae ſuae in his tenebris & procellis, quibus Angliam certe liberari vehementer optamus.

Audimus in Galliis longe lateque zizania ſuccreuiſſe, vt magnum ſit tritico periculum metuendum, niſi ſuccurrat Paterfamilias, cuius agrum inimicus ille paſſim vitiare contendit iniecto lolio, quod magis nunc quam triticum placere coepit.

Expectamus orationem, ac quicquid demum illud ſit, quod ad concilii commendationem in lucem edetur, vt maior accedat authoritas huic inſtituto, quod apud exteros quidem non ita praeclarum forte iudicatur, quemadmodum res ipſa meretur. Itaque cupiebam peritos medicos ad graues aegrotorum morbos in hac ſaltem parte ſe nonnihil accommodare. Sed nouit ſapientia tua, qua ſint arte tractandi tales aegroti, vt medicas manus admittant, ac medicos ament.

Miror de me auocando curam vllam eſſe viris maximis, cum ſatis intelligam, me ſi iſthic adeſſem, idem futurum, quod anſer inter olores. Et iudicabit Amplitudo tua, expediatne hunc quamuis exiguum operarium, Auguſtano agro ſubtrahi per quadrageſimam, quod ſane tempus eſt in vinea Domini cum fructu laborandi. Statuat interim Illuſtriſſimus Cardinalis Auguſtanus, quod ex re fore cenſuerit: diuinae bonitati & obedientiae ſanctae me totum permittam, & Eccleſiae commodis inſeruiam, vbicunque viuam, Domino cooperante, qui ſuam nobis gratiam augere dignetur. Auguſtae 29. Decembris 1561.

XC.

Borromeus Hoſio Tridentum.

Pontifex mandat, vt Bohemiae regi, aliisque principibus concilium ſuadere ne deſinat.

Reuerendiſſime & Illuſtriſſime,
Domine mihi obſeruandiſſime.

Legi Sanctiſſimo D. N. earum literarum exempla, quae D. V. Reuerendiſſima ad me miſit XXIX. Decembris; eiusque Sanctitas, vt antea ſemper, ita hoc tempore pium hoc eius ſtudium & charitatem vehementer commendauit, & ſperat futurum, vt præclaræ ſuæ adhortationes Sereniſſimo Bohemiæ Regi ac Pruſſiæ Duci & Reipublicæ item Chriſtianæ magnum ſint fructum allaturæ, quamobrem Reuerendiſſimam D. Veſtram etiam atque etiam hortatur, vt cum illis, & cum cæteris Principibus, apud quos aliquid ſe poſſe proficere iudicat, hac pia ratione agat, quotiescunque ſeſe illi occaſio offeret, mittatque mihi ſæpius, quæ Sanctitati ſuæ in hanc ſententiam legere poſſim. Ego vero ab ea inprimis peto, vt me in ſuo amore & gratia conſeruet, cui me, quam humillime poſſum, commendo. Datum Romæ die VII. Januarii M. D. LXII.

XCI.

Borromeus Hoſio.

Omne ſuum ſtudium promittit, literarumque commercium commendat cum Canobio, pontificis in Polonia nuntio, colendum.

Mihi quidem perquam moleſtum eſt, R. D. tuam vllam habere ſuſpicionem, aliquid nobis a te moleſtiae affe

pe

poſſe. Libentiſſime enim ſemper lego tuas litteras; quae quo liberiores, eo mihi ſunt iucundiores: neque aut quiſquam eſt, cuius ego cauſa plus cupiam, quam tua, aut quicquam, quod pro tua vtilitate aut dignitate recuſarim. Primum igitur, Reuerendiſſime Domine, tollatur ex animo tuo illa dubitatio, vlla libertate litterarum tuarum offendi poſſe animum meum, qui contra maxime offenderetur, ſi te verecundia, aut quauis alia ratione impediri intelligerem, quo minus quid tibi opus eſſet, quod a me praeſtari poſſet, ad me libere ſcriberes: deinde ſcito, mihi magno dolori eſſe cunctationem & moram omnem, quae interponitur in numeranda tibi decreta pecunia: quantum enim non modo re ipſa, ſed rei etiam celeritate, tibi opus ſit, optime intelligo. Qua re ſiue theſaurarii, ſiue tempora tarditatis culpam ſuſtineant, equidem vtriſque ſuccenſeo: quibus incommodis vti remedium adhibeatur, iam ſatis prouiſum eſt. Illud denique ſibi perſuadeat Reuerendiſſima D. tua, nemini ſtudium aut operam meam magis promptam & paratam eſſe, quam tibi; qua ſi tuo arbitratu vſus fueris, nihil mihi eo gratius facere poteris. Quod ſupereſt, Reuerendiſſimae D. Tuae felicitatem precor, eiuſque gratiae me diligenter commendo. Romae XXIIII. Ianuarii MDLXII.

Gratum erit Sereniſſimo Domino noſtro, ſi D. V. Reuerendiſſima de rebus, quae iſtic occurrerint, certiorem fecerit epiſcopum Camerini, Nuntium apud Sereniſſimum Poloniae regem. Nos enim, quod longius abſumus, & tardius omnia ſcimus, neque ita commode poſſumus illi ſignificare, quae occurrunt, & D. V. Reuerendiſſima pro ſua prudentia ſciet melius, quae illi Nuntio erunt communicanda pro bono illius regni & pro catholicae religionis augumento.

XCII.

Caniſius Hoſio.

Gaudet, ſynodum eſſe apertam, variaque narrat de Gallis et Germanis.

Immortales Deo optimo maximo gratias agimus, qui ſacram ſynodum voluit aperiri, vt nunc poſt principia eſſe videamur. Progreſſum ac felicem ſucceſſum donet, qui praeclaris auſpiciis primum hunc actum nobis conſecrauit. Deſiderant boni omnes, Germanicos iſthic praeſules adeſſe ſimul & Gallicanos, vt plenior ſit numerus epiſcoporum.

Vt autem catholicos recreat meritoque confirmat hoc auſpicium, ita non parum offendit ac perturbat hoc loco, quod Archiepiſcopus Madeburgenſis vna cum primario clero ſuo recens defecerit ad factionem Confeſſioniſtarum, quodque Mersburgenſis eccleſia venerit in poteſtatem Saxonici electoris, quemadmodum haud dubie Celſitudo tua iam ante ſatis intellexit. Mittent ad ſynodum ſuos oratores, vt audio, idem Saxonicus & Brandenburgenſis electores, vnaque forte dictus Archiepiſcopus, ſi hoc nomen meretur. Sed nunc gloriari coeperunt aduerſarii, ſe per hos oratores ea propoſituros, quae Papiſtas eorumque morbos depingant expreſſiſſime, nimirum vt inſuauem prorſus cantilenam epiſcopis occinant maledicentiſſimo ſcripto. Sic enim indicare viſus eſt D. Eckius, quem nouit amplitudo tua Illuſtriſſimi Principis Bauariae catholicum & pium Cancellarium eſſe. Vulgo nunc aduerſarii perſuaſerunt, Pontificem & magni nominis Principes catholicos in ſynodum ita conſpiraſſe, ac nouis foederibus conglutinatos eſſe, vt igne & ferro perſequi velint Lutheranos, qui decreta ſynodi noluerint recipere atque approbare. Imo circumferuntur nomina non modo Principum, ſed etiam Cardinalium, qui certam pecuniae ſummam ad huiuſmodi bellicam expeditionem obtulerint promiſerintque. Primas vero

vero huius tyrannidis, quam appellant, Pontifici deferunt, vt aduerſus eum vulgares animi magis concitentur. Et audent Lutherani Principes palam affirmare, de huiuſmodi catholicorum conſpiratione certum ſibi nuntium allatum eſſe. Nec diſſimulabo, quod amicus fide dignus mihi narrauit de nobili Gallo, qui ad Principes Lutheranos orator miſſus eſt, iamque peruenit, ni fallor, in Saxoniam, ſuis explicatis primo mandatis ad Electorem Palatinum & Ducem Wirtenbergenſem. Adhaeret is partibus regis Nauarrae, & hoc meditari putatur, vt horum Principum accipiat conſilia, quibus videlicet conditionibus & exceptionibus vtendum ſit in concilio Tridentino epiſcopis illis, qui cum authoritate publica ex Gallia breui mittentur. Deinde confoederatio quaedam ſpectatur & quaeritur, vt aduerſus catholicos, qui concilii decreta non ſine vi defendere velle putantur, ſua conſilia & praeſidia inſtruant. Nonnullis etiam videtur huc tendere Satan, vt per Gallicam induſtriam Caluiniſmus & Lutheraniſmus in vnum idemque doctrinae corpus coëant. Haec ego liberius fortaſſe, quam pro muneris mei ratione, ſum perſequutus, non quod curioſus eſſe velim rerum publicarum explorator & cenſor, ſed quod exiſtimem haud parum referre, vt Amplitudines veſtrae bonorum opiniones atque ſuſpiciones intelligant, & de his cogitent aliquando. Faxit diuina bonitas, vt fruſtra metuamus malas artes & fraudes iſtorum, qui, modo ſapiant more ſuo, nihil intentatum relinquent, quod ad ſanctam ſynodum oppugnandam ac labefactandam pertinere ſentient.

Mitto quaedam nunc per Germaniam late ſparſa, & ſaepius typis excuſa, vt ex Lutheranis Caluiniſtae reddantur. Dolent autem probi, tam indigne actum eſſe cum Illuſtriſſimo Cardinale Lotharingiae, cuius luculentam orationem qua fide tum germanus, tum latinus interpres expreſſerit, facile iudicabit dignitas tua, quam Chriſtus princeps paſtorum in ſancta ſynodo bene ſoſpitem ac feliciter praeſidentem pro immenſa bonitate ſua conſeruare dignetur. Auguſtae 29. Januarii MDLXII.

ANNOTATIO.

Cum oratores varii paulatim adueniſſent, omniaque, quoad fieri potui ad concilii apertionem parata eſſent; tandem anno 1562. die XVIII. Ianuarii prima ſub Pio IV. ſeſſio celebrata eſt. Quamobrem vehementer gaudet Caniſius hac epiſtola, ad quam extat in editis Hoſianis reſponſio numero XLV. qu Hoſius valde queritur de Alberto Hardenbergio, turbulento illo Brehmenſiu Calvinianorum concionatore, ac tandem concludit: *Ex Lutheraniſmo progre ſum videmus ad Calviniſmum, qui vobis parituras videtur atheiſmum.*

XCIII.

Caniſius Hoſio.

Magnam delectationem capit ex aduentu plurium epiſco porum ad concilium, vultque centurias Magdeburgenſes confutatas.

Diuinae bonitati gratias agimus, quae ſanctam ſynodum indi magis ac magis ornat magnorum hominum acceſſior inter quos laete contemplamur R. D. archiepiſcopum Prage ſem, qui Germanis quidem epiſcopis & archiepiſcopis palm praeripuit, ac forte ſolus ex omnibus illis acceſſit. De conu tu Vlmenſi cum certiora cognouero, ſcribam. In cauſa religi nis nihil mutatum puto, & confirmata bonorum ſpes eſt, n nobis hoc anno metuendum bellici tumultus in Germania. proceres quidam Lutherani non dubiis indiciis declararint voluptati fore bellicam expeditionem, quae aduerſus ligam ipſi vocant & ſomniant) Papiſticam ſuſciperetur. Conſta mor eſt, nouum illic edictum exiuiſſe, vt duobus in hebd diebus veſcantur carnibus ſiue catholici ſiue Lutherani, qu que publice vendere liceat.

Mitto nunc ſcurrile & blaſphemum ſcriptum Neubu concionatoris, qui valde Staphylum honorat petulanti &

ra praefatione. Confutaui totum opus pro concione, praeſertim ne offenderentur catholici tam ſpecioſo libri titulo, qui nullam poſtea probationem habet adiunctam & ridicula potius, quam vera recenſet. Ita lubet aduerſariis nugari, & nonnunquam noſtris fimis atque ſtercoribus ad ſuam communiendam arcem abuti. Flagellat D. Franciſcum, ridet D. Bernardum, contemnit D. Gregorium. Quicquid ipſi fingunt, pro Euangelio venditant, quicquid contra ipſos facit in hiſtoriis, id abiiciunt, rident, calumniantur. Vtinam prodeat aliquis ex doctiſſimis epiſcopis & theologis, quorum ingens iſthic eſt numerus, qui ex profeſſo refellat peſtilentiſſimum illud opus Magdeburgenſium theologorum de eccleſiaſtica hiſtoria nuper editum.

Mitto praeterea confeſſionem ſectariorum in Belgica noſtra frequentium nomine, ſi credere fas eſt, conſcriptam. Fortaſſe Caluinus in hoc opere laborauit. Multi conſtanter affirmant, quod [illegible]o falſum optarim, religionis cauſam in Germania inferiore mirabilem in modum afflictam iacere, & ex vicina Gallia multum contagioſae peſtis in has regiones Philippicas ſerpere. Eo magis optant boni, nouos epiſcopos paſſim inſtitui, licet Satanae [illegible]pium optimi regis inſtitutum impedire conetur. Audimus theologos Louanienſes de mittendis quibuſdam ad ſynodum deliberare.

Commendo me amplitudini tuae, ſimulque Reuerendiſſimis Dominis Archiepiſcopo Pragenſi & Praeſuli Quinqueeccleſienſi reuerenter. Sanctum hoc quadrageſimae tempus velit Chriſtus concilio & eccleſiae feliciter euenire. Auguſtae 9. Februarii MDLXII.

Seruus in Chriſto

P. Caniſius.

Scripſi poſtremo de Madoburgenſi & ſaxo meo liberam ſententiam, an iſthuc allata ſit illa, neſcio.

Anguntur noſtri ſacerdotes in Bauaria & Auſtria, quod impetrare non poſſint a poenitentibus in ſacramento confeſſionis,

vt

vt ratio victus quadrageſimalis ſecundum Eccleſiae praeſcriptum obſeruetur, a pauperibus praeſertim ſtudioſis, ſeruis & ancillis, quibus parentes, patresfamilias & hoſpites non permittunt, neque offerunt cibum quadrageſimalem. Petunt igitur vehementer, vt ſaltem ouorum vſum in hac annonae ſumma difficultate ipſis permittamus. Si permittendi ſeu diſpenſandi poteſtas penes ampliſſimas D. veſtras exiſtit, cupimus admodum concedi nobis gratiam tractandi clementius noſtros germanos, ne linum fumigans extinguamus. Taceo quam foede catholici etiam ſacerdotes negligant quadrageſimalis ieiunii obſeruationem, quae vtinam a paucis rite in pretio habeatur.

Nunc demum intelligo, nihil eſſe conſtitutum Vlmae, ſed ad conuentum proximum poſt paſcha celebrandum omnia relata eſſe. Monachii conuentus alter multorum fuit & Principum & magiſtratuum, vbi conſentienter actum eſt de confirmatione foederum pro tuenda pace aduerſus quoſuis tumultus ac motus aduerſariorum. Vbi multi ſimul epiſcopi vna cum Caeſare & Bauariae Duce neſcio in quot annos, firmis quibuſdam foederibus, ſe mutuo obligauerunt. In his etiam Auguſtani. Ex nundinis plura licebit cognoſcere. Sparguntur quaedam de Heluetiis tumultuantibus ob cauſam religionis, quemadmodum de Gallis quoque. Vtinam accipiamus orationes aliquot in concilio recitatas. Ex vrbe quidem duas typis excuſas vidimus. Faxit Chriſtus, vt bene ſuccedat futura ſeſſio, quae haud dubie magnam praebebit lucem ad reliquam concilii tractationem.

Idem Caniſius,
in Chriſto ſeruus.

ANNOTATIONES.

I. Peſtilentiſſimum opus Magdeburgenſium theologorum de hiſtoria eccleſiaſtica, vti Caniſius vocat hac epiſtola, cupitque ex profeſſo refutatum, prodiit anno 1560. et ſequentibus hoc titulo: *Eccleſiaſtica hiſtoria, integram eccleſiae Chriſti ideam, ſecundum ſingulas centurias complectens, ſingulari diligentia et fide congeſta per aliquot ſtudioſos ac pios viros in vrbe Magdeburgica.* Autores

res mille modis impediti, tamen in ſumma paupertate, ac moleſtiſſimis exiliis ſuis, confecerunt centurias XIII. ne hodie quidem confutatas. Primus contra centurias ſcripſit Conradus Brunus, iurisperitus et canonicus Auguſtanus, anno 1563. mortuus Monachii. Niſi omnia me fallunt, ipſe Caniſius is eſt, qui poſt obitum autoris Dilingae anno 1565. in lucem protulit *admonitionem catholicam adverſus novam hiſtoriam eccleſiaſticam, quam Matthias Illyricus, et eius collega, Magdeburgici, per centurias nuper ediderunt.* Huic opuſculo anno 1566. Baſileae ex officina Io. Oporini Flacius oppoſuit *refutationem invectivae Bruni contra centurias hiſtoriae eccleſiaſticae.*

II. Quod optat Caniſius, vt plures in Belgicis Hiſpaniarum regis ditionibus, quas Philippicas vocat, epiſcopatus conderentur; id abunde praeſtitum eſt a pontificibus et Philippo II. etſi magnae molis opera, nec paucas remoras habitura, non illico potuerunt perfici. Certe Paulus IV. anno 1559. tres archiepiſcopatus erexit, ac cuique ſuos ſuffraganeos ſubiecit. Diploma Pauli habetur libro I. donationum Belgicarum Miraei capite 156. De regis Philippi II. in hac re ſtudio eximio lege Suffridi Petri continuationem ad res Vltraiectinas p. m. 6. in epiſcopo LXI. qui fuit Fridericus Schenck a Tautenburch.

XCIV.

Borromeus Hoſio.

Regem Poloniae duos legatos miſſurum eſſe Tridentum.

Heri, anguſtia temporis, quod nullum à negotiis publicis mihi relictum eſt, nihil ad reuerendiſſimam D. Veſtram ſcripſi ſuper facultate, quam Archiepiſcopus Pragenſis petit: Itaque cum iis literis mitto Breue, quo Sanctiſſimus Dominus N. ei facultatem facit deligendi ſibi Epiſcopum, in cuius manibus iuramentum praeſtet: quod ſanctitas ſua libentiſſime admodum conceſſit, ipſumque Archiepiſcopum paterna charitate proſequitur. Ego vero ſi qua in alia re ei gratificari potero, magni beneficii loco ponam, ſi me reuerendiſſima D. Tua de eo fecerit certiorem. Quod ad alteras eius literas attinet, in quibus ad me miſit particulam literarum Sereniſſimi Regis Poloniae, fuit

eius ſanctitati gratiſſima hæc ſignificatio iam deſignati oratoris illius: id ipſum tamen literis quoque Nuntii Apoſtolici, qui in Polonia eſt, die V. & XII. Ianuarii datis nobis ſignificatum erat; etſi is ab Epiſcopo Vlatislauienſi mentionem faciat, non de Cuiauienſi, vt Amplitudo veſtra ſcribit: Illudque præterea addit, oratorem Laicum a Regia Maieſtate deſignatum etiam eſſe D. Stanislaum Ruski, Chelmenſis Epiſcopi fratrem Germanum, quem probe noſſe debet D. V. Reuerendiſſima, cuius me gratiæ, cum nihil habeam amplius quod dicam, etiam, atque etiam ex animo commendo. Datum Romæ die XXI. Februarii M. D. LXII.

XCV.

Cardinalis Moronus Hoſio Roma Tridentum.

Falſam eſſe exprobrationem, Romae nullam proborum ac doctorum hominum rationem haberi.

Multas accepi epiſtolas Illuſtriſſimae D. Tuae, ad quas omnes vno tempore reſpondebo. Ioannem mihi Gabiam commendas: quem ego cum commendationis tuae, tum etiam ipſius hominis cauſa, quibuſcunque rebus potero, libenter iuuabo. De Franciſco item Torrenſi ad me ſcripſiſti diligentiſſime; & ſimul eorum querelas expoſuiſti, qui in deferendis ſacerdotiis vllam apud nos negant probatorum ac litteratorum hominum rationem haberi. Quam quidem expoſtulationem hoc ſaltem tempore iniquam eſſe, teſtis egomet eſſe poſſum, quippe qui optime norim, ſanctiſſimo D. N. in adminiſtrando Pontificatu nihil aeque eſſe propoſitum, atque vt idoneis hominibus beneficia, quae appellant, praeſertim vero epiſcopalia & curata deferantur. Quin ad ea quenquam vetat admitti, niſi prae dederit, ſe ad ſuam prouinciam munuſque obeundum ſtatim profecturum. Torrenſis vero noſter, ſi minus adhuc ornatu

ea re puto contigiſſe, quod in litteris ſtudiiſque ſuis abditus, non multum ſe in conſpectum hominum dedit; quae res fortaſſe in tanta multitudine eorum, qui petunt, tantiſque ſummi pontificis occupationibus hominis obliuionem induxit. Quod eo facilius adducor vt credam, quod ſimulatque ex tuis litteris cum eodem Sanctiſſimo D. N. de Torrenſi locutus ſum, ſtatim omnia prolixe pollicitus eſt, atque adeo Datario mandauit, vt cum primum licuerit, Hiſpanico ſacerdotio Torrenſis omnino honeſtetur. Quod minime dubito, quin breui futurum ſit: nam & S. Sanctitas mandatum hoc ſuum diligenter curari vult; & ipſe, me, ſi res tulerit, monitorem fore profiteor, cum ſummo amore Torrenſis egregiam doctrinam & inſignem pietatem proſequar. De electi Abbatis S. Vincentii confirmatione quod ſcribis, ſi quis eius procurator adierit ad me, nullo loco deero, quo tuum apud me teſtimonium atque autoritatem plurimum valuiſſe intelligas.

In omnibus literis Illuſtriſſimae D. Tuae videor mihi agnoſcere eximiam quandam ipſius erga me beneuolentiam; cui non vereor, quin ſciat a me ex animo reſponderi, non ſolum quia humanitatis eſt, eum diligere, a quo in amore prouocere; ſed multo etiam magis, quod tui pro ſede apoſtolica labores aſſidui praeclaraque in Chriſtianam rempublicam merita tibi me mirifice obſtringunt. Quam quo ſubleuare ac fulcire diutiſſime poſſis, Deum precor, vt Illuſtriſſimam D. T. bene valentem incolumemque tueatur. Romae. Prid. Non. Martias.

XCVI.

Caniſius Hoſio.

Promittit, ſe Germaniae epiſcopos denuo admoniturum, vt aut abeant Tridentum, aut ſuos mittant.

Accepi litteras Amplitudinis tuae, in quibus neſcio vtrum ego mirer amplius, raramne humanitatem, an ſingularem

diligentiam ac apoſtolicam pietatem. Et perlubenter quidem cognoui, quae ad inſtitutae ſynodi ſucceſſum ſpectant, nec dubito, quin hoc ſaluberrimum opus curae ſit iis, qui in Chriſti nomine congregati, de afflicta Eccleſia bene mereri volunt & poſſunt, eo nimirum duce, qui auxiliator eſt populi ſui, fuitque ſemper in tempore opportuno.

De Vlmenſi conuentu, vt ſcripſi, poſt paſcha ſciemus, quando iterum iſti conuenerint, qui tragoediam nuper excitare more ſuo moliebantur. Hic nihil noui admodum quod ſciam. Secretarius Principis Brunſwicenſis ſenioris & catholici cum his diebus me conueniſſet, de Saxonico dixit populo, eum ab hiſce nouatorum diſſenſionibus & ſectis magis ac magis indies abhorrere. Eſt interim animorum a Lutheraniſmo ad Caluiniſmum ingens propenſio. Illyricus Ratisbonam profugus venit, & accepta vulnera, cum ſit ignominioſe dimiſſus aut eiectus potius, nouis editis libellis ſanare conatur. Reuerendiſſimus D. Commendunus, qui paulo poſt iſthic aderit, ſi Dominus voluerit, eiuſmodi ſcripta quaedam hic empta proferet, & caetera, quae ad totum Germaniae ſtatum pertinent, coram explicabit. Principis Wolfgangi Palatini vxor, vt Dominus quoque Fuggerus affirmauit mihi, neſcio quo ſpiritu correpta, miſere diuexatur, & contemptis admonitoribus clamitat, ſe, maritum & huius concionatores, in quibus & Phauſerus eſt, in praeſenti periculo damnationis aeternae verſari. Caupo quidam in Franckonia, dum aurigas domi ſuae hoſpites tractat, a nigro quodam palam ingrediente compellatur (id paucis abhinc diebus accidit) nunc tempus eſſe, vt ſecum foras abeat. Ille inducias petit, hic moram omnem recuſat, quod vltra praeſtitum tempus eum expectarit. Sic miſerrimus caupo ſpectantibus omnibus in altum ſublatus & e veſtigio per feneſtram viuus abreptus, ex omnium euaſit oculis, nec eſt in hunc vſque diem repertus. Simile quiddam de Ducis Richardi Palatini ſeruo narrant, cuius brachium neſcio quis genius malus arripuit, vt vi eum abrepturus videretur. Seruus mox lapſus in aegritudinem paucis poſt diebus vitam mor-

te

te commutauit. Horrenda iſthaec vulgo videntur, quoniam in craſſos incurrunt oculos: ſed admonet nos Dominus, ni fallor, vt ex viſibilibus inuiſibilem Satanae tyrannidem colligamus, quae tot animas nunc paſſim occupat, nouaeque doctrinae fermento ac potius Sataniſmo ſic vitiat Germaniam, vt coeca & ſurda illa prorſus videatur.

Vtinam admonitiones meae ac noſtrorum efficere poſſent, vt archiepiſcopi & praeſules noſtri pro ſui muneris ratione cogitent tandem, quid Pontifici maximo, quid ſacroſanctae ſynodo, imo Chriſto Ieſu Domino ſuo & noſtro debeant. Admonui pro mea quidem exiguitate nonnunquam, & quando ita iubet dignitas tua, iterum admonendos curabo, vt ſaltem ſuos iſthuc mittant. Principem Bauariae nunc admonuerit credo R. D. Commendunus. Brunſwicenſis expectat fortaſſe, ne primus ex Ducibus iſthic ſumptus facere cogatur. Legati Electorum Saxonici & Brandenburgenſis adfuturi cito putantur. Qui ex lapidibus Abrahae filios ſuſcitat, & ex inimicis laudem perficit ſibi, ex Saulis Paulos efficiat, quaeſo, & in Eccleſiae ſuae commodum vertat conſilium Achitophel.

De Hieronymo illo non Mentelio diligenter inquiram, & ſi quid in oppugnando nomine tam gratioſo finxerit, cito mittam. Pulchrum eſt ſcilicet, authoritate praeditos viros magis quam obſcuros inſectari, vt maiorem in calumniando laudem apud aduerſarios emereantur.

Vergerii mortem nullus rumor certus affirmat, ſed ex nundinis Franckfordianis pleraque talia nunc aut incerta aut ignota intelligemus.

Polonos adoleſcentes commendaui Rectori collegii noſtri Bononienſis, ad quem idcirco litteras datas adiunxi. De Galliis meliora nuntiant, praeſertim quod regina & Nauarrae rex catholiciſmum profiteantur, nec permittere velint Synagogas nouatoribus. Proximae ſeſſionis decretum expectamus auide.

Reuerendiſſimus epiſcopus quidam Tridento ad me ſcripſit de catechiſmo conſcribendo eſſe tractatum, vnde non poſſum

non aliquid mihi & Eccleſiae polliceri. Caeſar iubet nunc meum recudi cum nouo diplomate. Non auſim petere, quod impetratu forte ſit difficile, gratum mihi tamen aut operi potius vtile futurum eſſet, ſi autoritas quaedam maior accederet, modo dignus tamen exiguus liber hac commendatione videatur. Iudicium eſto penes Illuſtriſſimam Celſitudinem tuam, quam Chriſtus diu Eccleſiae ſoſpitem ſeruet. Auguſtae Calendis Martiis MDLXII.

XCVII.

Caniſius Hoſio.

De Pauli Manutii typographia et de martyrologio Germanico, nec non de catechiſmo Caniſiano, quem a concilio cupit approbari.

Quotidianae conciones, vt verum fatear, in ſcribendo me tardiorem reddunt. Cogitamus tamen de concilio ſaepe, & oramus Dominum, quemadmodum & adiuncta docebit precatio, ſimulque confidimus, fore, vt Eccleſiae ſuae cuſtos & rector in patribus confirmet grauitatis & lenitatis apoſtolicae ſpiritum, quem ſane peculiariter in decreto ſecundae ſeſſionis videmur deprehendere & grati praedicare debemus. Tali nimirum lacte paruuli egent, hoc hamo vagantes ac pereuntes piſces rectius ineſcantur. Sunt interim boni & prudentes viri, qui vehementer optent, tum ex Tridentina ſynodo, tum ex vicina Italia nouos nec inelegantes prodire ſcriptores, qui ad tuendam ſedis apoſtolicae & Eccleſiae catholicae dignitatem ſuas operas locent: cum edi multa id genus queant magna cum exterorum vtilitate. Nam in iis legendis libris nouis, quos Eccleſiae aduerſarii non cum iudicio, ſed pro ſua libidine ſpargunt, pleroſque magna cepit ſatietas, vt dicere videantur: nauſeat anima

ma noſtra ſuper cibo iſto viliſſimo. Expetuntur, qui ſalutaris doctrinae panem commode frangere, atque paruulis ad hunc cibum capiendum auidiſſimis diſtribuere velint & poſſint. Paulus Manutius, qui Romae typographiam inſtruxit, illud polliceri videtur, vt poſt D. Polum iam editum, & breui hic recudendum, elegantes nobis graueſque ſcriptores, tum Patres etiam vetuſtos ex Romanis bibliothecis eruat. Verum haec ego liberius fortaſſe, ac praeter decorum: quaſi parum tribuam, aut diffidam ſapientiae patrum, qui, Spiritu ſancto ſuggerente, de his aliisque grauioribus facile & ſincere iſthic iudicabunt.

Mitto theſes de concilio diſputatas in ſchola Tubingenſi, quibus alias noſtri theologi oppoſuerunt ac diſputarunt in ſchola Ingolſtadienſi. Admonent nos ſectarii, quam impie ſentiant de re tanta, quorum ſcripta virulenta, quibus proſcindunt ſynodum, ex nundinis expecto, & accepta cito mittam.

Quod ad R. D. Alifanum attinet, agam libenter cauſam ipſius cum typographo Dilingenſi, cum is redierit ex mercatu Franckfordienſi. Queritur interim typographus, pro quatuor libris promiſſis, non duos integros ſibi contigiſſe, & autorem opere imperfecto relicto, cum iam ſecundo libro prelum occuparetur, hinc diſceſſiſſe, & neſcio quam membranam in Principum gratiam non paruo emi iuſſiſſe, quam poſtea non exoluerit. Caeſar ex libris eius Nicephorum graecum ſuſtulit, alii quoſdam ſibi vellent reſtitui. Debetur praeterea ſcholae Ingolſtadienſi aliquid, & rogant, vt fidem datam ille praeſtet. Ego libenter non dicam amico veteri, ſed epiſcopo Catholico, ſi poſſum, gratificabor.

Quoniam, vt initio dixi, quotidie mihi concionandum eſt, non vacat ſane multis nunc agere. Praeclare interim ſe habet Auguſtana meſſis, vbi (Deo ſit omnis gloria) piorum & neophytorum numerum auget Chriſtus, Dominus meſſis. Ignoſcat autem mihi Celſitudo tua, quod in lingua Germanica potius, quam latina me ſtudeo Germanis accommodare. Idcirco in hoc martyrologio, quod breui mittam, ſi modo mittere licebit, libentius labo-

laboraui. Faxit Christus, vt eum in sanctis laudare possimus. Fortassis conferet aliquid hic conatus ad veterem pietatem aliqua ex parte nostris hominibus commendandam. Alii maiora & meliora possunt dare, sed vtinam vellent. Sanctum & felix pascha precor amplitudini tuae a Christo Domino nostro pro nobis mortuo ac resuscitato. Augustae 16. Martii MDLXII.

Seruus in Christo

P. Canisius.

Accepi modo, quae Spiram, & ad Principem Bauarum breui mittentur. De catechismo nihil plane sum solicitus, neque dignum eum duco, qui caeteris praeferatur. Tantum optabam, veluti catholicum approbari. Meliorem sane conscribi vellem, qui publicam concilii autoritatem in omnibus Ecclesiis mereretur. Orabimus Dominum libenter, vt amplitudinis tuae valetudinem incolumem reddat. Doleo theses Ingolstadienses non rectius excusas esse.

ANNOTATIO.

Nescio, de quo martyrologio loquatur Canisius. Varia olim Germanis in vsu fuerunt, topica, vt ita dicam, id est, singulis fere ecclesiis accommodata. Matthias Fridericus Beckius Augustae Vindelicorum anno 1687. martyrologium ecclesiae Germanicae pervetustum, quod per 700. annos delituerat, edidit, ac in librum commentarium, illi additum, plurima congessit sacrarum antiquitatum studiosis profutura.

XCVIII.

Puteus Hosio.

Gratulatur Hosio reconciliatam regis Poloniarum voluntatem.

Si vmquam veriſſimum esse credidi, quod scriptum est, vt diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: nunc maxime

xime credere debeo, cum in tua cauſa, id eſt, in tua fortuna & commodis tuendis aduerſus conatus aemulorum tuorum tam fortiter pro te ſtare Sereniſſimi Regis animum ex ipſius ad te litteris ſcriptis cognoui: cui autem acceptam referam potius tantam erga te regis voluntatem, quam amantiſſimo omnium Patri Deo, & benigniſſimo Soſpitatori noſtro Ieſu Chriſto? Quare ſcito, me primum ingentes (vt debui) gratias egiſſe Deo, cui dignitatem tuam & commoda magnae curae eſſe ſemper intellexi: deinde ita eſſe tua cauſa gauiſum, vt ſi in eo omnis & dignitatis & ſalutis meae ſpes poſita eſſet: poſtremo ita tibi hanc rem ex animo gratulari, vt & virtus tua ſingularis ac probitas & mutua inter nos beneuolentia pro ſuo iure poſtulat. Spero autem (quod ſaepe alias ad te ſcripſiſſe memini) in augendis fortunis tuis eum fore regis animum, qualem egregia virtus tua iam pridem ab eo cognita plane atque perſpecta merito flagitare videtur. Id autem vt certius ſperem, facit cum Dei ſumma atque inaeſtimabilis bonitas, tum eximia tua erga illum pietas, quae tibi maiorem indies ſpem confirmare debet, fore, vt diuino praeſidio aemulorum atque obtrectantium conatus honeſtiſſime vincas. Franciſci Lombardi, viri probi atque eruditi cauſa quod magnopere laboras: facis tu quidem & humane & ſatis amanter. Sed ego tamen in ea re tibi praeter optimam voluntatem praeſtare nihil poſſum: legatorum proprium id munus eſt: mihi autem plures iam menſes neque in ſenatum publice, neque priuatim ad pontificem ire propter ſummam corporis totius, ſed inprimis crurum imbecillitatem licuit. Quare homini aliunde praeſidium comparabis: & me, quod ſemper pro tua benignitate liberaliter prolixeque feciſti, amare perge. Vale Roma XII. Cal. Aprilis. MDLXII.

XCIX.

Caniſius Hoſio.

Queritur de epiſcoporum Germanorum, tardius ad con um confluentium, procraſtinatione.

Pergratum nobis fuit audire, multorum Principum aut iſthic adeſſe, aut breui venturos eſſe legatos. Mittet l ſuos etiam Princeps Bauariae, per quos martyrologium con dius mittam, & ſi quid aliud ex nundinis fuerit allatum, ſane expectamus. Ad Secretarium Principis Brunſwicenſis ſi litteras. Archiepiſcopus Moguntinus & epiſcopus Herl lenſis miſſuri quoque dicuntur. Pudet, tamdiu cunctari Pr les germanos: ſed mundi timor ſaepe mouet magis, quam ſti amor: meliora tamen ſperamus. Necdum gratias egi acceptis coronatis. Agnoſco, & antehac non ſemel agnoui gularem erga me beneuolentiam atque munificentiam amp dinis tuae.

Caeterum quod ad nobilis Poloni adoleſcentis cauſam net, de quo ſcribit Rector noſter Viennenſis, eſt mihi qui ingratum admodum, nos ob eiuſmodi caſum in multorum ſ offenſionem incidere, vt ob vnum aliquem totus ordo male dire cogatur. Quo magis oramus pietatem tuam, vt pro ſu dicio cauſam moderetur, ſcriptiſque Romam litteris hoc ma leniat, ſi forte auunculus pueri a nobis factus eſt alienus. neque puerum noui, neque antehac de facto ipſo pronuntia audiui, niſi quod D. Cromerus aegre tuliſſe viſus eſt, quae Victoria pueri loco reſpondit. Verum bona mihi ſpes eſt, vt amplitudinis tuae opera, quicquid aduerſus nos concep eſt amarulentiae, ſubmoueatur. Coepi febricula corripi, ſe ſe ob quotidianam illam in praedicando Dei verbo conte nem. Vnde rarius etiam ſcribere licuit. Nunc mitto Schm lini apologiam aduerſus Staphylum. Agit minus furioſe q

ar

antèa, vt Staphyli ſcriptum timere videatur. Ad praecipua quaeque non reſpondet, ſed, vt ſolent iſti, immiſcet parerga & calumniatur. Eſt autem ſub prelo ingens Staphyli opus: quem ego nuper Illuſtriſſimo Cardinali noſtro ita commendaui, vt Romae aliquando laborum eius, quos impigre ſcribendo exantlat, velint meminiſſe. Dominus Ieſus felix & ſanctum nobis paſcha concedat. Auguſtae. Sabbato ſancto 1562.

C.

Caniſius Hoſio.

De libris aduerſus Hoſium editis: de concilio, quod nondum videatur cauſam ſerio aggredi.

Nunc primum adferuntur noui libri Franckfordia. In his nomen amplitudinis tuae a duobus ſectariis Mencelio & Spangebergio ita celebratur, vt operae pretium non videatur, impiis calumniatoribus reſpondere. Cordati lectores, qui aliquo ſunt iudicio praediti, non poſſunt non affici nauſea, cum leuiſſimos homines ita debacchantes vident. Voluit & Zacharias Praetorius libidinem in maledicendo ſuam explere. Ad inuidiam & odium rapiunt, quaecunque poſſunt, vt catholicae fidei propugnatores obſcurent atque extenuent. Stanislaum Repagelanum, qui ſe Theologum facit, hactenus non noui. Verum ſcurra quiuis facile poſſit ex opere quouis excerpere, ſi quae parum grata videntur. Exercent ſectarii noſtram fidem, charitatem atque patientiam, cum ita pergunt inſigniter eſſe impudentes, quos omnes vincit, ni fallor, Spangebergius, qui foedam adiecit picturam foedo & foetido libro: nec ſatis ei fuit vnum petere, ſed ſeptem voluit conficere, ſi poſſet, aduerſarios vno eodemque gladio. Verum quid faciamus hic aliud, niſi vt gratias agamus Deo, pro cuius nomine digni habemur contumeliam pati, praeſertim

ſertim a talibus, a quibus vituperari laudari eſt. Sinamus illos, quia coeci ſunt & duces coecorum. Veſpertiliones tantum in Hoſio ſplendorem ſpectare & ferre non poſſunt. Quid autem nobis & piis cum ranis iſtis Aegyptiacis coaxantibus? Peribit memoria eorum cum ſonitu, ſuoque malo ſentient, in quem transfixerunt. Excitant interim quoſdam dormientes catholicos aduerſarii obſcura vigilantia ſua, cum nihil intentatum relinquant, quo perſonis praeſtantibus & cauſis eccleſiaſticis praeiudicium adferant ac eleuent autoritatem. Ex Gallia ſcripſerunt nonnulla quoque Caluinaſtri. Editus & libellus contra imagines authore Carolo Magno; ſed falſus hic plane titulus, vt colligere licet ex Iona epiſcopo Aurelianenſi. Pro ſacrificio Miſſae ſcripſit volumen Anthonius Monchiacenus, Doctor Sorbonicus, vt nemo antehac alius, copioſe. Madeburgenſes theologi quintam centuriam addiderunt prioribus tomis hiſtoriae eccleſiaſticae. Non mittam huiuſmodi, niſi monitus a Celſitudine tua. Nunc ſat habui litteris adiungere Hieronymum Mencelium, reliqua iſthuc perferet D. noſter Cauillonius propediem abiturus, quia legatus mittitur a Principe Bauariae. Scripſerunt digladiantes inter ſe quoque aduerſarii, vt ex litteris Colini intelligo. Is rogat amplitudinem tuam, vt liber de oppreſſo Dei verbo excudatur Coloniae. Bremenſes Caluinianam doctrinam ſimul cum Auguſtana Confeſſione dicuntur amplexi, quod conſul Caluinianus excitata ſeditione coëgerit ſenatum, vt liberum cuique faceret, quam vellet ex vtraque ſectam profiteri. Probabile eſt breui fore, vt ſicut in Germania duae religionis ſpecies admiſſae, ac probatae fuerunt publice, ſic etiam Caluini religio recipiatur. Dominus bene vertat ſancti ſynodi conatus, quae nondum ſerio cauſam videtur aggredi, fortaſſe quod quidam deſiderentur abſentes. Ignoſcat illis Dominus, qui publicum Eccleſiae commodum tarditate & incuria, ne dicam perfidia ſua, remorantur. Nos pro concilii ſucceſſu Deum iratum orare pergemus, qui nos immenſa gratia ſua dignos faciat, & ex petris filios Abrahae conuertat. Auguſtae XI. Aprilis MDLXII.

Ad-

Adiunxi ſcriptum P. Zittardi, quo regem Bohemiae commendat, & edictum Principis Bauariae, quod catholicum illum eſſe declarat.

CI.

Cardinalis Auguſtanus Hoſio Roma Tridentum.

Gratis ſe pallium procuraturum archiepiſcopo Pragenſi.

Cum mihi commendat Illuſtriſſima Dominatio tua Reuerendiſſimi Pragenſium Archiepiſcopi, Caeſaris Legati rem, & hominem, quem Romam ea de re miſit, ſe ipſam, id eſt me mihi commendat; Neque enim mea mihi ſunt, quam tua chariora. Quem Archiepiſcopum, quia tuum eſſe intelligo, & ex eo maxime meum, quem tamen iam antea propter ſingularem eius virtutem, ac dignitatem, in meque beneuolentiam faciebam plurimi, tuebor & iuuabo, quantum potero. Ergo pallium vt detur Archiepiſcopo quam celerrime, quam minimo, id eſt gratis, enixiſſime contendam. Tot enim, ac tantae ſunt hac vna mercede ineundae gratiae, Caeſaris, Amplitudinis tuae, viri optimi, & ornatiſſimi Archiepiſcopi, vt me omnem curam & operam meam ad eam rem conferre oporteat, ſi is eſſe volo, qui debeo: Non fallam expectationem veſtram; nec deero officio. Caetera, quae a Sanctiſſimi Domini noſtri liberalitate praeſtari poſſunt, ſpero, praeſto futura, praeſertim cum intercedat ſtudium Caeſareae Maieſtatis, ac deprecatio tua; quibus nullum grauius pondus poſſet intercedere. Deus Amplitudinem tuam Eccleſiae ſuae diutiſſime ſeruet incolumem. Romae XIIII. Calen. Maii MD.LXII.

CII.

Puteus Hoſio.

Per invaletudinem ſe non poſſe accurrere Tridenti

Quaternas abs te hoc menſe litteras accepi, ad quas breuiter reſpondebo. Nam quod mihi multorum commendaſti, praeſertimque Nicolai Cromeri, * Pragenſis archiepiſcopi negotium procuraturus aduenit tibi perſuadeas, quicquid conſilii poſſum atque opis intra ſticos parietes afferre, id omne me libentiſſime tua cau bus eſſe pollicitum, optimaque fide ſemper eſſe praeſt In publicum me iampridem ne prodeam, diuturna valetu ſummaque corpuſculi totius imbecillitas prohibet: coelu periculo mutare poſſem, libenter conſilium tuum, amc me plenum, ſequerer: ſed ab eo me multorum medicor ſenſus adhuc inuitum retrahit. Quare in difficili ad e dum nodo, atque in re plena diſcriminis, quid mihi co piundum ſit, nondum plane ſtatuere poſſum. Vrban lum, in quo conſenui, accuſare certe non debeo: longu iter ne cogitem, ſumma corporis infirmitas facit. Sed l taſſe incommoda omnia ſalubri aliqua ratione pro ſua Deus explicabit, in quo ſalutis meae ſpem omnem c De tuis rebus (vt video) meliore animo eſſe debeo: neq in te culpam vllam iure coniici poſſe intelligo eorum, ab inuidis & rerum nouarum cupidis impudenter acce runtur. Secretarii regii litteras cum hiſce ad te referei raui: quem ego virum tua cauſa magnopere diligo, atq tibi non mediocre dignitatis tuae tuendae praeſidium r eſſe iudico. Vale, & me ama, vt ſoles. Roma VII. Cal MDLXII.

* *Supra p. 15.*

CIII.

Caniſius Hoſio.

Fieri non poſſe, vt ſe Tridentum conferat, quod deſiderauerat Hoſius.

Veni his diebus Oenipontum, vt noui collegii res apparentur: venerunt & ex vrbe noſtri, amplitudinis tuae humanitatem maxime praedicantes. Verum ſatis ego iamdudum perſpectum habeo, nihil a Celſitudine tua praetermitti, quod ad iuuandos ornandoſque noſtros pertinere videatur. Quare ſummas ſummo Deo gratias debemus & agimus, qui talem tantumque patronum nobis fauentem ac beneficum ſeruat. Agnoſco & beneuolentiam erga me ſingularem, quod meum aduentum expectet dignitas tua, cui ego vtinam in omni officiorum genere gratum aliquid efficere poſſim. Cur autem hoc tempore non accedam, multae & graues cauſae prohibent. Primum quod hunc qualemcunque excurſum ad Oenipontanum collegium noſtrum aegerrime potuerim ab Auguſtanis meis impetrare, quibus & promittendum fuit, me non deſerturum cathedram ad feſtos dies Pentecoſtes & per octo conſequentes ferias, quae de ſanctiſſimo Chriſti corpore non ſine quotidiana concione Auguſtae ſolenniter celebrantur. Deſiderabam ſane, ſucceſſorem in hoc munere mihi contingere, qui ſuppleret vices abſentis: verum diu quaerenti nullus ſe obtulit. Omitto, quibus ego curis modo premar, dum collegiis noſtris proſpicere cogor, vt citra illorum graue detrimentum haud facile poſſim abeſſe. Tum nouit ſapientia tua, parum a me expectari poſſe & accipi, quod alii & doctiores & rerum Germanicarum peritiores non ſuggerant atque perſcribant. Veniet autem iſthuc non multo poſt Praepoſitus noſter generalis, veniet Doctor Alphonſus Salmeron, quod vtrumque iubeat Pontifex Max. concilio intereſſe. Nec dubito, quin ambo facturi ſint ſatis & ſuo muneri & bonorum expectationi.

Quare

Quare maiorem in modum oro & obſecro Celſ. tuam, vt bonam in partem accipiat hanc meam excuſationem, nihilque putet hic a me ſpectari aliud, quam quod ſtudeam diuini nominis gloriae, & exiſtimem plurium ſaluti id profuturum, ſi feſtum diem Pentecoſtes Auguſtae potius quam Tridenti celebrauero Chriſto annuente. Aliud eſſe puto, quod per Illuſtriſſimum Cardinalem Auguſtanum licet; aliud quod expedit in praeſenti cauſa.

Mitto Saxonicum prodigium, quod minime vanum eſſe fatentur aduerſarii. Notus eſt libellus, quem adiunxi, dignus Lutherana ſchola, quae ſacra ridere docet, atque optima quaeque calumniari ſolet. Dominus fortunet ſeſſionem proximam & Illuſtriſſimam Celſ. tuam diu ſoſpitem ſeruet Eccleſiae. Oeniponti 4. Maii 1562.

CIV.

Cardinalis Borromeus Hoſio Roma Tridentum.

Commendat ei valetudinis curam, tuitionemque autoritatis ſedis Romanae.

Etſi incommoda D. V. Reuerendiſſimae valetudo minime periculoſa fuit: tamen Sanctiſſimus D. N. noſque omnes, qui illi omnia proſpera & felicia cupimus, ſumma moleſtia affecti fuimus; quae quidem moleſtia noſtra eo maior fuit, quod iſtum morbum publicae etiam cauſae magnum afferre incommodum intelligebamus: Nam ſi vnquam fuit tempus vllum, quo Sanctiſſimus D. N. eius virtutem cognitam haberet, multumque in ea confideret, equidem ei confirmo hoc ipſum eſſe illud tempus, quod maxime eius ſanctitatem ſollicitam habet: Quare eam vehementer hortatur, vt valetudini ſuae diligenter ſeruiat, eique benedictionem ſingularibus verbis benigne impertit.

Quae

Quae D. V. Reuerendiſſima cum oratore Lanſacho & eius collega collocuta eſt, ea Sanctiſſimus D. N. intellexit libenti animo, cupitque Reuerendiſſimam D. Veſtram Dei cauſam, & huius ſanctae ſedis authoritatem toto animo, vt facit, complecti. Ego quicquid opera mea, & ſtudio valeo, D. V. Reuerendiſſimae ex animo defero, & ei incolumitatem & felicitatem precor. Roma VI. Iunii 1562.

CV.

Cromerus Hoſio Praga Tridentum.

Tridenti omnibus omnia ſuſpecta eſſe: Lutheranos Brebmenſes a Calvinianis in exilium pulſos. Tota epiſtola plena eſt licentioſarum lamentationum.

Non immerito ſuſpecti aliis eſſe ſolent ſuſpicaces. Sed ego tibi ignoſco iſtic viuenti, vbi omnibus ſuſpecta ſunt omnia, nec eſt credentium cor vnum & anima vna, ſed variis linguis loquuntur apoſtoli, ita vt breui illud ſecuturum eſſe videatur: ite in orbem vniuerſum. Vereor equidem, ne inauſpicato & malo omine Chimaera Orechouii * iſtuc miſſa ſit: quam tu cur magnopere probes, non intelligo: niſi quod videtur is noſter eſſe. Vtinam non ſit ſuus. Ego aequiori nunc animo ſum, quam dudum ante illas vacationes. Confido enim, Deum melius aliquid pro me prouidere. Fortaſſe vult is, me quoque exire de terra & cognatione mea.

Patrono meo debitum equidem honorem habeo: ſed quanto magis cupitis adorari, tanto minus id ego facio, de Amane & Mardocheo mecum reputans. Fratrum epiſtola eſt ea quidem aculeata: non virulenta tamen, vt equidem iudico, aut ſi eſt, modice. Tu vide, vt longius abſis ab idoli ſuſpicione: firmior infirmorum imbecillitatem ſuſtine. De reſidentia, ego ſolus peregrinus

* *Vide infra ep. 156.*

regrinus ſum in Jeruſalem. Itaque nihil ſcribo. Numburgen ſis epiſcopi epiſtolam ante quartum diem ad me allatam tibi mit to. Scribit is mihi, in vicinia ſua armorum non ſtrepitum qui dem adhuc, ſed apparatum exaudiri, neque conſtare, quid e: ſibi velint, quoue ſpectent. Ad Bremam quidem concurrere mi lites, imo non exiguae copiae iam confluxiſſe dicuntur ſine cer to duce. Comes Aldemburgenſis, qui idem eſt Canonicus Co lonienſis, nec ſcio, an & Bremenſis, nominatur, quaſi eius au xilium Lutherani exules contra ſeditioſos ſacramentarios implo rarint. Vale. Praga 6. Id. Junii 1562.

CVI.

Cardinalis Auguſtanus Hoſio Roma Tridentum.

Mitia remedia Tridenti tentanda prius, quam veniatu ad fortia et acerba.

Perturbatum eſſe te iſta perturbatione concilii minime miro virum communis omnium ſalutis amantiorem, quam tua quae me etiam res vehementer commouet. Sed diſſolutio aut prolationis concilii nullus hic timor eſt, ne rumor quide contra potius perſpecta voluntate Sanctiſſimi D. N. magna eſt minum opinio, bene rem iſtic ituram, & eum futurum exi Tridentinarum actionum, quem optamus. Non deeritis rei prudentiſſimi patres, qui concilio praeſidetis; omnes pii c lia veſtra precibus adiuuabunt, aderit idem, qui ſemper a Deus. Probatur mihi & Reuerendiſſimae D. T. & Caniſii docendi prius, quam execrandi, neque id impedire deb quot dierum mora. Habet enim res aequitatem, & vtili proderit ad reconciliandos animos multorum, non eſt renda virgae auſteritas, ſed ſpiritus benignitatis & manſ nis, cum erudiueritis vt Patres, inſtitueritis vt magiſtri,

nique ad illud accedendum eſt, quod neceſſitatem magis quam voluntatem habere videatur. In hac opinor eſſe ſententia Sanctiſſimum D. N. Agam cum eius ſanctitate, item cum Cardinale Borromeo. Contuli cum ipſo Borromeo Cardinale litteras Illuſtriſſimi Ducis Brunſuicenſis: qui valde delectatus eſt ſignificatione illa expreſſa pietatis ac religionis illius optimi principis, eiuſdemque in Reuerendiſſimam D. T. declaratione ſtudii ac voluntatis. Remitto Illuſtriſſimae D. T. eas litteras: quam valentem & incolumem Deus Eccleſiae ſuae ſeruet. Romae pridie Idus Julii MDLXII.

CVII.

Cardinalis Borromeus Hoſio.

Falſum rumorem fuiſſe de concilii ſuſpenſione.

Ex litteris, quas ad Illuſtriſſimas DD. VV. communiter dedi, & ex eo, quod Archiepiſcopus Lancianenſis eiſdem expoſuit, facile intelligere poterit Reuerendiſſima & Illuſtriſſima D. veſtra, eos rumores, qui iſtic excitati ſunt, omnino contra S. D. N. ſententiam ac voluntatem fuiſſe commotos: neque eius Sanctitatem quicquam praetermiſiſſe, vt concitatos aliquot Patrum animos ſedaret; tantumque abeſſe, vt quicquam cogitet de ſuſpenſione aut diſſolutione ſacri concilii, vt ſummopere cupiat, iſtic omnia maxime & vehementiſſime agi, quo concilium ad optatum & ſalutarem exitum perducatur. Placet autem eius Sanctitati, conſtitutum eſſe, aliquid doctrinae cauſa ante canones ſcribi, ex more atque inſtituto ſuperiorum conciliorum. Quibus omnibus in rebus mirum in modum prudentiam & pietatem D. V. R. commendat, hortaturque eam, vt ſaepe & prolixius ſcribat de rebus omnibus, quas fieri, aut non fieri debere iudicabit: id quod prudenter fecit his litteris, quas XXIX. praeteriti

teriti menſis dedit, ad quas cum nihil aliud habeam quod r ſpondeam, D. V. R. me etiam atque etiam ex animo comme do, eique felicitatem precor. Datum Romae die XV. Iu M. D. LXII.

CVIII.

Cardinalis Heinricus Hoſio Olyſſipone Tridentur

Dolet de eccleſiae calamitatibus, quas in concilio ſanatum iri confidit.

Non credo eſſe mihi maiorem ſenſum & acerbitatem ex m lis, quibus Eccleſia Chriſti noſtris peccatis opprimitu quam R. D. tuae. Confido igitur fore, vt in illis pro ſua par depellendis eam diligentiam adhibeat, quae ab egregia illius vi tute ſummoque religionis ſtudio poſtulanda eſt. Quo enim mo ſus doloris eſt acrior, eo vulneris inflicti remedium maiore ſt dio flagitamus. Cum igitur minime dubitem, quin magni dolorem capiat ex tantis Eccleſiae perturbationibus, magna c in ſpe ſum, fore, vt omnia illius ſtudia in iſto ſacroſancto c cilio conſumantur, ampliſſimumque fructum virtutis & ſap tiae ſuae, in tam praeclari muneris functione percipiat. Ad tum legati Regis domini mei fuiſſe d. Tuae & noſtris co viris ampliſſimis, & vniuerſae ſanctae ſynodo gratiſſimum de laetor. Vtinam ipſe ſimul adeſſe potuiſſem, vt meum um & ſolicitudinem, in qua Eccleſiae cauſa verſor, praeſ oratione & omni officio declararem. Sed quando id fie poteſt, votis atque precibus a Deo contendam, vt ſpiritu croſanctum iſtud concilium dirigat, eique vires inuictas tur, quibus non ſolum haereſes omnes exterminet, veru morum intemperantiam, & cupiditatis immanitatem, i errorum omnium ſeminarium, extirpet. Quod auten

tam humaniter Franciſcum Forerium complexa ſit, magno me affecit beneficio, ſperoque futurum, vt nunquam ſe illius opera vſam fuiſſe poeniteat. Feliciſſime valeat D. T. R. Datum Olyſſipp. XV. MDLXII.

CIX.

Caniſius Hoſio.

Ex aula Caeſaris ea ſcribi, quae autoritatem concilii labefactare videantur: Excubandum vigilandumque eſſe pro autoritate pontificis et ſynodi.

Quod etiamnum haeream Oeniponti, eadem, quae ante fuit, cauſa eſt, cum ex maiorum autoritate diſcedere mihi non liceat, niſi expectato primum aduentu Patris ac Praepoſiti noſtri. Scribit autem ad me D. Zaſius, illum haud procul ab Auguſta conſpectum eſſe, vt idcirco diu quidem a nobis abfuturus non videatur. Quid autem de me ille ſtatuet expecto, vt iſtuc de meo diſceſſu mox queam perſcribere. Miſit autem D. Zaſius nonnulla de rebus Saxonicis, quemadmodum videbit Celſitudo tua, ſed parum de religionis negotio, niſi quod aduerſus Caluinianos Lutherani conſpirare videntur, qui Babylonicam confuſionem vellent quidem, ſed aegre poſſunt in ſua ſecta profligare atque excludere. Cupit quoque Zaſius a me commendari Celſit. tuae, ſeque excuſatum haberi poſtulat, quod iamdiu, neſcio quibus negotiis implicitus, nihil iſthuc miſerit litterarum. Petit praeterea vehementer, vt concilii ſucceſſum litteris ad ipſum datis explicem. Ego vero in hunc diem vſque nihil accipere aut videre potui, quod in proxima ſeſſione promulgatum fuit, expectoque admodum, vt quid Patres de communione ſacra decreuerint & ipſe videre & cum amicis communicare poſſim. Varii de ſynodo rumores: ſed me quidem nonnihil perturbat,

ex aula Caeſaris & per eius Secretarium huc ea perſcribi, & Senatoribus proponi, quae ſynodi autoritatem labefactare, & aduerſariorum peruicaciam confirmare videntur. Vidi aliud quoque ſcriptum ex eadem aula profectum, vbi pontifex & pontificii magna licentia perſtringuntur, veluti ſuam concilio libertatem adimerent. Iam vero cum Senatores iſti non ſint mundi omnes, cumque per aliorum etiam principum aulas eiuſmodi ſcripta ſpargantur, vt equidem non dubito, ſatis intelligit Celſitudo tua, quid quantumque periculi & praeiudicii hinc redeat ad Eccleſiam & cauſam communem religionis. Mihi ſane hic aduigilandum videtur, vt ſatanae artibus & fraudibus eamus obuiam: neque ſinamus, Chriſti & Eccleſiae negotio, quantum in nobis eſt, priuatis quorundam affectibus falſiſque teſtimoniis praeiudicari. Conducet fortaſſe nonnihil, ſi Caeſaris legati ex concilio prudenter ſcribant, vt eos quidem facere confido: ſi praeterea Pontificis maximi legatus, qui Caeſari adhaeret modo, tempeſtiue moneatur, vt ſcribae ac ſecretarii Caeſaris minus ſibi permittant in rebus nouis commemorandis, praeſertim vbi Pontificis & Patrum in concilio autoritas labefactatur. Dabit mihi veniam Celſitudo tua, quod curioſius de re aliena videar agere, & adeo libere perſcribam de conſiliis meis in re fortaſſe non adeo neceſſaria. Sed hoc ſtudium libenter tribuo Eccleſiae Dei, quam a multis oppugnari & a paucis promoueri atque defendi non poſſum equidem non dolere. De Caeſare mihi perſuadeo, quod inique ferret, ſi audiret vel legeret tam leuiter atque contemtim de concilio iudicari. Sed aliorum os ex abundantia cordis loquitur: bene loqui ac teſtari non poſſunt de patribus filii deſertores, qui modis omnibus pro calice pugnant. Adiunxi non omnia, ſed partem ſcripti, quod huc allatum eſſe dicebam, vt rectius de re tota iudicet Amplitudo tua, cui me quidem reuerenter commendo. Dominus Ieſus concilium hoc pro ſua bonitate conſeruet ac tueatur ab inſidiis & artibus malis omnium, qui magis, quae ſua ſunt, quam quae Chriſti, ſpectant & amant. Oeniponti pridie Kalendar. Auguſti MDLXII.

CX.

CX.

Auguſtanus Hoſio.

Negat, ſe Romae in conſilium adhiberi rerum Tridentinarum: omnia ſibi occultari, queritur.

Ex litteris R. D. tuae video & controuerſiarum & decretorum maximum eſſe diſcrimen, neque a tua ratione abhorret ſententia mea, quam & piam & veriſſimam credo. Velim tantum rem adiuuare poſſe, quantum cupio; me enim haberes proximum; ſed egregiae voluntati facultas deeſt: nam in conſilium iſtarum rerum non adhibeor; & quidquid ipſe ſcio Tridentinarum actionum, iſtinc ſcio, non aliunde. Nolim me dare & inſinuare in ſermonem, vnde arceor aliorum diligentia. Sed tamen nullam occaſionem praetermittam proferendae ſententiae, vt vel res declaretur primo quoque tempore, vel actio differatur, dum illuſtrari poſſit. Nihil enim tanti eſt, quo non extet ratio officii mei. Nondum potui arbitratu meo colloqui cum Cardinale Borromeo: a quo aliquid omnino cognoſcam. Interea veſtrae Principum Patrum ſingulari ſapientiae tantum confido, vt nihil latum iri ſperem, quod aut in offenſionem ſanorum cadere poſſit, aut ceteris anſam dare magis a nobis abhorrendi. Sanctiſſimum quidem Dominum noſtrum mihi polliceor acturum omnia ex ſua & ſanctae ſedis dignitate, & ita habiturum rationem membrorum, vt ei caput antiquiſſimum ſit futurum. Deus Amplitudinem tuam ſeruet incolumem. Romae Calend. Auguſti MDLXII.

CXI.

Caniſius Hoſio.

Famam ferre, decretum proxime in concilio promulgatum reformari: miſſurum ſe abuſus miſſarum.

Cum hactenus Oeniponti verſer, nec ignota quidem cauſa eſt, minus ad ſcribendum ſe obtulit mihi, quam Auguſtae fieri

fieri ſolet. Malim enim tacere, quam occupatiſſimum Praeſulem otioſe interpellare. Ac proxime quidem de D. Zaſio ſcripſi, & quid ad me ille miſerit. Nunc audio reformari decretum, quod proxime promulgatum fuit, fortaſſe quod argumentum illud Patres velint explicatius reddere, pro huius quidem aetatis ratione, cuius morbis periti medici prudenter ſe norunt accommodare. Opto vehementer ad me mitti, quod ſancta ſynodus hac de re conſtituerit. Quod autem a me poſtulat Amplitudo tua, vt abuſus Miſſae annotatos mittam, etſi difficile hoc mihi ſit praeſtitu, & antehac quidem non ita neceſſarium exiſtimauerim, tamen obſequar tali patrono, cui debeo longe maiora. Et quoniam Sereniſſimi regis Poloniae apud Neapolitanos orator nondum intelligit, quod de illius nepote reſtituendo conſtitueramus, curabo ſane, vt re ipſa ſentiat, nos fidem non fefelliſſe. De rebus concilii nihil fere ad me ſcribitur: Dauos compeſcat Dominus, & magno zelo confirmet illorum animos, qui cum Celſitudine tua ex animo bene volunt Eccleſiae Dei. Oeniponti Kalend. Auguſti anno MDLXII.

CXII.

Caniſius Hoſio.

Mittit abuſus miſſae.

De abuſibus Miſſae ſcripſi aliquid, ſed vt parum feciſſe mihi videar in hoc amplo argumento, quod voluit tamen Celſitudo tua a me quoque tractari. Quale quale illud ſcriptum eſt, boni quaeſo conſulatur. Doctiſſimi Theologi, quorum ingens eſt iſthic conuentus, meliora conſcribent procul dubio, ſi admoneantur. Ego defugere non volui munus, quod ſummus Patronus iniunxit imbecillo. Breui Auguſtam rediturus videor. Nam cum eſſet Auguſtae Praepoſitus noſter, hoc impetratum audio,

vt

vt citò cathedrae reſtituerer. Aderit ille hoc locò, ſi Dominus faueat, intra quadriduum, Tridentum veniet, ni fallor, ante 13. diem Auguſti. Res multas & praeclaras in itinere ab illo eſſe confectas breui cognoſcemus. Reuerenter me commendo cum Illuſtriſſimis Cardinalibus omnibus, tum Amplitudini tuae, vtpote Patrono de me optime merito. Dominus in ſuam gloriam noſtros vertat conatus, & S. ſynodo ſucceſſum optatum tribuat. Oeniponti 3. Aug. 1562.

CXIII.

Cardinalis Auguſtanus Hoſio.

Diſſuadet calicis conceſſionem.

Maximas ago gratias amplitudini tuae, quae me tam amanter ac diligenter de Tridentinis actionibus certiorem facit. Et quidem in ſingularum rerum & declaratione & ſignificatione agnoſco ſummam prudentiam & pietatem tuam. Quo magis confido, fore, vt reliqua vere & ſalutaliter decernantur. De quo ſententiam meam exquirit Illuſtriſſima D. T. etſi nec auſim nec debeam quidquam aut ſentire aut loqui, niſi ex ſanctiſſimis concilii decretis, quas leges ſtatuo omnis rationis & ſententiae meae: tamen quoniam tu, Pater ampliſſime, opinionem meam de ea re ſtudes elicere, non poſſum Amplitudinem tuam, quam vnam omnium facio plurimi, celare, quid exiſtimem. Ego ſi ſperarem, conceſſam eam rem prouinciis fore ſalutarem, certe multorum ſalutis ſpei aliquid remittendum cenſerem. Sed vt id futurum ſit, non equidem adducor, vt credam, quod cum ita intelligam, ne mihi quidem perſuadere poſſum, illud permittendum eſſe, quod concilii autoritate ſublatum video. Verum tamen ſi quidquam fuerit in concilio conſtitutum contra rationem hanc meam, ſtatim commutata ſententia mea verum & ſo-

lidum ſequar ſacri concilii iudicium. Doctrina, pietas & ſapientia tua vno hic omnium ore celebratur, quem Deus valentem & incolumem conſeruet. Romae ſexto Idus Auguſti MDLXII.

CXIV.

Cardinalis Tridentinus Hoſio.

Dolet, a triginta patribus diſceptatum in concilio eſſe, an Chriſtus ipſum ſe obtulerit in coena?

Ex litteris Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae D. V. quae mihi nuper redditae ſunt, quantopere me ipſa diligat, quantoque ſtudio in Chriſtianae reipublicae dignitatem incumbat, ſumma cum voluptate intellexi. Quibus equidem de rebus, vt nunquam dubitaui, ita me ſemper gratum & memorem polliceor fore, Deumque Opt. Max. digna illi praemia relaturum, non modo ſperare, verum & affirmare audeo, De rebus ad ſanctam ſynodum pertinentibus quod me R. D. V. in ſummis occupationibus ſuis tam diligenter certiorem fecerit, maximas illi gratias ago. Id autem animum non mediocri dolore affecit meum, quod ex ipſis litteris percepi, in poſtrema ſeſſione, verba illa ad hanc vsque diem a catholicis accepta & confirmata, neſcio quo pacto praetermiſſa eſſe, quod Chriſtus ſe ipſum obtulit in coena, atque ea de re poſtea non ſine aliqua controuerſia, a triginta Patribus fuiſſe diſceptatum. Haec profecto quicunque aut ignorantia oppreſſi in dubium reuocant, aut inuidia maleuolentiaque ducti impugnant, hoſtibus praebent arma, & diuinam in ſe iram vehementius concitant. Siquidem totam hanc rem nobis Chriſtus apertiſſime declarauit, inquiens: hoc eſt corpus meum; idque ſatis enarratum puto in Epheſino concilio, vbi poſt multa expoſita de Chriſti perſona, ſtatutum tandem fuit, corpus Chriſti non eſſe alienum a verbo, cum quo ipſe etiam aſſidet patri, & illum a catho-

catholico coetu arcent, qui ſecus crediderit; nec veriti ibi ſint, Chriſtum ſacerdotem & ſacrificium appellare, quo loquendi modo vſus quoque Ambroſius eſt in lib. de officiis, vt reliquos, ne longior ſim, praetermittam. Quibus rationibus quis recto iudicio, veraque doctrina praeditus non acquieſcat? Iam vero ſiue hominum perfidia, ſiue mali daemonis aſtutia, qui mortalium ceruicibus ſemper imminet, in cauſa ſit, nihil eſſe tam incorruptum ac ſanctum poteſt, quod maleuoli non perturbent; idque immortalis Deus interdum permittit, vt noſtrorum criminum ac flagitiorum poenas demus. Quodſi non tanta ipſius eſſet clementia, quantam ſemper fuiſſe vidimus, de humano genere procul dubio actum eſſet. Sed qui omnia creauit, qui nos a perpetua liberauit morte, idem hoſtium ſuperbiam opprimet, furorem propulſabit, ſuaeque S. R. E. tuebitur dignitatem. Quam in ſententiam eo facilius adducor, quod de ſanctiſſimis verbis tollendis, quibus Chriſtum ſe in coena obtuliſſe credimus, quatuor tantum in triginta Patrum concilio ſecus, ac ſe res habet, indicarunt, & quod ii legati ſanctae ſynodo praeſunt, qui ob ſuam ſingularem doctrinam, vitaeque integritatem chriſtianam rempublicam ab omnibus inſidiis ac periculis liberabunt. Inter quos Reuerendiſſima D. V. cuius ſapientia & virtus iampridem nota eſt, quantum elaboret atque inuigilet, nemo ignorat. Addo, quod caput eſt, ſanctiſſimi Domini noſtri ſummam prudentiam & pietatem, qui in religione conſeruanda & amplificanda nullis vnquam laboribus aut impenſis parcit. Quae cum ita ſint, leuiſſimorum hominum vires debilitari ac infringi, & S. R. E. dignitatem a diuino ſpiritu confirmatam & auctam, quaſi lumen aliquod, extinctis caeteris, ſemper elucere, neceſſe eſt. Quod Reuerendiſſima D. V. Madrutium Cardinalem meum tantopere probet, non mediocriter laetor, & mihi hac de cauſa carior poſthac eſt futurus. Magni ſiquidem refert, laudari aliquem a laudato viro. Sed quemadmodum talem eſſe Madrutium, qualem ipſa praedicat, vehementer gaudeo: ita illum R. D. V. plurimum obſeruare nihil miror. Eius enim erga illam ſingularem quan-

dam animi propenſionem multo ante mihi videor animaduertiſſe; cum ſemper ſoleret eius virtutem ſuſpicere, prudentiam & doctrinam admirari, omnes illius libros, & eum praeſertim, qui tam eleganter & erudite de expreſſo Dei verbo ſcriptus eſt, diligenter perlegere. Amet igitur Reuerendiſſima D. V. ſicuti facit, Cardinalem meum, atque ipſum ſemper hortetur, doceat, inflammet, vt ſe totum ad eius voluntatem, nutumque conuertens in dignum tanto inſtitutore diſcipulum euadere aliquando poſſit. Ego diebus ſuperioribus ob aeſtus moleſtiam euitandam ex vrbe huc me contuli, ſed hic etiam ita ardent omnia, vt Phaetontis fabula iterum fingi & confirmari poſſe videatur. Cum primum per calorem licebit, ad vrbem redibo, atque ibi, quaecunque Reuerendiſſimam D. V. velle, quaeque ad ipſius dignitatem & commoda pertinere arbitrabor, omnia me ſtudioſe diligenterque polliceor curaturum. Interim bono ſit animo, ac dum aliorum ſaluti conſulit, valetudinem quoque ſuam diligenter curet. Suriani XXIX. Auguſti 1562.

ANNOTATIO.

Madrutius cardinalis, quem hic Chriſtophorus Madrutius (de quo ſupra p. 123.) gaudet ab Hoſio diligi, eſt Ludovicus Madrutius, ſive, Madruccius, Germanus, civis et epiſcopus Tridentinus, Chriſtophori ex fratre nepos. Vitam eius ſcripſit cum Oldoinus to. III. col. 932. tum Vghellus Italiae ſacrae to. V. col. m. 649. Galerum purpureum ei Pius IV. anno 1561. Tridentum miſit, ipſius Romam acceſſu haud expectato, vt Pallavicinus notat libro XV. cap. XI. n. 5. Patruus enim ceſſerat ei epiſcopatum Tridentinum, cui, vt concilio durante ſplendidius praeeſſet, cardinalitia dignitate auctus eſt. Mortuus anno 1600. Romae ſepultus fuit in templo ſancti Honuphrii prope patruum cardinalem.

CXV.

Auguſtanus Hoſio.

Dolet Sotum diſſentire ab Hoſio.

Vt pro iis, quae ſalutariter iſtic acta & ſcripta ſunt, Deo gratias immortales agere, ſic vt reliqua ex ſententia ſuccedant,

dant, assidue preces facere debemus: atque in illis magna laus R. D. T. magna item in te spes eorum, quae impendent. Vnum illud certe doleo magis, quam mirer, R. Patrem Sotum non omnino cum Amplitudine tua sentire, planeque tibi non satisfacere in rebus omnibus. Quod illum summopere cupere scio non solum ex eius ad me litteris, quas vna cum his ad te mitto; sed ex perpetuitate eius orationis, q. am mecum de summa sua erga Amplitudinem tuam obseruantia, tuisque singularibus virtutibus Romae habuit. Porro nemo est, quem ille magis colat & admiretur. Quare accidisse aliquid, in quo ille ab Amplitudine tua dissentiat, magis dolendum, quam mirandum mihi videtur. Hoc enim magis optasse omnes amicos omnibus temporibus, vt nunquam eorum ratio discreparet, quam assecutos esse, existimo. Non commemorabo exempla, quorum referta sunt omnia, eorum, qui in dissimili interdum sententia, eodem semper inter se animo fuerunt, eademque voluntate. Cui enim illa notiora sunt, quam tibi? Ne id quidem disputabo, praesertim scribens D. T. R. factum esse saepe, iidem vt homines pugnantia & dicerent & scriberent, quorum causam non ipsi, sed aliquod rei attributum aut tempora sustinerent. Res, quarum vna ratio vera ac necessaria est, vnam sententiam postulant, praeterea nullam. Reliquae non item. Potuit igitur Sotus vt de re probabili, & quae habeat defensores in vtramque partem, aliter dicere, quam antea scripserit, neque fortasse sine causa. Sed haec opinione ductus scribo, non quo quidquam cognouerim praeter id, quod ab Amplitudine tua scriptum est. Illud ita mihi persuasum est, vt nihil magis possit, neminem tui amantiorem aut obseruantiorem esse, quam Sotum; qui si fortasse minus frequens tecum est, quam tu velles, totum assignato occupationibus, nihil eius voluntati: de quo tamen non dubito, fore, quin faciat omnia, & vt coniunctissimis sensibus semper antea fuistis, sic nihil futurum sit illius in Amplitudinem tuam, nihil tuo in illum amore praestantius. Quo nihil mihi nec certius nec gratius esse potest. Deus R. D. T. saluam & incolumem seruet. Vale. Roma quarto Idus Sept. MDLXII.

ANNOTATIO.

Petrus de Soto, Cordubae natus, anno 1519. Salmanticae Dominicanorum inſtituta amplexus, obiit diem ſuum Tridenti anno 1563. die XX. Aprilis. Carolo V. qui eum in Germaniam deduxerat, fuit a ſacris confeſſionibus et conſiliis, poſtea autem huic cardinali Truchſeſſio ſe adiunxit, vſuro eius opera in condenda academia Dilingenſe. Vitam Soti ſcripſit Echardus de ſcriptoribus ordinis praedicatorum to. II. p. 183. vbi ait: *Renovata ſynodo Tridentina 1561. eo ſe conferre a Pio IV. iuſſus eſt Sotus, vt theologorum a pontifice miſſorum princeps.*

CXVI.

Cardinalis Auguſtanus Hoſio.

Manibus pedibusque refragatur calicis conceſſioni.

O grauem & pernicioſam hominum ſitim non tam pretioſi, ſalutariſque Chriſti ſanguinis, cuius corpus, quando ita ſanguinem flagitant, vereor ne exangue putent, quam maioris cuiuſdam licentiae, ad quam hac calicis conceſſione gradum ſe facturos ſperant. Vtinam ea ne aperiatur feneſtra, qua pateſacta, nihil praeterea munitum, nihil ſanctum cuſtodiri poſſit. Mihi enim id agi videtur, vt ad multorum peccatum noſtra accedat auctoritas, qua catholici infirmentur, alii confirmentur magis, vt interdum me & pudeat & taedeat viuere, cum haec audiam. Vtinam, iterum vtinam ne ita ſit, vt re conceſſa, quemadmodum Magnus ille & vir & pontifex Gregorius in re diſſimili, ſed tamen in ſimili quorundam petendi ratione dixit, noſtrum morem viciſſe glorientur. Equidem non memini legere, conceſſum vnquam eſſe quidquam petentibus haereticis, quod contra eos decretum fuiſſet, contra vero quaedam, quae recte pieque ſeruabantur, quod inde ſibi occaſionem oblatam putaſſent haeretici ad ſua monſtra confingenda, ſublata eſſe non ignorat Amplitudo tua. At iſti ſunt fortaſſe catholici, quorum mos

(vt

(vt mittam caetera) eſt Conſtantienſi, ne dicam Baſilienſi, & Tridentino concilio damnatus. Faciat Deus, vt me mea fallat opinio, ſitque & iis, qui petunt, & iis, qui concedent (ſi modo concedetur) calix ille ſalutaris, neque potius ſit vini plenus mixto, quem bibant peccatores terrae. Haec, dum integrum eſt, dicta volui. Quod ſi res huc reiicietur, dum licuerit, dicam, quod ſentio. Re iudicata, tum omnem & ſenſum & rationem meam ad id decretum accommodabo. Doleo vehementer, iſtas in oppidis Illuſtriſſimae D. T. turbas excitari, quas tamen ſpero veſtris ſacroſancti concilii decretis vel libentibus, vel inuitis illis hominibus rerum nouarum cupidis aliquando ſedatum iri. Amo & vicarii tui & Lindani, ex eorum ad Amplitudinem tuam litterarum exemplis, fidem & pietatem. Rem actam de coena vocari in dubium, moleſte fero, etſi, quod attinet ad id, vtrum ſe tum Chriſtus obtulerit, an in cruce? res habet rationem in vtramque partem. Eſſe vero qui negent, tum inſtitutos fuiſſe ſacerdotes, equidem & miror, & indigniſſime fero. D. T. Illuſtriſſimae ac Reuerendiſſimae incolumitatem & ſalutem opto & precor. Roma XIII. Calen. Octobr. MDLXII.

CXVII.

Caniſius Hoſio.

Optat reformationem morum in filiis Levi, in concilio inſtituendam et definiendam.

Exiit noua confeſſio Auſtriacorum, quam boni ob id magis execrantur, quod vicinae nobilitati ſatis alioquin corruptae feneſtram aperiat, planamque viam ſternat ad Lutheraniſmum aperte profitendum. Erumpit tandem ſerpens, quem in ſinu hactenus iſti geſtarunt, & aegre tamdiu occultare potuerunt. Ab Auſtria mox ad Bauariam hoc ſerpet virus, vt ne quicquam in religione firmum & tutum ſatis apud Principes in Germania ſuper-

ſuperſit. Huius imperii ac totius Eccleſiae Chriſtus miſereatur. Quicquid autem hoc eſt nouorum Confeſſioniſtarum commentum, hic addendum putaui. Verum de ſtatu imperii nihil habeo noui. Expectant omnes euentum comitiorum Franckfordienſium, quae breui inchoanda creduntur: & incertum, quo tandem euaſura ſit Gallica factio, nunc etiam Germanorum armata viribus. Deum precamur, vt bene vertat hos tantos motus, praeſertim ne ſacrae ſynodo maius adferant detrimentum. Vtinam purgentur interim filii Leui, nec ſolum de fidei doctrina, ſed etiam de reformatione morum iſthic ea conſtituantur, quae labanti Eccleſiae ſuppetias ferant. Satan quo magis per Caluiniſtas in catholicos ſaeuit, eo clarius nobis praebet ſpecimen, quae ſit futura tyrannis Antichriſti. Huius quidem proximos anteceſſores & praecurſores Gallia experiri videtur. Vienna ſcribitur ad me, nunc dimiſſum eſſe Georgium Polonum, vti poſtulabat eius auunculus, & monuerat amplitudo tua.

Ex nundinis nihil aduectum hactenus.

Expectamus decretum proximae ſeſſionis de Miſſiae ſacrificio: metuunt quidam, ne opinione citius aut abrumpatur aut abſoluatur ſynodus. Nunc magnum de illa ſilentium vndique. Oro Chriſtum Dominum, vt in ſuam gloriam ſeruet Illuſtriſſimam Celſ. tuam, quae hanc praeclaram ſpartam vt ornare pergat, boni omnes expectant, ac nobiſcum a Deo precantur. Quae adiunxi, R. P. Praepoſito noſtro tradi velim. Spero & illum S. Synodo non prorſus inutilem ac ingratum eſſe. Auguſtae 19. Septemb. Anno 1562.

CXVIII.

Caniſius Hoſio.

De diſſidiis theologorum proteſtantium, et de Galliarum motibus.

Mitto ſcriptum Illyrici & Galli Ratisbonae coaxantium, qui ab haereticis haeretici non male cenſentur, & quibus nunc rixa

rixa noua eſt cum aulicis Lutheranis. Nam hos vident impatientes iugi, quod ipſi vellent omnibus & maximis & minimis imponere, vt pro libidine ſua, ſicuti coeperant, nulli non imperare, ac plus quam apoſtolis licuit, etiam mundo leges dare poſſint. In hoc breui ſcripto pulchrum eſt obſeruare, quibus armis, catholicis videlicet, ſuam ſententiam iſti tueantur, ſuaeque ſectae homines impugnent, nimirum vt agnoſcamus, regnum hoc, quod in ſe diuiſum eſt, breui corruiturum. Mittam alia & gratiora fortaſſe, cum ex mercatu fuerint aduecta.

Lutherani de Gallico tumultu parce nunc garriunt, quod audito ſucceſſu catholicarum partium terreantur, ac ſuis etiam copiis & praeſidiis impietati ſuppetias ferre vellent, metuere videantur. Auferat Dominus hoc ſcandalum de medio Iſrahelis, & humiliet ſuperbum Goliath, qui cum ſuis blaſphemare non ceſſat caſtra Dei viuentis. Quod ſi penes regem ſtabit victoria, magnum inde robur accedet catholicis in Germania, vt iudicant ſapientes. Aduentus Gallorum epiſcoporum, vt ſperamus, nouam ſynodo pariet autoritatem.

Scripſi nuper de Polono puero, a noſtris Viennae dimiſſo, iamque, ni fallor, Pragae verſante apud D. Cromerum, vt Rector noſter Viennenſis ad me ſcripſit.

Reuerenter me commendo Celſitudini tuae, cuius animum & zelum in his negotiorum vndis perpetuum ac firmum eſſe percupio. Hoc vnum addam de noſtra Germania, tantum in ea ſectarum ſtudia effeciſſe, vt neque religionis, quae cum Eccleſia Romana communis eſſe debebat, neque honeſtatis, quae ſeditioſis patrocinari vetat, rationem vllam habere videatur. Sed viſum eſt Deo, Lutheranorum ſtultitiam exteris, qui coeci plane non ſunt, vel hac via patefacere. Neque domi, neque foris laudem vllam meretur fides Germanica, quae olim laudatiſſima fuit. Verum diligentibus Deum in bonum omnia. Noſtrum eſt interim orare ac reformare. Auguſtae 26. Septemb. MDLXII.

CXIX.

Auguſtanus Hoſio.

Gaudet, Sotum cum Hoſio in gratiam reſtitutum.

Ita vero fore ſperaram, vt tuum illi amorem conſeruares, quem in Amplitudine tua amanda & obſeruanda nemini concedere ſemper animaduerti. Ergo me maximo gaudio cumulauit veſtra concordia, quorum ſumma animi & ſcriptorum conſenſio iucunda catholicis eſt, grauis & odioſa haereticis. Diſſenſiones in ſententiis dicendis, modo abſint ab iracundia & pertinacia, perutiles eſſe ſolent interdum ad eliciendam & illuſtrandam veritatem. Vterque vincit, & qui refellit, & qui refellitur; huic enim error eripitur, qui eſt hoſtis acerrimus; quo ſublato non paruam victoriam idem ille conſequitur, qui in errore verſabatur. Tantum igitur cauendum eſt, ne ſtudium adſit contentionis, a quo amicum noſtrum ſpero eſſe alienum. Equidem doleo, ſi qui ſunt inanis huius concertationis cupidi, quae chriſtiano homine eſt, maxime vero ſacerdote indigna. Hanc enim, inquit vir ille ſanctiſſimus, Eccleſia Dei conſuetudinem non habet. Libere & ſentire & diſſentire veri inueniendi cauſa, nunquam fuit impeditum, modo contraria opinio deponatur ibi, vbi ſuſcepta eſt, nec offendatur animus. Nam vel manus conſerebant Iſraelitae, mente tamen pacifica. Sed, vt ad prima redeam, mihi gaudeo, vobis gratulor de tuo in illum amore, qui te maxime omnium & colit & admiratur. Accepi nunc Caniſii litteras ab Amplitudine tua miſſas. Diſputationes de ordine ac matrimonio optime procedere & cupio & ſpero. Vale Roma quinto Non. Octobris MDLXII.

CXX.

Cardinalis Auguſtanus Hoſio.

Contra calicis conceſſionem pugnat, ac queritur, ſibi omnia occultari.

Audiuit igitur preces tuas Deus, reverendiſſime Pater, in reiectione calicis ad nos. Me enim etiam interpono magis ex tuis litteris, quam ex ipſa re. Nihil enim adhuc mecum neque publice neque priuatim actum eſt, ne actum quidem iri ſpero: quod ſi res ſpem meam fefellerit, non ferent tacitum, qui calicem vrgebunt, quam diu licuerit. Sed ſi conſequutus es tu optatum tuum a Deo, debes etiam adiuuare nos tuis precibus, vt, quod a vobis alio reiectum videtur, quod vix habere videbatur aequitatem illa poſtulatio, ne hic quidem impetretur. [a] Non enim credimus, rei pondus afferre loci mutationem. Quae ſi conceditur, verendum eſt, ne impendeat, quam Amplitudo tua non ignorat, illa horrenda pars calicis eorum, atque adeo, ne praebeatur is calix, quem Diuus Hieremias iuſſus eſt adhibere gentibus. Sed non arbitror, ſic averſum futurum Deum a nobis, hanc vt det laetitiam iis, qui disiunctiores a ſua Eccleſia futuri videntur ea impetratione, quam antea fuerint. Neque me parua ſpes tenet, fore, vt quod aliquot Pontificibus maximis antiquiſſimum fuit, nihil vt infirmarent, quod ſuperiores Pontifices cum aliqua ratione decreuiſſent; quod ea res auctoritatem ſanctiſſimae ſedis confirmaret, eum morem imitatione dignum non contemnat pro ſua prudentia ac pietate Sanctiſſimus Dominus noſter. Sed vtcunque res [b] - - - - - meae non deſiderabuntur. Gallorum aduentum equidem horreo. Sed iſtic forte ſententiam mutabunt. Nam & Saul ipſe, cum peſſima mente veniſſet, fuit inter prophetas. De commoratione epiſcoporum

[a] *Hic verba quaedam intelligi nequeunt.*

[b] *Hic in autographo quaedam legi non poſſunt.*

porum praeclara tua vox, & tanto patre digna ſententia, re vt potius, quam diſputatione comprobetur. Habebit iſta contentio maximam offenſionem, ſed moderabitur Spiritus Sanctus, qui Reuerendiſſimam D. T. tueatur ac foueat! Roma XVI. Cal. Nouembris MDLXII.

CXXI.

Auguſtanus Hoſio.

Gaudet de diſſidiis proteſtantium in eorum exitium deſituris.

Ne mihi quidem videtur vllum eſſe pondus in eo homine, qui reſpondit epiſtolae R. D. T. Leuia & inſulſa ſunt omnia; quem tamen non arbitror eſſe negligendum; ſed ſi occupata eſt, vel potius quoniam occupata eſt Amplitudo tua in rebus grauiſſimis, illud reſcribendi negotium vel Caniſio, vel cuipiam alii det, qui retundat ſtultam hominis impudentiam. Premislienſem epiſcopum aduentare libenter cognoui. Cupio videre ſextam centuriam, nec deerit Caniſius huic cupiditati meae. Itane vero exortus eſt neſcio quis iſte Fabricius, qui concilium volumine concideret. Sed rei auctoritatem illarum peſtium magis comprobant maledicta. Digladiantur igitur Caluiniani & Lutheriani? Laetandum eſt. Magna enim eſt in eorum contentione ſpes eorundem exitii, etſi in caeteris diſſentientes, in vno noſtri odio conſentiunt. Confeſſionem mitto, quae (opto) vt pro rei dignitate imprimatur; nullus enim his temporibus editus eſt Eccleſiae Dei liber vtilior. Deus Reuerendiſſimam D. T. ſeruet incolumem. Roma XVI. Cal. Nouembris. MDLXII.

CXXII.

Borromeus Hosio.

De reducendo ad Ecclesiam Romanam Borussо non esse deinceps laborandum.

Quod ad me scripsit Reuerendissima & Illustrissima Dominatio Vestra proximis suis literis, die prima, IIII. VIII. & XI. Octobris datis, id ego ad sanctissimum D. N. retuli diligenter. Et eius Sanctitas, quia Vestrae Reuerendissimae Dominationis pietatem, atque optima consilia spectata habet, & cognita, quibus adducitur, vt deuios in sinum sanctissimae Parentis Ecclesiae reducat, maximam ei tribuit religionis & sapientiae laudem. Quod vero ad Prussiae Ducem attinet, videtur eius Sanctitati, non esse posthac in ea re laborandum, facile enim intelligitur, eius animum a piis & salutaribus admonitionibus abhorrere, nihilque velle, nisi disputationis & contentionis causa. Ad eas autem literas, quibus orator Illustrissimi Ducis Bauariae requirit responderi; censet Sanctitas sua, eo magis esse omittendam responsionem omnem, quo minus est aestimandum maleuolorum hoc scriptorum genus, quod in tantis, & tam arduis occupationibus Reuerendissimae D. Vestrae quaerit eam in tali loco & gradu constitutam, & tam praestanti doctrina & virtute praeditam, a publico officio detorquere, & suis nugis occupatam detinere. Itaque si D. Vestra Reuerendissima supersederit hoc labore, & nihili se facere ostenderit hos homines; & ex dignitate sua faciet, & publicae causae plurimum proficiet. De oratore Sereniſſimi Regis Poloniae & nos solliciti eramus, nunc vero agimus gratias Deo, Domino nostro, de eius prospero aduentu, eique ego felicitatem precor, ac me, & mea studia omnia libenter defero. Postulatus Culmensium Episcopus summo studio confirmatus fuit: idque in primis Reuerendissimae D. Vestrae causa, cui Sanctissimus D. N. gratificari omnia vehementer

cupit. Ego operam, ſtudium ac diligentiam meam eidem ſaepius delatam, nunc iterum toto animo defero, manuſque deoſculor. Datum Romae die XXI. Octobris. MDLXII.

CXXIII.

Caniſius Hoſio.

Calicis conceſſionem Romae vrgeri.

Octiduum eſt, quod ſimul & ſemel accepi litteras D. Cromero tranſmittendas, quas nunc opinor Franckfordiae acceperit. Vidi ſcriptam Germanice apologiam, qua verſipellis aliquis ficte blandiens & atrociter mordens reſpondit epiſtolae Celſ. tuae ad Principem Lutheranum datae. Mihi non videtur opus reſponſione aut latina, qualem Ingolſtadii meditatur homo in catholica fide vacillans & ſuſpectus, aut etiam germanica, ne citra fructum & infra dignitatem ſuam reſpondeat Amplitudo tua peruicacibus iſtis, quos etiam cum tantis viris libet & iuuat contendere, quique vinci poſſunt, placari non poſſunt vllis diſputationibus. At ſpero ſcriptum hoc in publicum non exiiſſe, nec exiturum eſſe: quod eius fere generis eſſe videtur, quo Princeps Vilnenſis eiuſdem farinae homo reſpondit optimo epiſcopo Veronenſi * felicis memoriae, cum is in Polonia legatum Pontificis ageret. Epiſtola vero latina, quae anſam dedit huic apologiae, digna mihi videtur, quae aliquando cum epiſtolis aliis eiuſdem autoris ſelectis edatur, ac reliquis Domini Warmienſis operibus nunc ſimul excuſis adiungatur. Accedat his liber de oppreſſo verbo, & ſi poteſt aliquando & illud opus abſolui, Confeſſio catholica Confeſſioni Auguſtanae oppoſita.

Numos aureos praeter meritum accepi, & ago ſane gratias praeclarae huic, quae tamen mihi noua non eſt, liberalitati. Mitto

* *Lipomano. Vide ſupra p. 63.*

to nunc aliquid e nouis libris, si tamen otium occupatissimo dabitur ad istas nugas respiciendi.

In Galliam & electionem noui Rectoris conuersi omnium animi. Ecclesiae causam vtrobique saluam Christus esse concedat. Non dormient aduersarii, sed suis etiam sacrilegiis & erroribus forte volent patrocinari, quoad eius fieri potest. Calicis negotium vrgent Romae, vt vereor, qui conditiones praescribendas aut reiicient aut a vulgo nunquam impetrabunt. Hic de synodo breui concludenda spargitur. Romanam reformationem promoueri & re ipsa comprobari desideramus.

Adfuit his diebus D. Natalis noster Augustae, quem isthic forte non multo post conspicietis. Amat certe nostram Germaniam & de illa iuuanda non segniter cogitat. Optamus Patres, quod reliquum est, sine turbis & cum profectu Ecclesiae per Dei gratiam transigere. Erunt, vti speramus, soliciti etiam de catalogo librorum suspectorum, de Breuiario & catechismo tandem edendo, vt catholicae doctrinae puritas & ecclesiastici ordinis grauitas rectius conseruentur. Dominus hoc institutum prosperet in gloriam suam & Cels. tuam diu nobis conseruet ad Ecclesiae vtilitatem. Augustae 24. Octob. Anno Domini MDLXII.

CXXIV.

Cardinalis Augustanus Hosio Roma Tridentum.

Hosium, sibi dissimilem, videri calicem laicis indulgere velle.

Mihi quidem certum est, credo item piis & bonis omnibus, nullum non modo factum, sed ne dictum quidem tuum esse, Reuerendissime Pater, quod non habeat sapientem aliquam rationem aut rei aut tempori accommodatam, maximeque sit cum religione ac pietate coniunctum. Sed ita sunt humana: vt quis-

quiſque maiorem habet opinionem virtutis atque doctrinae, eo plures etiam habet animaduerſores rerum & actionum ſuarum. In quibus ſi quid eſſe videatur, quod ſuperiori vitae aut orationi non omnino reſpondeat, ſtatim is incidit in voculas nonnullorum, qui ſummas modo rerum, non cauſas & ordinem attendunt. Quare minus Amplitudini tuae mirum videri debet, quod multis, quae iſtinc emanarunt, de ſententia, in qua eſſe dicebaris, calicem omnino concedendum eſſe, minus probarentur, praeſertim cum aliter a te antea & ſcriptum & dictum eſſe dictitarent. Sunt enim ii, qui omnes auras rumoris cupide excipiunt, ſtatimque pro veris rebus affirmant, neque, quae attributa ſint negotii, conſiderant. Qui ſi ſciſſent, quibus conditionibus, quaue lege permittendum eſſe calicis vſum diceres, immo vero ſi cognouiſſent, quam diffideres illi etiam ſententiae, quod non ſperares eum conſequuturum eſſe fructum, cuius ſpes oſtentabatur, laudaſſent omnino factum iſtuc, vt caetera. Sed quod ii rumores diſſipabantur, Cardinalem Warmienſem calicis auctorem eſſe, id modo arreptum eſt, praeterea nihil. Quamquam eiuſmodi hominum ſermones ſaepius a me repreſſi, reſtincti iam ſunt, Romaeque omnes de tua admirabili virtute ac pietate, mente & cogitatione defixa in ſalute communi, idem & ſentiunt & loquuntur. Quod item ſpero in Polonia & in Germania facere eos, qui a fidei chriſtianae veritate non abhorrent. Reliquorum opinionem aut ſermonem de nobis nihil eſt quod curemus, vel potius grata nobis eſſe debet obtrectatio haereticorum; a quibus nulla maior laus in tui ſimiles viros proficiſci poteſt, quam maledicta & contumeliae. Sed nimis fortaſſe multa de calice; de quo ſit aliquando ſilentium; &, vt ſit diuturnum, ego certe Deum precor. Quodſi contra euenerit, item precabor, vt ea res & permittentibus, & iis, quibus permittetur, ſit ſalutaris. Adoleſcentem hunc, quem ſibi probatum tantopere mihi commendat Amplitudo tua, quacunque re potero, iuuabo, faciamque vt intelligat, neminem apud me plus valere auctoritate, quam te ipſum: cui quod dediſti teſtimonium religionis, tanti eſt, vt nihil

hil ei ad laudem illuſtrius poſſit accidere. Valeat Dom. tua R. Roma, pridie Calend. Nouembris MDLXII.

CXXV.

Caniſius Hoſio.

Calicis conceſſione vnitatem eccleſiae Ro. nonnihil diſſolutum iri.

Etſi nihil adhuc ad me miſit D. Cromerus, tamen illum Franckfordiae verſari, & Celſitudinis tuae literas ſemel atque iterum per me miſſas accepiſſe, non poſſum addubitare. Pudet me toties obrui liberalitate ſummi Patroni, qui ſuos in me aureos profundere non deſinit, cum ego iam ante nihil non debeam, tantoque in me amore dignum praeſtare officium nullum poſſim. Gaudeo confeſſionem magis ac magis augeri, & libenter videro nouum exemplar Antuerpienſe, in quo fortaſſis non deerunt lectu digna pleraque, quae haec ſynodus potuit ſuppeditare, praeſertim in Evchariſtico negotio.

In ſynodo videmus, Eccleſiam recte conferri mulieri magnis cum angoribus parturienti. Exhibuit negotium vſus calicis, nunc de iure diuino iterum diſceptatur. Mihi non diſplicet P. noſtri Laynez ſententia, etſi Hiſpanis ingrata ſit, Epiſcoporum inſtitutionem & autoritatem iuris quidem eſſe diuini, ſed mediante pontifice. Felicem in ſeſſione partum dictae mulieris, quemadmodum mitigationem aliquam catalogi, expectamus.

Offendit quoſdam non indoctos oratio Fabricii, quam ego ſane vellem a Theologo quodam nec indocto nec indiſerto refelli. Arbitror autem iſthic complures huic pares eſſe negotio, quod mihi non omnino negligendum videtur.

Mitto foedas & execrandas imagines ex Ratisbonenſi officina prodeuntes, in quibus extremum Eccleſiae contemptum

declarant aduerſarii, non homines ſed Chriſtum ipſum blaſphemantes. Rithmi belle reſpondent pictoris inſaniae ac impietati. Superbia eorum aſcendit ſemper, quam confundat Dominus, vt deſinant maledicere filii maledictionis.

Nihil adhuc ſatis conſtat de conuentu Franckfordienſi, in quo tamen archiepiſcopi, vt ſperamus, impetrabunt, vt ſit ipſis liberum & vtcunque tutum, ſynodum accedere. Fortunet Dominus electionem Regis, * quem Catholicus rex, Philippus, Aquiſgrani magnifice excepturus dicitur, miſſis illi obuiam Illuſtriſſimo Cardinale Granduellano, & nobiliſſima Duxiſſa Parmenſe. Graſſatur adhuc miſerandum in modum peſtis Norembergae & alibi paſſim. De aduentu illuſtriſſimi Cardinalis Lotharingi certius aliquid expectamus. Vtinam in Gallia felicius ageretur cum catholicis, quos Chriſtus aduerſus Caluinianos, Anglos & Germanos tueatur. Audimus Cardinalem ex vrbe venturum in Germaniam & Bohemiam, penes quem ſit facultas vſum calicis quibuſdam concedendi, ſed paucos inueniet, vt vereor, qui conditiones adiungendas recipiant. Nunc magis & magis intelligunt ſapientes, hac conceſſione nonnihil vnitatem Eccleſiae diſſolui, & in parte catholicorum non minus metuendum eſſe periculum, quam ſperandum commodum apud nouatores. Dominus in ſuam gloriam omnia, qui amplitudinem tuam in hac ornanda ſynodo ſua gratia ſemper illuſtret prouehatque. Auguſtae 7. Nouemb. Anno 1562.

* *Maximiliani II. Romanorum regis, vivente patre, Ferdinando I. electi hoc anno 1562.*

CXXVI.

Caniſius Hoſio.

Optandum eſſe, vt Hiſpanorum animi in concilio Tridentino ſe praebeant tractabiliores.

Expediui cauſam apud Illuſtriſſimum Dominum a Luna, redditis illi litteris & explicata periculi magnitudine, niſi Anti-

Antiſtitum Hiſpanorum animi (etſi non de omnibus loquor) ſe praebeant in ſynodo tractabiliores. Vere Satan inter fratres haec diſcordiae ſemina ſpargit, quae potenti virtute Chriſtus ſupprimat, ſi rationibus & conſiliis humanis opprimi non poſſunt. Vt ad Dominum a Luna reuertar, haud ſine animi moleſtia hoc loco ſui & catholici regis ille mandata expectat, quibus acceptis iſthuc ſe ilico properaturum recipit. Scribit autem modo ad archiepiſcopum Granatenſem, vti ſuaſit amplitudo tua, & hortatur ſuos epiſcopos ad ſtudia tranquilliora, vtque moderate agant in hac temporum iniquitate. Dixi de Illuſtriſſimis legatis etiam, quorum cauſam illi difficiliorem reddunt, qui promouere poterant & debebant maxime. Alia per ſuum procuratorem aut Secretarium iſthic expediet. Iuſſit & ſalutari Celſ. tuam, quam in pretio habere & colere mihi videtur. Hanc cauſam vero ne alii reſciſcant, bona fide curabo. Precandus eſt ſane Chriſtus, vt in ſynodo Patribus vnitatem Spiritus largiatur, & Satanae compeſcat ſtudia, qui praeclarum hoc inſtitutum vellet abrumpi turpiter, & in ſchiſma demum conuerti.

Antuerpiam reliqua ſunt a me miſſa. Archiepiſcopus Colonienſis mortuus dicitur. Electionem regis maturari putant ob peſtis metum, qui Franckfordiae pullulat. Ferat pietas tua quaeſo crucem hanc patienter, & hominum ſiue ingratitudinem ſiue vehementiam non tanti faciat, vt in ſummis etiam difficultatibus paruo eſſe animo velit, quin potius ſapientiam ac fortitudinem innatam animi ſui magis magiſque Chriſto confortante declaret, & exemplo ſuo alios iubeat bene ſperare in Chriſtum Dominum noſtrum. Sed nimium ego mihi in admonendo permitto. Pro Celſitudine tua & feliciore ſynodi progreſſu Deum precari non deſiſtemus, qui nos in ſuam tueatur gloriam. Auguſtae pridie D. Martini. Anno redemti generis humani MDLXII.

CXXVII.

Cardinalis Tridentinus Roma Tridentum.

Accidere aliquid in concilio minime probandum, et de diſſidiis patrum in ſynodo.

Etſi R. D. V. litterae, quae nuper ad me perlatae ſunt, moleſtas illas & ineptas quaeſtiones nunc primum iſthic ab ignaris quibuſdam, & a diuino iure abhorrentibus temere allatas ſignificarint, mihi tamen, boniſque viris, quibus ego illas non minori cum voluptate oſtendere ſoleo, quam ipſi perlegere ac admirari, gratiſſimae fuerunt. Non quod ſane huiuſmodi controuerſiae maleuolentia potius quadam & perfidia, quam optima & chriſtiana affectione animi excitatae cuiquam bono placeant, ſed quoniam in ipſis litteris R. D. V. ſumma pietas, & vehemens quoddam ſtudium erga hominum ſalutem iam pridem omnibus perſpectum ita eluceſcit, vt non aliunde profecto, quam ex perpetuis illis diuiniſque veritatis luminibus emanaſſe videatur. Quamobrem nec aliorum tenebras tam clara luce fulgente, nec improborum inſidias atque impetus tanto ſuperſtite athleta & defenſore timere vnquam debemus. Dicam libere quod ſentio; accidere aliquid in ſancta ſynodo minime probandum, vt ob horum calamitatem temporum non miror, ſic etiam doleo; ita tamen, vt ſpe quadam ducar, nihil fore aliter, ac deceat, Gallorumque aduentum, diuini primum Spiritus operatione, deinde R. D. V. aliorumque bonorum diligentia & ſtudio ſacro huic conuentui opportunum & vtilem futurum confidam. Ne miretur D. V. Reuerendiſſima me litteris ſuis, quibus D. epiſcopi Aliffani, quem magna caritate proſequor, mihi ſubſidium commendauit, hactenus non reſpondiſſe. Nam ipſas ego litteras Illuſtriſſimo Cardinali Borromeo non vulgari cum commendatione dederam, vt ille a Sanctiſſimo D. N. quod cupimus, impetraret. Accidit interim Comitis Borromei aegritudo & acerbus interitus, quc

tur

turbati vehementer ſumus, tota curia moerore ſqualoreque confecta. Cum primum ceſſare videbitur luctus, rem, de qua non prius reſpondere decreueram, quam perfecta eſſet, ad optatum exitum perducendam curabo. Nihil enim mihi gratius accidere poteſt, quam Reuerendiſſimae D. V. omnibus in rebus inſeruire, idque vt de me ſibi omnino polliceatur, valetudinemque ſuam curet, vehementer rogo. Romae XXI. Nouembr. MDLXII.

CXXVIII.

Auguſtanus Hoſio.

Abhorret a diſputationibus inutilibus, laudatque cardinalem Lotharingium.

Bene de interuentoribus, ſi modo eo animo venerunt, vel iſtic illis eam mentem Deus dedit, vt ab inſtitutis quaeſtionibus minime neceſſariis abhorreant, neque ipſi quidquam afferant, quod ab huius ſanctae ſedis ſit alienum. * Quam tribuit D. T. Reuerendiſſima Cardinali Lotharingio doctrinae, eloquentiae & prudentiae laudem, ea mihi noua non accidit; iam pridem enim eſt, cum eius viri praeclara animi & ingenii ornamenta cognita habeo, & ſpero fore, Deumque precari non deſino, vt egregiae illae virtutes Catholicae fidei integritate & pietate nitantur. De mora, quae illata eſt Francofordienſibus Comitiis, iam antea certior factus ſum. Vtinam qui in demortui Colonienſis Archiepiſcopi locum ſufficiendus eſt, ſit illo grauiſſimo munere & illa Petri ſanctiſſimi viri Colonia dignus, quem ego velim prius conſecrari, deinde ferre ſuffragium, id enim & ratio poſtulat, & mos maiorum. Sed breui videbimus. Vale

* *Hic non eſt ſenſus in autographo. Omiſſa vox:* auctoritate.

Pater optime ac Reuerendiſſime. Roma. IIII. Calend. Decembris M.D.LXII.

Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino Stanislao Oſio, S. R. E. Cardinali Warmienſi, ſanctae ſedis Legato in concilio Tridentino, domino mihi obſeruandiſſimo

Tridentum.

CXXIX.

Auguſtanus Hoſio.

Gratias agit pro beneficiis vicario ſuo Auguſtano praeſtitis.

Quae mihi meisque quotidie tribuit Amplitudo tua ſummae humanitatis ac benignitatis officia & ſtudia, ea pro ſua & crebritate & nouitate poſtulant nouum aliquod gratiarum actionis genus, vt quoniam re tibi reſpondendi facultas mihi non conceditur, hoc ſaltem verborum officio, quod mihi onus impoſitum ſentio, aliqua ex parte leuare poſſim. Sed cum ne verba quidem ſuppetant, quae contrita ſunt omnia, ideo in recenti hac ſignificatione liberalitatis & amoris erga me, qua vſa eſt Reuerendiſſima D. T. cum Vicarium Auguſtani muneris Epiſcopalis meum tam benigno hoſpitio accepit; confugiam ad illam ſolemnem clauſulam, agere me tibi gratias, quantas poſſum maximas, pollicerique ac profiteri ſtudium, operam, rem meam, quae etſi iamdiu tua ſunt, tamen quod alia ratione & mihi remunerari non licet; hac ipſa repetitione aliquid conſequar, quo memor & gratus eſſe videar. Cui omnia ſecunda & opto & precor. Roma XVIII. Calend. Januarii MDLXII.

CXXX.

CXXX.

Puteus Hosio.

Hosii paucorumque virtute pondus synodi sustineri.

Ad binas litteras tuas, quas VII. Idus Octobris accepi, nihil ante respondi, quod expectaui quotidie, vt ad me aliquis adiret eorum negotiorum causa, quae mihi diligentissime commendaras: nam pro eo, quod tibi debeo, nihil praetermisissem operae atque officii in eo negotio ex tua sententia conficiendo. Sed nihil, opinor, eiusmodi incidit, in quo industriam meam sibi necessariam esse existimarit eius negotii procurator: ex quo enim die ad me primum litteras detulit, numquam hominem vidi: nunc autem demum ad te scribendum censui, cum confectis rebus grauissimis, quae proxima sessione synodus statuere decreuerat, aliquid tibi ad amicorum litteras legendas otii datum iri existimarem. Nam si quid ego de rei ipsius grauitate videor mihi aliqua ex parte iudicare posse, ita profecto sentio, tua paucorumque virtute & laboribus vniuersi negotii vim ponduſque sustineri: quare diuturni silentii mei excusationem amice benigneque accipies. Scito autem me lento morbo diu conflictatum, tandem Dei beneficio conualuisse, indiesque sperare me pristinas vires recuperaturum, atque verni temporis auxilio ad intermissam librorum meorum consuetudinem rediturum. Haec te celare nolui, quem de mea salute magnopere semper solicitum vere atque ex animo bonis meis omnibus vehementer gauisurum esse confido. Vale, & me, quod semper pro egregia tua erga me voluntate feciſti, perge mirifice diligere. Roma IIII. Nonas Decembris MDLXII.

CXXXI.

CXXXI.

Bortomeus Hoſio.

Seditioſis Hiſpanis maſcule reſpondendum eſſe.

Remitto ad Reuerendiſſimam & Illuſtriſſimam D. veſtram litteras, quas ad eam dedit D. Comes a Luna, & Petrus Caniſius, lectas prius Sanctiſſimo Domino noſtro; qui ſane libenter intellexit, quae ab illis dicuntur, & quae praeterea R. D. V. poſtremis eius ad me litteris pluribus verbis ſcripſit; commendauitque ſanctitas ſua maiorem in modum illa omnia, quae ab ea viriliter & pie admodum reſponſa ſunt Hiſpano illi, qui ad illam ſe contulerat, vt aliud fortaſſe expiſcaretur, quam quae attinent ad veritatem agnoſcendam, & ad aliquot eius nationis homines in officio continendos, reprimendamque audaciam ſeditioſorum; contra quos (quicunque illi ſint) erit inprimis gratum Sanctitati ſuae, vt Reuerendiſſima D. V. & auctoritatis & pietatis ſuae iura exerceat, & tam importunae licentiae ea frena iniiciat, quae illi videbuntur ſalutaria & neceſſaria pro felici exitu concilii; quemadmodum communibus meis litteris pluribus ſcripſi, ad quas me remitto, ne iis ſim longior. Rogo autem Reuerendiſſimam D. V. vt opera ac ſtudio meo ſine intermiſſione vtatur; & me eius gratiae quam diligentiſſime commendo, eique felicitatem precor. Datum Romae die IX. Decembris MDLXII.

CXXXII.

Auguſtanus Hoſio.

Turbas in concilio excitatas Dei beneficio ſedatum iri.

Non ſunt homines, ſed hoſtis hominum eſt, qui per eos, c
ne ſe quidem homines eſſe recordantur, iſta perturb

Qua re Dei opera eſt opus ad ſedandas turbas; de quo non dubito, quin pro ſua admirabili benignitate excitet eos viros, qui ſui & ſtatus & officii memores, motus comprimant & rerum nouarum cupidos concutiant & frangant. In iis maxima ſpes eſt in ſapientia & conſtantia Reuerendiſſimae D. tuae. De Gallis expecto & opto, vt progreſſio & exitus initiis reſpondeant. Coronatum regem Romanorum gaudeo, & Dei Eccleſiae gratulor; ſpero enim fore, vt cum ipſe rex ſua a Deo optata conſequatur, ſe in tanto beneficio memorem & gratum oſtendat. Quid enim aliud expectandum eſt ab illis animi & ingenii ornamentis, quibus eſt inſtructiſſimus? Quid a rege Auſtriaci generis, cuius parens, patruus, maiores, Caeſares, & maximi ac religioſiſſimi Caeſares fuerunt? Hanc ſpem meam eius confirmauit oratio, quam pietatis ac religionis refertam fuiſſe cognoui. Augent haec omnia litterae Reuerendiſſimae D. T. quibus ſcribis ab Internuntio Pontificis Maximi ad Caeſarem ſignificari, profeſſum eſſe illum de ſuo ſtudio & obſeruantia erga ſanctam ſedem apoſtolicam. Deus igitur approbet omnia, ipſique Romanorum regi ſic animato & parato omnia ex ſententia ſuccedant. Te vero, Pater Reuerendiſſime ac ſapientiſſime, Deus Eccleſiae ſuae ſaluum & incolumem ſeruet. Roma XVII. Cal. Januarii MDLXII.

CXXXIII.

Puteus Hoſio.

Motas in concilio perplexas religionis quaeſtiones Hoſii eruditione explicatum iri.

Optaueram ego quidem maxime & tibi & omnibus eam ſolicitudinis leuationem, quam cum proxime ſcriberem, in ſingulas horas expectabamus: ſed quando ſecus accidit, atque in difficili perplexaque cauſa te certo ſcio plurimum labora-

re: nolui tibi occupatiſſimo longius ſcribere. Tantum habeto, me ita iampridem ſtatuiſſe; nullam eſſe tam difficilem, intricatamque in religione noſtra quaeſtionem; in qua explicanda atque ſoluenda quiſquam tibi vel eruditione, vel exercitatione, vel, quod caput eſt, prudentia & pietate praeferri poſſit. Accedit huc collegarum Illuſtriſſimorum ac Reuerendiſſimorum rara cum virtus & ſcientia, tum etiam rerum agendarum vſus: ita vt propediem ſperem, praeſidio primum Dei, deinde veſtra virtute & ſapientia, reipublicae chriſtianae pacem & concordiam redditum iri. Vale & in tantis rerum perturbationibus laboribuſque valetudinem quoque curato. Roma XIIII. Cal. Ianuarii MDLXII.

CXXXIV.

Caniſius Hoſio.

De nouo rege, Maximiliano II. varia narrat, eumque eccleſiae Romanae addictum eſſe confirmat.

Nuper iucunda miſi; nunc ſuccedunt maledica & inſuauia, quibus aduerſarii noſtram exercent patientiam atque charitatem. Libenter audiui, Clementem Romanum in lucem breui proditurum. Venit nunc rex Romanorum vna cum ſua coniuge: adeſt & Bauariae Princeps, ſimulque mater, vxor & liberi. Confirmet Dominus noui regis animum in officio catholicae religionis. Quamdiu ſit Auguſtae adfuturus, ignoro: niſi peſtis impedimentum adferret, coronam acciperet tertiam in Hungaria, vt retulit mihi D. Ilſungus, Caeſaris conſiliarius. Manebit hic D. Zazius quoque. Si quid noui ſuccedat, iſthuc lubens perſcribam. Expectat adhuc Comes a Luna reſponſum ſui regis. De Galliis meliora ſperamus. Nondum audiui de Cromero, ſitne & ipſe venturus Auguſtam. Caeſar ex Friburgo & Con-

Conſtantia Oenipontum petet, menſe, vt putant, Ianuario. Pacem hoc anno nouo Germani ſibi polliceri videntur, ſed non eſt pax impiis, dicit Dominus. Quaerunt omnes, quid agant in concilio Patres, & ſeſſionis decreta poſt tantam moram expectant. Verum ſat cito, ſi ſat bene. Coniungat Dominus animos patrum, vt ea, quae ſunt fidei ac reformationis, conſentienter definiant, & cum Eccleſiae fructu publicent. Expectamus theologi ſcriptum, qui aduerſus Fabricii orationem ſynodi autoritatem defendat. Nunc quia ſaepius mihi concionandum venit, abrumpam epiſtolam, hoc vnum precatus a Chriſto, vt per ſanctam natiuitatem ſuam Patribus omnibus & inprimis amplitudini tuae pacem ab angelis nuntiatam impertiat, nouumque & perinde felicem annum ſanctae Eccleſiae donet. Auguſtae 26. Decembris 1562.

Seruus in Chriſto

P. Caniſius.

Regis & reginae magnificum ingreſſum, quem Bauariae princeps illuſtriorem reddidit, catholici laetis animis exceperunt. Clerus Auguſtanus non ſine ſolenni pompa proceſſit obuiam, & in ſuum templum primarium eundem regem & reginam induxit. Itum eſt porro ad ſummum altare, & decantatae gratiae Deo publice, vellent nollent audire aduerſarii Te Deum laudamus. Nam falſum rumorem ſparſerant ſectarii, ſuarum eſſe partium regem Maximilianum, quem gaudemus nihil in his remittere, quae ad catholicae profeſſionis ſpecimen vulgo exhibendum ſpectant. Confirmet in illo rex regum Chriſtus, vt hoc nomine & honore Caeſario ſe dignum praebeat continenter.

CXXXV.

Cardinalis Mendoza Hoſio.

Mittit ei diſſertationem de ſacra coena Calvini ſcholae cumprimis oppoſitam.

Reuerendiſſimo Domino Stanislao Hoſio S. R. E. presbytero Cardinali, Concilii Tridentini legato, Domino obſeruandiſſimo,

Franciſcus Mendoza, eiuſdem S. R. E. tituli ſancti Euſebii presbyter Cardinalis S.

Quoniam ex litteris, quas ad DD. V. R. in iſto ſacro concilio congregatas dedi, D. T. R. percipiet nonnulla, quae complures pii doctique Viri a V. R. DD. aperte decerni, atque luculentius declarari neceſſarium iudicant, nolo in iis longius recenſendis D. T. R. tot tantiſque negotiis occupatiſſimam, detinere. Caeterum quoniam in iis ipſis litteris neque rationum exponendarum, neque explicandae ſententiae meae ac patrum teſtimoniis confirmandae locus erat, non ab re facturum me putaui, ſi haſce ad D. T. R. darem, vna cum explicatione aſſertionum aliquot a me conſcriptarum de rebus, meo quidem iudicio, difficillimis, & quarum cognitio his certe temporibus adeo eſt neceſſaria, vt ſine magno catholicae fidei damno, animarumque ſalutis detrimento negligi omnino non poſſit. Eam quidem pio chriſtianoque animo D. T. R. excepturam & grauiter expenſuram, tam ob rerum, de quibus agitur, pondus, quam ob innatam D. T. R. erga omnes religionis promouendae ſtudioſos animi propenſionem, non dubito. Accedit his, quod ad inueſtigationem naturalis cum Chriſto vnitatis, quam per Euchariſtiae dignam ſumtionem adipiſcimur, de qua libros quatuor ſummo ſtudio ac labore conſcripſi, quos ad Pium IIII. Pont. Max. ſuperioribus hiſce diebus miſi, praecipuam mihi occaſionem dederunt ea, quae de vi Sacramenti euchariſtiae a D. T. R. in explicatione catholicae fidei a Patribus facta in ſynodo prouinciali

quae

quae habita eſt Petricouiae, circa hanc ipſam naturalem vnitatem catholice admodum & perquam erudite tradita ſunt. Aduerſa [a] quae non defuerunt ex noſtris, qui non parum, neque ſane occulte adlatrarunt, ſuam ipſorum prodentes inſcitiam, vt qui reconditioris Theologiae arcana ne a limine quidem, vt aiunt, ſalutarunt, tantum abeſt, vt in diuinae de ſeruando homine oeconomiae abditiora adyta penetrarint. Quapropter neque temere, neque ſine magno piorum omnium commodo & erga diuiniſſimum ſacramentum deuotionis ac reuerentiae incremento Dominationes V. R. ſancta ſalubrique Concilii iſtius ſanctione, quid de ea tenendum ſit, ſtatuent; vt quod Eccleſia a maioribus ſola traditione hactenus tenuit, hoc ipſum poſteris etiam per ſcripturae chirographum, non propter nouum fidei ſenſum, ſed propter intelligentiae lucem, vt Vincentii Lirinenſis verbis vtar, conſignet. Etenim Deus Opt. Max. qui Eccleſiam nunquam ſponſi ſui patrocinio deſtituit, D. quoque tuam R. vnum ex R. legatis, qui vniuerſali huic concilio praeeſſent, conſtituit, quem antea aduerſus haereticos ita excitauerat, vt tua fere ſolius opera atque induſtria & haereſes omnes abunde confutari & qui in eas collapſi erant, ad ſanam Eccleſiae fidem facile reduci poſſe ſperarentur, niſi vna cum ipſa fide rationem omnem ac ſenſum communem penitus amiſiſſe conſpicerentur. Quorum proh dolor! tanta eſt tum coecitas, tum pertinax inſania, vt eorum conuerſionem pii prudenteſque viri deſiderent magis quam expectent. Sed de his ſatis, ne Dominationi tuae Reuerendiſſimae moleſtior ſim. Nunc ad declarationem primae aſſertionis venio.

Explicatio breuis naturalis cuiuſdam cum Chriſto vnitatis, quam fideles per dignam Euchariſtiae ſumptionem conſequuntur.

Aſſertio prima.

Naturalis, de qua agitur, vnio, a ſanctis Patribus, ſummisque doctoribus dicitur, quia non ſolum per fidem & dilectionem Chriſto fideles vt in baptiſmo incorporantur, ſed quia per veram etiam

[a] *Legendum eſt fortaſſe:* aduerſus.

etiam Chriſti ſubſtantiam atque naturam ei arctiſſime vniuntur. Ad declarationem huius aſſertionis ante omnia animaduertendum eſt, inconcuſſe a primis Eccleſiae initiis ex Eccleſiae ac patrum fide orthodoxos omnes tenuiſſe, verum Chriſti corpus & ſanguinem in Evchariſtia exiſtere ſub ſpeciebus panis & vini, quae digne ſumta efficiunt, vt non ſpirituali modo coniunctione, verum etiam naturali quadam, eaque arctiſſima Chriſto copulemur, participes effecti verae vitificatricis, quae verbi propria facta eſt, carnis & precioſi ſanguinis Chriſti.

Huic veritati addendum eſt, inter multas vnionis ſignificationes non ſolum eam eſſe coniunctionem, quorum vna eſt ſubſtantia, ſed eorum etiam copulationem ac participationem, qua quae diſtincta ſunt, vnita dicuntur, vt ex Dionyſio Areopagita multis in locis, & S. Maximo eius interprete conſtat, quia mutuo ſe ipſis participant. Vnde Athanaſius: [b] Vnio, inquit, eſt rerum inter ſe diſtantium communis conuenientia quaedam. Dicta autem vnio eſt, propterea quod vnum fiant, hoc eſt, quod res coëant & commiſceantur. Porro haec vnionis ſignificatio haud ignota fuit Joanni Damaſceno, [c] cum de Evchariſtia loquens, ait: Participatio etiam dicitur. Nam per ipſam Ieſu diuinitatem participamus. Dicitur & communio, & eſt reuera, quia communicamus per ipſam Chriſto, & participamus eius carnem & diuinitatem, & quia communicamus & vnimur inuicem per illam. Nam quia ex vno pane participamus omnes, vnum corpus Chriſti & vnus ſanguis, & inuicem membra efficimur, concorporati Chriſto exiſtentes. Theophylactus: [d] hoc, ait, quod in calice eſt, illud eſt, quod ex latere fluit Chriſti, & ex eo accipientes communicamus, hoc eſt, vnimur Chriſto. Ecce vnio communicatio dicitur, vnireque communicare ſignificat.

Haec vnio haud dicitur naturalis, quia corpus & ſanguis Chriſti, & ipſa ſumens, naturaliter vnum ſint, quemadmodum natu-

b *In Libro diffinitionum.*
c *Lib. 4. de orthodoxa fide cap. 14.*
d *In cap. 10. epiſt. I. ad Cor.*

naturaliter vnum ea eſſe dicuntur, quorum vna eſt ſubſtantia, vt Pater & Filius & Spiritus ſanctus: aut quorum vna eſt perſona, vt diuina & humana Chriſti natura, aut anima & corpus in homine vnam conſtituentia perſonam, aut ea, quae a ſua natiuitate ſunt vnita, vt accidentia, quae naturaliter vniuntur ſubſtantiae, quae ſeparari non poſſunt, niſi per corruptionem; aut ea, ex quorum coniunctione tertia quaedam emergit natura. Dicitur autem haec naturalis vnio, vt Albertus Magnus & Cardinalis Jo. de Turre cremata [e] ſcribunt, quia, qui per fidem & dilectionem prius Chriſto vnione ſpirituali per intellectum & voluntatem tantum vniti erant, corporali vnione, naturalique nexu per Euchariſtiam, arcano quodam ac ſupra naturam modo ei vniuntur, quia manducant fideles carnem ſuam de virgine ſumtam, iuxta quam pii pariter atque impii conſubſtantiales ipſi ſunt (cum vnum cum eo genere & ſpecie ſint) per quam manducationem Dei filius manet in nobis ſubſtantialiter & carnaliter, vt Hilarius inquit, & nos in ipſo, quoniam non inhabitatorem animae noſtrae digne ſumtis myſteriis habemus, iuxta verbi proprietatem ac per gratiam ſolum, ſed etiam iuxta carnis naturam, per praeſentiam humanitatis ſuae, quae cum viuifica ſit iuxta concilii Epheſini decretum, animam & corpus noſtrum propria ſua natura mirifice recreat atque reficit, diuinarumque ſuae carnis, quae verbi propria facta eſt, virtutum communicationem per carnis ſuae ad noſtram adglutinationem ſingulis praeſtat.

Per hanc ipſam communicationem Chryſoſtomo, Theophylacto, Oecumenio, Euthymio, aliiſque quamplurimis auctoribus non participatione tantum & acceptione, ſed vnitate nos Chriſto communicare edocemur, vt Chryſoſtomus aperte indicat his verbis: [f] Quare non dixit participatio? quia amplius quiddam ſignificare voluit, & multam inter haec conuenientiam oſtendere. Non enim participatione tantum, ſed acceptione communicamus. Quemadmodum enim corpus illud vnitum eſt in Chriſto, ita

e *In tractatu de ſacramento altaris in cap. in Chriſto pater de conſecr. diſt. 2.*
f *Hom. 24. ſuper cap. 10. primae ad Cor.*

ita & nos per hunc panem vnione coniungimur. Theophylactus etiam: [g] Calix, ait, benedictionis, id est, Evchariſtiae. Manibus enim tenentes benedicimus ei, & gratias agimus, qui ſanguinem ſuum pro nobis effudit, ineffabiliaque bona in nos contulit. Non autem dixit participatio, ſed communicatio, vt aliquid excellentius indicet, ſummam puta vnionem. A Chryſoſtomo & Theophylacto non diſſentit Irinaeus, [h] Polycarpi diſcipulus, inquiens: Quomodo autem haeretici rurſus dicunt carnem in corruptionem venire? & non percipere vitam, quae a corpore Domini & ſanguine alitur? Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo quae praedicta ſunt. Noſtra autem ſententia conſonans eſt Evchariſtiae, & Evchariſtia rurſus noſtram confirmat ſententiam. Offerimus enim ei, quae ſunt eius, congruenter communicationem & vnitatem praedicantes carnis & ſpiritus. Ecce his Irinaei verbis communicationem vnitatem ſignificare oſtenditur, vnitatemque eſſe tam corporis quam ſpiritus per communicationem Evchariſtiae: & quia per ipſam Chriſto communicamus & participamus eius carne & diuinitate, viſum eſt Damaſceno communionem dici. Cyrillus quoque pluribus in locis manifeſte hanc corporis & ſpiritus vnitatem agnouit. Qui enim fieri poteſt, inquit, vt ſicut qui domino conglutinatur, vnus cum eo ſpiritus dicitur, caro carni copulata non ſua appelletur? Idem alibi: [i] origo, inquit, & via, qua Spiritu ſancto participamus, & Deo vniti ſumus, Chriſti myſterium eſt. Omnes enim in illo ſanctificamur, in quo communicatio ſpiritus, & manſio primum fuit, & ab eo in nos penetrauit, cum homo factus eſt, ipſe templum ſuum proprio ſpiritu perunxit atque ſanctificauit, & naturae diuinae participes nos effecit. Ita modum etiam congruentem conſilio patris & ſapientiae ſuae adinuenit, quo ſecum & inter nos per communionem myſticam vnum nos corpus efficeret. Quis enim eos, qui vnius ſancti corporis vnione

[g] *Super cap. 10. primae ad Cor.*
[h] *Lib. 3. cap. 33. contra haereſes.*
[i] *Super 17. cap. Ioh.*

one in vno Chriſto vniti ſunt, ab hac naturali vnitate alienos putabit? Hoc ipſum eſt, quapropter Dionyſius ille Magnus Evchariſtiam communionem vnificantem ſummeque vnientem eſſe aſſerit, quod S. Maximus Dionyſii interpres exponit, quia ſecundum abſolutam & perfectam & ſubſtantialem vnitatem, ſecundum veram perſonam cum Chriſto communionem habemus, iuxta quam non tantum congeneres, ac conſanguinei cum ipſo propter communem carnis proprietatem, quam aſſumſit, facti, ſed & concorpores per Evchariſtiam cum ipſo effecti ſumus. Vnde Paulus ſaepe vnum corpus & vnum ſpiritum fideles omnes in Chriſto appellat, quos cohaeredes Chriſti [k] & concorporales & comparticipes promiſſionis eius eſſe teſtatur, a quo Dionyſius, Athanaſius & complures alii ex ſanctis patribus Chriſto concorpores nos effici ſanguinis & corporis eius participes factos tradiderunt.

Ne autem haec corporis vnitas male intellecta, occaſio errandi eſſet, pleriſque exiſtimantibus, non poſſe vnum corpus plures dici, quorum ſuppoſita diuerſa ſint, Paulus, qui Eccleſiam corpus Chriſti atque adeo Chriſtum ipſum appellauit, [l] inquiens: ſicut vnum corpus eſt, & membra habet multa, ita & Chriſtus; fideles ipſos corporis Chriſti membra eſſe ſcribit, quos Patris & Spiritus ſancti templum tantum eſſe aſſerit, quia Chriſtus ſolus verum corpus habuit: cuius corporis vt nos membra congrua ſimus, qui eiuſdem cum capite naturae iuxta carnis proprietatem ſumus, carnis & ſanguinis illius, qui etiam iuxta carnem ex Spiritu ſancto factus eſt ex virgine viri neſcia; vere in evchariſtia communicamus. Ac vt ſingulos ſibi non per voluntatem ſolum connecteret, ſed per ſuam ipſius ſubſtantiam & naturam, vt diuinus Dionyſius [m] ait, modum inuenit ſuae immenſae clementiae aptum, per quem vnitatem corporis ſui indiuiſibilis, quo ad dex-

k *Cap. 3. ad Epheſ.*
l *1. Cor. 2.*
m *Cap. 3. eccleſiaſticae hierarchiae.*

dexteram Dei in coelis assidet, signanter multiplicaret, atque distribueret. Diuisis enim panis & vini speciebus, corpus & sanguis quoque ipsius multiplicatur & distribuitur. Nam cum totus in tota hostia & in toto calice sit, & in qualibet parte hostiae & calicis, qui integer & indiuisibilis est, hac via distribuitur atque diuiditur. Quo fit, vt vnumquemque fidelium sibi arctissime naturaliterque etsi supra naturae terminos, at per veram suam naturam hoc modo coniungat. Vnde Albertus Magnus: maximum, inquit, in factis Christi est, quod corpus suum dedit in cibum, quia per hoc omnes sibi vniuit, cum per incarnationem non vniuerit sibi nisi vnius hominis naturam. Hinc etiam Hilarius dicit, quod per istud sacramentum omnes naturaliter Christo vnimur. Ante Albertum Magnum Theophylactus Bulgarorum episcopus a Chrysostomo edoctus, idem sensit, cum inquit: Communio autem corpus Christi est, pro eo dixit, quod est: quemadmodum illud corpus Christo vnitum est: sic & nos ipsi Christo per hunc panem vnimur. Euthymius [n] quoque ita scribit: quodsi de vno corpore & sanguine omnes fideles participamus, omnes vnum sumus per ipsam horum mysteriorum participationem, & in Christo omnes & Christus in omnibus. Qui edit, inquit, meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Verbum siquidem per assumtionem carni vnitum est. Haec rursus caro vnitur nobis per participationem. Hinc beatus Thomas: [o] magnum, inquit, fuit, dare se in socium peregrinationis, & in seruum necessitatis, maius in pretium redemptionis. Tamen tale donum adhuc est in aliqua separatione ab eo, cui datur. Sed cum datur in cibum, datur non ad separationem aliquam, sed ad omnimodam vnionem. Vniuntur enim in vnitate corporis cibus & sumens. Qui manducat meam carnem, in me manet. [p] Idem Thomas alibi, nos per Christum viuere, quia aliquid de natura sua habemus, aperte testa-

n *In Matth. cap. 64.*
o *In tractatu de Sacram. altaris.*
p *Jo. 6.*

teſtatur. Haec ipſa Chriſti naturae per dignam corporis ſui manducationem communicatio, naturalis vnitas a Patribus appellata eſt, quia, vt ſuperius dictum eſt, per veram ipſius ſubſtantiam nobis contingit. Non enim tantum, vt Vrbani Papae verbis vtar, in Evchariſtia gratia ipſa Spiritus ſancti ad virtutem & gratiarum incrementa proficimus, ſed corporali quoque praeſentia Saluatoris. Nam Ieſum Chriſtum ſub alia quidem forma, in propria vero ſubſtantia in nobis manentem habemus. Multis ante Vrbanum annis Innocentius in concilio generali de vnitate vniuerſalis Eccleſiae loquens: ad perficiendum, ait, myſterium vnitatis accipimus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. Hanc vnitatem idem Innocentius [q] alibi admirabilem vocat. Per hoc, inquiens, quod Chriſtus ſuſcepit de noſtro, & accipimus ipſi de ſuo, tam inſolubili nexu coniungi, vt qui eſt vnum cum Patre per ineffabilem vnitatem, fiat vnum nobiſcum per admirabilem vnionem. Nempe ſpiritualem vnionem admirabilem hic non vocat, neque Chriſtus de noſtro ſpiritum ſuſcepit, ſed carnem, quam rurſus in Evchariſtia edendam reddit.

Cum itaque non ſolum merito gratiae, quam Chriſtus promeruit, vt nos ſibi copulatos patri gratos efficeret, participesque ei ſpiritualiter coniunctos redderet, verum etiam corpore ſuo intra corpus noſtrum immiſſo corporaliter naturaliterque vnumquemque noſtrum ſibi vnit: proprie a ſanctis Patribus naturalis vnio appellata eſt, quos aut improprie aut per exaggerationem minime locutos eſſe, praeter Nicolai epiſcopi Methonenſis viri doctiſſimi teſtimonium, res ipſa ſatis indicat, & recentiorum omnium, [r] qui de hac ipſa vnione loquuti ſunt, verba oſtendunt, qui ab hac naturalis vnitatis voce minime abhorruerunt, neque in ſcholarum concertationibus theologi eam reiecerunt, vt videre licet in eo opere, quod Ruardus Tapper Louanii decanus compoſuit de explicatione articulorum [s] ve-

q *In epiſtola ad epiſcopum Lugdunenſem.*
r *In expoſit. liturgiae.*
s *Tomo 2. art. 13.*

nerandae facultatis ſacrae Theologiae generalis ſtudii Louanienſis circa dogmata Eccleſiaſtica ab annis 34. controuerſa. Agnouerunt quoque eandem vocem patres in Concilio Colonienſi ante viginti ſex annos congregato, ac Reuerendi admodum Archiepiſcopi ac Epiſcopi in concilio prouinciali, quo praeclaram illam fidei Polonicae confeſſionem ediderunt, quam Stanislaus Hoſius praeſtantiſſimus theologus, ac prudentiſſimus vir, tunc epiſcopus Varmienſis, hodie vero S. R. E. presbyter Cardinalis & concilii Tridentini paribus meritis legatus, catholice & erudite valde conſcripſit.

Audiendi ergo non ſunt, qui naturalem vnionem dici contendunt, quia vere Chriſto per Evchariſtiam vnimur, naturamque in multis ſcripturae locis pro veritate accipi. Nam ſpirituali vnione vniti, vere etiam vniti & ſunt & dicuntur. Corpori autem & ſaguini Chriſti communicantes, non vere modo, ſed ſubſtantialiter ac corporaliter & carnaliter vniri ab Hilario & Cyrillo aliiſque quamplurimis ſcriptum eſt.

Eadem improprietas, quae abeſt ab ipſa naturalis vnitatis appellatione, abeſt etiam ab aliis verbis, quibus antiqui patres vſi ſunt, qui non diſcedentes ab Eccleſiae ſenſu & ſanctae ſcripturae conſuetudine conuertendi verbo vtuntur, cum qualitatum mutatio contingit, etiamſi eſſentia non mutetur. Et cum non ſolum per dilectionem, ſed re ipſa in carnem Chriſti Evchariſtia pie ſumta nos conuerti, aut Chriſti carni commiſceri aſſerunt, ob noui Adae carnis, quae verbi propria facta eſt, qualitates indutas; conuertendi, tranſeundi & commiſcendi verbo recte vtuntur. Et quoniam non verbo ſolum & voluntate, aut ſpirituali tantum actione, ſed re ipſa, hoc eſt, corpore ſubſtantiaque Chriſti totius gratiae auctore, quae aliud eſt a gratia quae eſt accidens, haec mutatio euenit; re ipſa conuerti dicimur, quemadmodum redemtionem noſtram recte etiam dictum eſt, totius Trinitatis conſilio & voluntate factam, vnigeniti tamen filii Dei, qui carnem humanam aſſumſit, non conſilio, & voluntate tantum, ſed opere etiam & facto reque ipſa peractam fuiſſe.

Re-

Remanet igitur, oſtenſum, naturalem, de qua agitur, vnitatem a ſanctis patribus ſummiſque doctoribus appellari, quia non per fidem & dilectionem ſolum Chriſto vnimur, ſed per veram ipſius Chriſti ſubſtantiam atque naturam, cum digne in diuiniſſimo Evchariſtiae ſacramento, corpori & ſanguini eius communicamus. Sed tamen quoniam non ſatis intelligitur, quo pacto caro Chriſti, quae in hoc ſacramento ſpirituali modo, ſub aliena forma in propria tamen ſubſtantia ſe habet, carni noſtrae quantae & extenſae & mortali naturaliter vniatur, & an eadem ſit haec communicatio & vnio, quae per Evchariſtiam prouenit, cum ea, quae per baptiſmum, minus hactenus diſcuſſum eſt in ſcholis; non ab re erit nonnihil circa haec duo perſcrutari. Ac ante omnia pro maiori eorum declaratione aſſertio ſequens adſcribatur.

Aſſertio ſecunda.

Vnio naturalis, quam fideles per Evchariſtiam digne ſumtam conſequuntur, non indiget quantitate extenſiua in ordine ad ſpecies.

Hanc aſſertionem comprobant vnio verbi ad humanam naturam & animae ad corpus. Nam in illa gratia vnionis naturalis dicitur, etſi omnem humanam rationem ſuperet, vt B. Thomas tenet, [t] quia a diuina Chriſti natura, velut a cauſſa, in naturam Chriſti humanam prouenit. Hic vnio ſine aliqua diuinae Chriſti aut humanae naturae ſubſtantiali mutatione manifeſte accipitur, nihilque aliud vnio ſignificat, quam humanam in Chriſto naturam terminari ad perſonam filii Dei, hoc eſt, vt in humana natura aſſumta habeat nomen perſonae ipſius, & communicet proprietates eius, & ex conſequenti eſſentialia & attributa. Quoniam quaecunque conueniunt naturae, conueniunt illi perſonae. Ergo haud diſſimili ratione dicetur, vnionem, quae fit per haec ſacra dona, terminari ad quandam participationem, & aſſimilationem ipſius Chriſti carnis. Vtrunque hoc Athanaſius, [u] cuius ſcriptis, Cyrillo auctore, coelum ornatum dicitur, teſtatus eſt. Conueniebat, inquiens, vt caro, quae corrupta erat, non amplius

[t] *Part. 3. q. 2. art. 12.*
[u] *Lib. 3. contra Arianos.*

us ſecundum ſuam ipſius naturam mortalis maneret, ſed per verbum, quod illam induit, incorruptibilis permaneret. Vt enim verbum homo factum in noſtro corpore noſtra imitatum eſt, ita & nos ipſum ſuſcipientes immortalitatem ex ipſo participamus. Auguſtinus haud diſſentit ab Athanaſio. Inquit enim: voluit Chriſtus, vt homo participans huic coenae in Deum aſcenderet, & incorporatus ſibi efficeretur, particepſque ſuae diuinitatis & humanitatis, ſicut verbum Patris in carne deſcenderat, & factum eſt omnium particeps, quae vere ſunt noſtrae humanitatis. Ecce quemadmodum per vnionem naturae diuinae ad humanam humana particeps eſt effecta ipſius diuinae naturae in vnitate perſonae, abſque aliqua aut phyſica aut mathematica coniunctione, ſubſtantiarum tamen diuinae & humanae ſimul in Chriſto naturae vnione. Vnde vtraque natura particeps eſt effecta alterius naturae proprietatum. Sic Chriſtus, & eum digne in Evchariſtia ſumens admirabili vnionis modo inuicem vniuntur, ex qua vnione participatio communicatioque Chriſti carnis proprietatum emergit, quae noſtram animam & corpus mirifice recreant, atque in ipſum Chriſtum rapiunt. Et quia (vt dictum ſaepius eſt) hoc per Chriſti verum corpus fit, naturaliter fieri proprie dicitur. Corpus enim ipſum Chriſti proprie ad humanam naturam attinet, ac quemadmodum verbum Dei intra cor hominis penetrans, fide dilectioneque in ipſo repoſitum, ſemen quoddam eſt, quod hominem in Deum transformat: (nam vnumquodque ſemen fructum eiuſdem cum eo ſpeciei producit) ſic diuina Chriſti caro, precioſuſque eius ſanguis ſemen etiam eſt viuificatiuum, quod viſceribus noſtris immiſtum ad diuinas immortaleſque carnis Chriſti proprietates corpus quoque noſtrum ſua communicatione ac virtute transfert, illudque non tam ſimile, quam vnum corpus eiuſdem cum Chriſti corpore ſpeciei efficere videtur. Neque Chriſtus per animam charitatemque, qua nos diligit, ſolum, vim ac virtutem ſuam in nos immittit, ſed & per corpus ſuum verum animam & corpus noſtrum ſimul ſanat ac ſanctificat, caputque noſtrum eſt etiam iuxta corpus, quod ſumſit. Ani-

Animae praeterea ad corpus coniunctio naturalis etiam dicitur, quia & anima & corpus ſubſtantia eſt atque natura. Neque eo quod anima, quae ſpiritualis ſubſtantia eſt, quantitate extenſiua careat, corpori copulari impeditur. Pari etiam ratione corpus Chriſti, quod ſpirituali modo ſe habet, quantitateque extenſiua caret in ordine ad ſpecies, corpori animaeque coniungi haud prohibetur. Potentius namque multo prae diuinitate eſt ad animam & carnem noſtram ſine illa quantitate ſibi connectendum, quam anima ipſa ad vniendum ſibi corpus. Neque opus eſt, vt quicquid hoc modo vnitur, ſit forma eius cui vnitur: quemadmodum anima eſt forma corporis. Nam verbum non eſt forma humanae Chriſti naturae. Chriſtus enim perfectus Deus & homo eſt. Satis enim eſſe debet, quod corpus Chriſti totam naturam noſtram naturae ſuae adglutinatione perficiat, atque ſuae immortali naturae conformem reddat. Quod, cum per veram totam geminam ſuam ſubſtantiam atque naturam intra nos ſuſceptam efficiat, atque ſine intervallo (vt Chryſoſtomus ait) nos ſibi vniat: dubium non eſt, quam ſimillimam eſſe hanc vnionem ad eam vnionem, qua anima corpori vnitur. Nam tota anima toti corpori & tota cuilibet corporis parti abſque interuallo vnitur. Haec enim tria de hac ipſa Chriſti nobiſcum & noſtri in Chriſto manſione, vnione, communicationeque a ſanctis doctoribus aſſeri, quiſquis diligenter eorum ſententias animaduerterit, plane intelliget.

Porro cum verum Chriſti corpus digne a nobis ſumtum vera ac reali ſua praeſentia ac virtute animam noſtram attingat, ipſaque indiuiſibilis Chriſti caro, quae totam ſuam ſubſtantiam ſimul habet, ingrediatur noſtrum corpus, non tamen per extenſae quantitatis in ordine ad ſpecies modum, in totam etiam eodem modo noſtram animam penetrat. Cumque tota anima ſit in toto homine, & in qualibet eius parte, perſpicuum remanet, totum Chriſtum, cuius non ſpiritum ſolum, ſed carnem etiam ſuſcipimus, toti homini & cuilibet eius parti ſubſtantialiter vniri.

Ad

Ad haec cum haec vnio longe abſit ab ea carnali & vulgari, ſenſibuſque noſtris peruia per quantitatis continuae aut contiguae terminos vnione, cui repugnat haec totius cum toto, & totius cum qualibet parte coniunctio, quae iuxta quantitatis dimenſiuae modum, diuiduique corporis naturam fit; non video, quo pacto proprius fieri dici poſſit, niſi iuxta eum modum, quo in ipſo Sacramento indiuiſibilis Chriſtus eſt, totus ſcilicet in tota hoſtia & in qualibet hoſtiae parte. Hoc enim ſubſtantiae indiuiſibilis proprium eſt. Vnumquodque etiam eo ſe modo circa actionem habere, quo circa eſſe, conſtans ſummorum philoſophorum ſententia eſt. Neque ex his ſubtilis plus nimis lector conſequi exiſtimet, mutationem aut conuerſionem aliquam ſubſtantialem denuo in nobis ipſius Chriſti corporis vel noſtri fieri, per quam in nobis tanquam ſub aliena ſpecie per modum ſubſtantiae Chriſtus ſit, quemadmodum ſub ipſius panis & vini ſpeciebus eſſe aſſeritur. Ex eo enim, quod per modum ſubſtantiae vniri traditur, nihil aliud intelligendum eſt, quam totum Chriſtum toti homini & cuilibet eius parti ſubſtantialiter vniri, quia Chriſtus vera ſua ſubſtantia atque natura animam, atque per animam carnem noſtram, ac totum denique hominem toti ſibi connectit & vnit, atque nos totos ad vitam reformat, viuificatque. Neque eo, quod vnio per modum ſubſtantiae hac ratione fieri dicatur, ſtatim ſequitur, per modum ſubſtantiae in eo eſſe, cui Chriſtus vnitur. Aliud enim eſt eſſe, aliud vniri; aliud quoque vnio, aliud ſubſtantia eſt. Nam Chriſtus in Sacramento ipſo tamdiu per modum ſubſtantiae eſt, quamdiu ſpecies ipſae haud corrumpuntur. Vnio vero haec, corruptis etiam ipſis ſpeciebus, etſi ipſa Chriſti ſubſtantia tum temporis abſit, manet: quae ideo ſubſtantialis, & naturalis, quia per veram Chriſti naturam & ſubſtantiam nobis contingit, nihilque aliud per vnitatem hic intelligitur, quam participatio, communicatioque Chriſti corporis & ſanguinis, quam per veram Chriſti in Evchariſtia ſubſtantiam conſequimur. Haec vnio perpetua corporis & ſanguinis Chriſti praeſentia non indiget, modo vitam, quam inde ſemel

mel traximus, nouis ſceleribus inquinati non amittamus. Neque enim pauci reperiuntur effectus, qui non exigunt praeſentes ſemper integraſque eorum cauſas, vt integri & ipſi conſeruentur. Verbi ad naturam humanam vnio ſeparata per mortem Chriſti anima ab eius corpore, neque anima neque corpus abſque verbi diuinitate remanſit. Vir etiam & vxor poſt tranſactam etiam ſeminalem commiſtionem vna caro quamdiu viuunt, ſunt. Profecto magna iniuria diuinae & viuificatrici Chriſti in Evchariſtia ſubſtantiae carnique inferretur, ſi in animam noſtram virtutem a vera eius natura profluentem, ingredi poſſe, in dubium verteretur. Carnali itidem nimium ſenſu eo ipſo corpus Chriſti nobis digne ipſum ſumentibus coniungi acciperemus, carnalem quoque & craſſam quandam vnionem nos imaginari, ſi tantum per id tempus, quo ſpecies durant, ipſam quoque durare aſſeramus, manifeſte teſtaremur. Vix nos veram vnionis communioniſque, de qua agitur, ſignificationem percipere fateremur. Vix etiam viam intelligi, qua ex anima, in quam diuina Chriſti ſubſtantia primum penetrat, ac deinde in corpus ipſum vim ac virtutem & vitam tranſmittit, aperte oſtenderetur. Parum quoque ipſius animae natura perſpecta haberi euinceretur, quam ita in corpore eſſe nemo dubitat, vt tota in toto & tota in qualibet parte corporis ſit. Parum etiam ſanctorum Patrum, doctiſſimorumque theologorum verba expendiſſe videremur: quibus edocemur, non penetrare animam noſtram carneam corporis Chriſti molem, ſed gratiam & virtutem ex hoc cibo promanantem, quae corpus & animam, hoc eſt, totum ipſum hominem reficit atque recreat mirifice. Nos itaque, vt Roffenſis ait, mentes noſtras carne Chriſti refici nihil dubitamus, tametſi non recipiant eam intra ſe corporaliter. Nam vt iſta caro fuit olim in patrandis miraculis deitatis organum: ita & nunc eadem Chriſtus vtitur ad paſcendos ac reficiendos animos noſtros, cum eis approximetur. Verbi certe, cui caro coniuncta eſt, capacem animum nemo ambigit. Hoc ipſum Cyrilli auctoritate a Roffenſe confirmatur. Cuius verbis recitatis, in-

telligis, inquit, cum alia plurima, tum quod nobis praecipuum inſtitutum fuit, carnem Chriſti velut organum diuinitatis vitam praeſtare cunctis eam edentibus. Verbum igitur carni coniunctum animam ingreditur, & caro carni noſtrae copulatur, atque ita totus homo rapitur & transformatur in Chriſtum. Haec Roſſenſis. Quem haud arbitreris, verbum a carne, aut carnem a verbo ſeparatam, in hac ad animam & ad corpus vnione imaginatum fuiſſe. Attamen cum in Evchariſtia totus ipſe Chriſtus, Deus & homo, ſumatur, nobiſque totis anima & corpore conſtantibus, re ipſa, non per fidem & dilectionem tantum vniatur; non dubitauit aſſerere, naturalem hanc vnionem per dignam Chriſti in Evchariſtia ſumptionem nos conſequi, etiamſi Chriſtus in Sacramento quantitate extenſiua in ordine ad ſpecies careat. Vnde tertia aſſertio aperte coinfertur.

Aſſertio tertia.

Praefata naturalis vnio diuerſa eſt ab ea, quae in Baptiſmo Chriſto nos vnit.

Ex antea dictis ſatis conſtare puto, diuerſam eſſe naturalem hanc vnionem ab ea, quae ſpiritualiter nos in baptiſmo inſerit. Nam licet tam baptiſmus, quam evchariſtia ſalutem homini conferat, vtrumque viuificet & ſanctificet, vtrumque Chriſto vniat, vtrumque paſſionis, vtrumque fidei ſacramentum, quamuis diuerſa ratione, dicatur, multa tamen alia ſunt, quare vnio naturalis ab vnione ſpirituali diuerſa cenſeatur, aliuſque videatur eſſe influxus qui a vera Chriſti ſubſtantia profluit, ab eo, qui per alia ſacramenta promanat, licet non alia vtriuſque gratia ſit, alia tamen videtur, quia per diuerſa inſtrumenta vario etiam modo ad nos prouenit. Diuerſa enim valde ſunt, Spiritus ſancti gratia, quae accidens eſt, quaque per alia Sacramenta proficimus, & ipſa Chriſti natura, quae ſubſtantia & ſuapte virtute viuifica eſt, ac veluti ſemen quoddam viuificatiuum noſtrae ſubſtantiae cognatum, atque eiuſdem cum ea ſpeciei, quod intra nos ipſos ſubſtantialiter ſuſcipimus. In Evchariſtia

riſtia per inſtrumenti diuinitati coniuncti, nobis cognati, corporisque organi vim Chriſto naturaliter vnimur. In baptiſmo vero per ſeparati organi virtutem ei ſpiritualiter incorporamur, ac ſecundum vim contactiuam ſpiritualem ſolum Chriſto copulamur. In illa ſecundum vim etiam, vnionemque ſubſtantialem, quae ex ipſius Chriſti carne viuificatrice noſtrae carni naturali quadam vnione copulata, in animam & corpus noſtrum transmittitur, ei ſubſtantialiter coniungimur. In baptiſmo carnis noſtrae ſanitas ac ſanctificatio ſanitatem & ſanctificationem animae comitari videtur. In Evchariſtia ſuapte ipſius viuificatricis Chriſti carnis vi ac proprietate tanquam corporeo inſtrumento nobis cognato, ac ipſi verbo Dei coniuncto, per ipſammet Chriſti carnem ac ſubſtantiam ſalus & immortalitas animabus corporibuſque confertur, etſi per animam in corpus proueniat. Vnde & in Chriſti carnem definere aut re ipſa in Chriſti carnem conuerti, ſiue ipſius carni commiſceri, hoc eſt vniri, ab Iſidoro Peluſiota & Chryſoſtomo dicimur. Praeterea per baptiſmum fide & dilectione in Chriſto manemus. Per Evchariſtiam vero corporaliter ille in nobis, & nos in illo ſumus. Baptiſmus vitam animae praeſtat. Evchariſtia vero vitae cauſſam & auctorem intra viſcera noſtra immittit. Ad haec vnio, quam in baptiſmo conſequimur, in totam ſimul Trinitatem Chriſto mediatore, vt Cyrillus ſcribit, nos rapit. Quanquam non poteſt in nobis eſſe filius etiam ſecundum carnem, quin pater quoque & Spiritus ſanctus ſit. Vnio autem, quae Evchariſtia digne ſumta nobis contingit, vnigeniti Dei filii carni, quam ſolus aſſumſit, naturaliter ſingulariterque nos counit. Quo fit, vt paulo ante dicebatur, vt apoſtolus Paulus x corpus noſtrum templum Dei viuentis eſſe ſcribat, membra tantum Chriſti fideles eſſe teſtetur. Membra inquam, quae alibi de carne eius & de oſſibus eius eſſe aſſerit. Chriſtus enim verum corpus habens, vera etiam membra corpori cognata atque congrua habet. Adde non paruam inter has duas vniones differentiam eſſe, quam nonnulli eximii viri,

x *1. Cor. 13. 2. Cor. 6.*

ac praecipue Nicolaus Methonenſis epiſcopus animadverterunt: Baptiſmum videlicet primum myſteriorum eſſe: Evchariſtiam vero poſtremum. Primum medio indiget, quod chriſma eſt. Vltra Evchariſtiam vero non eſt, quo viuentes tendamus. Vnde perfectio perfectionum ac conſummatio conſummationum Evchariſtia a Dionyſio aliiſque Patribus dicta eſt. Jacobus fidem & baptiſmum initium ſalutis eſſe ait, ſcribens: [y] voluntarie genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturae eius, quod Paulus etiam inquit his verbis: [z] Participes Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiae eius vſque ad finem firmum retineamus. Vnio itaque per Evchariſtiam inchoatam in baptiſmo vnionem perficit. Quiſquis in Chriſto viuere cupit, oportet, vt in vnum cum ipſo coaleſcat, prorſuſque ei conglutinetur. Conglutinatur autem Chriſto, qui per omnia, per quae inceſſit ille, incedit, quique omnia patitur & fit, quae ille. Hinc neceſſe eſt, vnumquemque carnis & ſanguinis ipſius participem eſſe, diuinaeque eius naturae conſortem fieri, ac ſepulturae reſurrectioniſque ipſius communicare. Porro cum illo commorimur atque conreſuſcitamur, cum ſacro baptiſmo abluimur, diuinitatis ipſius participes reddimur, regeſque & coeleſtis regni haeredes declaramur regio chriſmate peruncti. Carne denique & ſanguine ab ipſo aſſumtis participamus, communicamuſque, cum ſacratiſſimum panem edimus, & diuiniſſimum poculum bibimus. Hoc igitur modo in vnum cum Chriſto omnino coaleſcimus, qui caro pro nobis factus eſt, atque ipſius carnis naturam verbi ad ipſam vnione diuinam effecit, mortuuſque reſurrexit. Diuerſum tamen in hac noſtra ad Chriſtum vnione ſeruamus ordinem ab eo, quem ipſe ſeruauit. Nam vnde ille deſiit, nos initium ſumimus, & in quibus ille coepit, nos deſinimus. Quia ille deſcendit, vt nos aſcendamus, & eadem propoſita via, illius quidem opus fuit deſcendere, noſtrum vero aſcendere. Nimirum, vt in gradibus, qui poſtremus illi ad deſcenſum fuit. Ergo manifeſtum ſatis eſt, quare

[y] *Cap. I.*
[z] *Ad Hebr.*

quare baptiſmus initium, evchariſtia vero conſummatio ſalutis eſſe dicatur. Manifeſtum etiam diſcrimen inter vtrumque Sacramentum remanet. Compertum ad haec eſt, per baptiſmum ſemel tantum ad nouam vitam regenerari: per evchariſtiam vero non ſemel modo, ſed ſaepenumero vires & robur, quae poſt regenerationem peccantes amiſimus, ad ambulandum ſecundum ſpiritum nobis reddi: quique ſemel Chriſti paſſionis in baptiſmo participes fuimus, quotidie eius ſanguini pro nobis effuſo, in ſacra menſa participamus. Neque quando ſolum in cruce mortuus eſt, hominem Deo reconciliauit, ſed vbique & quemlibet noſtrum & in omni tempore ſacra ſua menſa reconciliat, quotiescunque digne expiatis per ſacramentum poenitentiae admiſſis criminibus, ad ipſam accedimus. Vnde & illud quoque inter has duas vniones, diſcrimen obſeruandum eſt. Vnio enim, quam per ſacrum lauacrum adipiſcimur, abſque vllo noſtro labore, ſudoreque nobis euenit. Illa vero, quam per Evchariſtiam conſequimur, labore, poenitentia, expiatione, lachrymiſque indiget, quippe qui vitam ac vires accepimus, non ad ſtertendum domi, ſed ad laborandum. Oportet enim cum illuxit dies, quam fecit Dominus, non amplius dormire, ſed ad opus ſe conferre, & (vt inquit Dauid) ad laborem & opus ſuum exire hominem vſque ad veſperum. Neceſſe quoque eſt comedere panem ſudore vultus, tanquam lachrymis noſtris, conſperſum. Quod innuiſſe videtur Dominus, [a] docens operari manentem cibum, quaſi praecipiens, vt non otioſi aut ſegnes ad hanc coenam, ſed operantes accedamus. Si enim ignaui a corruptibili menſa a Paulo arcentur; [b] eos, qui ad ſacram & diuinam menſam vocantur, laborare maxime oportet. Denique inter eos, qui in ſacro baptiſmate innumeris etiam patratis criminibus purgati ſunt, & eos, qui ab initio nullam labem praeter originalem culpam acceperunt, nihil diſcriminis eſt. In his vero, qui per ſacrum conuiuium purgantur, in multis peccatorum veſtigia remanent. Hoc tamen nihil

[a] *Io. 6.*
[b] *2 Theſſ. 3.*

perfectioni myſterii detrahit. Nam purgatio per Evchariſtiam peccatorem non ſuffocat, ſed peccantem tantum expurgat; ac ne id quidem abſque lachrymis & laboribus tribuit, & hoc rationi ipſi conſentaneum eſt. Siquidem Baptiſmus, nondum conſtitutis nobis, nullaque adhuc vi aut facultate praeditis, qua bonum proſequi poſſimus, vitam praebet. Quapropter non temere hanc dotem nobis elargitur, vt nulla noſtra opera indigeat, vt qui nihil ex nobis ipſis conferre valemus. Sacra vero menſa conſtitutis iam, & viuentibus nobis, qui ſufficere nobis ipſis poſſimus, propoſita, viribus noſtris & armis nobis tributis vti exigit, & quod bonum eſt, proſequi. Quippe qui neque geſtari neque attrahi opus habeamus, ſed noſtra ſponte atque impetu concitati atque impulſi currere valeamus.

Satis oſtenſum arbitror, quantum haec naturalis per Evchariſtiam vnio ab illa ſpirituali per fidem & dilectionem vnione differat. Quapropter nihil amplius addendum videtur, ad comprobandum, diuerſam eſſe ſpiritualem coniunctionem ab hac naturali vnione, quam haeretici impie adeo & impudenter negant; quam etiam nonnulli ex catholicis parum admodum in veterum Patrum libris verſati aut aegre agnoſcunt, aut agnitam diſtingui a ſpirituali coniunctione nolunt. Ex ſupradictis tamen aſſertiones ſequentes ſatis comprobatae remanent, quarum prima ſit.

Prima aſſertio.

Nos per dignam corporis & ſanguinis Chriſti ſumtionem non tantum fide & dilectione Chriſto vniri, ſed veram quandam & naturalem vnitatem cum eo conſequi.

Secunda.

Hinc ſequitur, duobus nexibus vnitos nos eſſe cum verbo, quod eſt filius vnigenitus Dei Patris, & quo ipſe carnem noſtram vniuit ſibi, cum eſt incarnatus, & quo nos viciſſim ſibi vnit, cum carnem edimus in cibo videlicet dominico. Et quoniam horum nexuum vterque per naturam carnis eſt, non per ſolam con-

coniunctionem voluntatum, idcirco inter nos & Christum naturalis quaedam vnitas est.

Tertia.

Sequitur, Ecclesiam Christi sponsam, quae corpus eius mysticum dicitur, & ex fidelibus tanquam membris constat, praeter spiritualem vnitatem, quam fides & dilectio praestant, non carere vera ac naturali cum capite Christo vnitate, non immediata, sed mediantibus singulis quibusque suis membris.

Quarta.

Caro Christi per sacrosanctam Evchariſtiam nec in animam nec in corpus nostrum permutatur, ipsa vero magis permutat animam & corpus nostrum in vnitatem substantiae suae, dum nostrae carni commiscetur atque coadunatur. Sed hoc fit citra quamuis mutationem substantiae suae. Quin ipsa potius totum hominem ad se rapit atque transformat, & incorporat ipsi Christo, animae nostrae corporisque substantia sine mutatione permanente.

Quinta.

Carnea corporis Christi moles animam non penetrat, sed gratia quaedam & virtus ex hoc cibo promanans, corpus & animam, hoc est, totum ipsum hominem reficit atque recreat mirifice. Verbum enim carni coniunctum, ac viuificatrix eius caro animae carnique nostrae copulatur, atque ita totus homo rapitur & transformatur in Christum, & illius caro nostram carnem citra continuae aut contiguae quantitatis terminos adunat sibi & incorporat eam Christo, atque ita per Christum totus homo coadunatur Patri.

His omnibus ita traditis concluſio certa & indubitata conferri, salua tamen semper sedis apostolicae ac Ecclesiae, Patrumque sententia, videtur, quae absque haeresis labe, praefatam naturalem vnionem negari non posse, docet.

Conclu-

Concluſio.

Negantes per dignam Evchariſtiae ſumtionem fideles naturalem quandam vnitatem cum Chriſto conſequi, impie in fide errare, & in Hulrici Zuinglii, Oecolampadii, Caluini, Tigurinorumque haereſim manifeſte relabi probatur.

Probatio concluſionis.

Primo, quia non poteſt negari haec naturalis cum Chriſto per Evchariſtiam vnio, quin veritas corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini contenti negetur. Nam ſi verum Chriſti corpus & verus eius ſanguis a nobis digne percipitur, quo pacto negari poteſt, non coniungi nobis naturaliter, quando per veram carnis ſuae naturam nobis coniungatur. Licet ſupra totius naturae terminos ſub ipſis panis & vini ſpeciebus, vera Chriſti caro, veruſque eius ſanguis contineatur. Vnde ii, qui vere corpus & ſanguinem Chriſti contineri in Evchariſtiae Sacramento negant, protinus naturalem vnionem tollunt, vt expreſſe Oecolampadius ſcribit, in expoſitione verborum: hoc eſt corpus meum. Oecolampadii verba referuntur a Ioanne Roffenſe, [c] Tigurinorum vero ab epiſcopo Dunelmenſi, Caluini [d] autem a Ruardo Tapper decano Louanienſi, in explicatione [e] articulorum venerandae facultatis ſacrae Theologiae generalis ſtudii Louanienſis circa dogmata eccleſiaſtica ab annis 34. controuerſa.

Secundo, praedictorum ſententia auferens praefatam naturalem vnitatem inter nos & Chriſtum, tanquam haeretica damnanda eſt, tum quia per eam negatur, quod ſacra ſcriptura nos docet, & ex illis, quae continentur in ea, euidenter coinfertur, tum quia diſſentit ab omnium ſanctorum Patrum & doctorum ſententia, qui de ea ſcripſerunt. Hae enim ſunt certiſſimae haereſeos notae, vt concors Theologorum ſententia tenet, & Alfonſus

c *Lib. 4. cap. 20.*
d *Lib. I. de verit. corp. et ſang. domin. in Euchar.*
e *Tom. 2. art. 13.*

ſus de Caſtro [f] copioſe tradit, cum Eccleſiae vniuerſalis decretum de re aliqua deeſt: quanquam ad comprobandam hanc naturalem vnitatem minime dicendum eſt, ſententiam Eccleſiae deeſſe. Quandoquidem Innocentius III. [g] in concilio generali, ad perficiendum vnitatis myſterium, nos accipere de ſuo, quod Chriſtus accepit de noſtro, teſtatur. Perfecte vniri B. Thomas [h] per Evchariſtiam cenſet, quia Chriſtus, & ipſum manducans in vnitate corporis vniuntur. Et idem Innocentius [i] alibi apertius de hac ipſa vnitate loquitur. Quam eandem eſſe cum ea, de qua in cap. [k] in Chriſto pater, tractatur, gloſſa in cap. cum Marthae, docet, in qua dictum caput in Chriſto pater pro declaratione verborum Innocentii citatur.

Quod ſacra Scriptura hanc naturalem vnitatem doceat, & ex contentis in ea manifeſte coinferatur: plura adferuntur loca; ſic ab antiquis Patribus, aliiſque doctiſſimis theologis expoſita, vt illud Joannis: [l] qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Cum in me inquit, non excludit corpus ab anima, neque in eo, qui manet, neque ab eo, in quo manet. Vnde naturalis vnio & communicatio oritur. Manſio enim vnionem & communicationem ſignificat. Et illud: Sicut miſit me viuens Pater & ego viuo propter Patrem, ita & qui manducat me, viuet propter me. Quod de naturali Chriſti filii Dei manducatione per dominici corporis eſum exponitur, quemadmodum & illud Pauli: Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt? & illud: Quia membra ſumus corporis illius de carne eius & de oſſibus eius. Et paulo poſt: erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. Et in eadem

f *Lib. 1. de iuſta haeret. punit.*
g *Cap. firmiter de ſumma Trinit. et fide cathol.*
h *In tract. de ſacram. alt.*
i *In cap. cum Mar. de celebratione Miſſarum.*
k *De conſecr. diſt. 2.*
l *Cap. 6.*

dem epiſtola expreſſe fideles corporis etiam vnitate Chriſto vniri aſſerit, inquiens: Quod aliis generationibus agnitum non eſt, filiis hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis apoſtolis eius & prophetis in ſpiritu, gentes eſſe cohaeredes & concorporales, & comparticipes promiſſionis eius in Chriſto Jeſu.

Hoc ipſum conſiderantes plerique ex patribus, non congeneres nos tantum & cognatos, ſed concorpores etiam cum Chriſto eſſe aſſerunt. Inter quos Dionyſius Pauli diſcipulus, & Joannes Damaſcenus, diſertis verbis non ſemel id affirmant, tribuentes perfectam hanc ſpiritus & corporis vnitatem diuiniſſimo corporis eius ſacramento. Quapropter communionis nomen illi proprie competere, luculentiſſimis argumentis docent.

Ab omnium ſanctorum & doctorum ſententia diſſentire plane conſtat, qui eam negat, quia nemo orthodoxorum virorum hactenus naturali huic vnitati refragatus eſt. Concordem nempe eſſe vetuſtorum Patrum & ſummorum Theologorum de ea conſenſum teſtimonia eorum toto terrarum orbe agnita ab Eccleſiae initiis confirmant, inter quos adferuntur Dionyſius Magnus, Lincolmenſis quoque epiſcopus eiuſdem Dionyſii expoſitor, Irinaeus Polycarpi diſcipulus, Juſtinus philoſophus & martyr antiquiſſimus auctor, Cyprianus, Hilarius, Cyrillus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Leo primus, Ioannes Damaſcenus, Theophylactus, Euthymius, Paſchaſius, Diuus Algerus, Anſelmus, Bernardus, Innocentius III, Albertus Magnus, Alexander de Hales, D. Thomas, Ioannes Theutonicus decretorum interpres Archidiaconus, Dionyſius Carthuſianus, Thomas Waldenſis, Cardinalis Ioannes de Turre cremata Hiſpanus, Franciſcus Picus Mirandulanus, Ioannes Roffenſis, Ioannes Gropperus, Adrianus Finus, Claudius Guillaudius Bellyocenſis, Reverendus Pater Martinus Perezius de Ayala, nunc Segobienſium, olim vero Guadixienſium epiſcopus, Colonienſis ſynodus, aſſertio confeſſionis Polonicae, Stanislao Hoſio viro doctiſſimo pariter ac grauiſſimo auctore, epiſcopo Varmienſi, & S. R. E. Cardinali digniſſimo, Louanienſis Vniuerſitatis ſententia Ruardo Tapper Louanii

uanii decano ſcriptore. Quibus adduntur ſanctus Ephren, Gregorius Theologus, Iſidorus Peluſiotes Cyrilli coaetaneus, religionis columna dictus, Gregorius Nyſſenus fratre Baſilio digniſſimus, Ammonius, ſanctus Maximus Dionyſii interpres, Nicolaus Cabaſila Methonenſis epiſcopus Vir doctiſſimus. Hi quidem omnes Graeci auctores, nec typis cuſi, nec latine adhuc editi habentur.

Cum igitur tot vetuſti auctores a primis Eccleſiae exordiis in haec vſque tempora, de eadem naturali vnitate in vniuerſum conſenſerint, dubium non eſt, vetuſtate, vniuerſitate, conſenſioneque Patrum eam corroborari. Quod vero Eccleſia ab antiquo vniuerſaliter tenuit & docuit, ex fide eſt. Aliter vero ſentientes contra fidem errare manifeſtum eſt. Ibi enim inquit Athanaſius,[m] vt Patres tradiderunt, verae diſciplinae & magiſterii argumentum, vbi eadem confitentur omnes, neque a ſe inuicem, neque a maioribus diſſentiunt. Ergo a tot patrum ſententia diſſentientes, haereticorum ſpiritualem tantum vnionem inter nos & Chriſtum aſſerentium ſententiam defendentes, inter haereticos habendi ſunt.

Neque vero commemoratorum haereticorum errori tantum fauere videntur, verum etiam Simonis, Carpocratis, Valentini & aliorum complurium vetuſtiſſimorum haereticorum damnatam haereſim reuocare, qui carnem Chriſti vim viuificatiuam habere negarunt, aut carnem noſtram non eſſe capacem vis ac virtutis e carne Chriſti viuificatrice in nos profluentis, aſſeruerunt. Illos concilium Epheſinum damnauit, patrumque decretum Neſtorio epiſcopo, tanquam haereticorum capiti, tranſmiſit. Hos Dionyſius ipſe atque poſt eum Irinaeus, aperte totum hominem a toto Chriſto ſpiritu pariter & corpore ſanatum docentes, confutarunt.

Concludatur itaque, aſſerentes, non eſſe nos vnum cum Chriſto, niſi ſola voluntate, impie in fide errare, deſciſcentes ab

m *In epiſtola de Synodo Nic. decret. contra Arrianam haereſim.*

ea, quam Patrum & Eccleſiae fidem eſſe Cyrillus [a] aperte teſtatur, & haereticorum perditiſſimorum haereſim tueri, quorum errorem per cap. [o] in Chriſto pater, extirpari, vel ex ipſa in idem caput gloſſa ſatis conſtat. Cuius verba ſic habent: Haec eſt vigeſima tertia pars diſtinctionis, in qua extirpatur error haereticorum, dicentium, filium non eſſe per eſſentiam vnum cum patre, neque nos eſſe vnum cum Chriſto, niſi ſola voluntate. Confirmatur hoc ex iis omnibus, quae ab auctoribus ad comprobandam naturalem cum Chriſto vnionem, ex Chriſti inſtitutione, verbiſque eiuſdem ac Pauli apoſtoli clariſſimis traduntur, quae etiam nonnullis veteris Teſtamenti figuris ac dictis ſignificata fuit, rationibuſque compluribus adſtruitur, complurium etiam ſanctorum patrum fide & auctoritatibus corroboratur. Adde quod praedictam vnitatem negantes nullius orthodoxi teſtimonium pro ſe habent; maxime etiam in eo immenſitati amoris Chriſti erga humanum genus derogant: diuinum praeterea peculiaremque corporis & ſaguinis Chriſti fructum tollunt: dignitatem etiam eximiam carni noſtrae adimunt, ipſamque animam incredibili fiducia & gaudio priuant; & quod deteſtabilius omnibus eſt, veritatem ipſius corporis & ſanguinis Chriſti in ſacramento evchariſtiae contenti, tollentes, contra ſacram ſcripturam, Patrum conſenſum, Innocentii Eccleſiaeque ſententiam praefatam, naturalem vnitatem labefactant, ſi non omnino negant.

Haec omnia, quae ſuccincte ac breuiter hiſce aſſertionibus comprehenſa ſunt, copioſe accurateque a nobis quatuor libris de naturali hac cum Chriſto vnitate, quam fideles per dignam Evchariſtiae ſumptionem conſequuntur, conſcriptis pertractantur, in quibus haec capita continentur.

Capita libri primi.

1. Prooemium in librum primum.
2. De nominibus Evchariſtiae.

3. Cor-

[a] *In Ioannem lib. 10. cap. 13.*
[o] *De conſecr. diſt. 2.*

3. Corroboratio prima, in qua veritas naturalis vnitatis carnis Chriſti nobiſcum, & noſtri cum Chriſto per corporis & ſanguinis eius Evchariſtiam ex Chriſti inſtitutione comprobatur.
4. Corroboratio ſecunda: verbis eiuſdem Chriſti confirmatur.
5. Corroboratio tertia: clariſſimis Pauli verbis fulcitur.
6. Loci illius Pauli ad Epheſ. 5. explicatio: quia membra ſumus corporis illius, de carne eius & de oſſibus eius.
7. Corroboratio quarta: nonnullis veteris teſtamenti figuris ac vaticiniis ſtabilitur.
8. Corroboratio quinta: conſenſu Patrum tum veterum tum recentiorum eadem corroboratur.
9. Corroboratio ſexta: rationibus aliquot adſtruitur.
10. Corroboratio ſeptima: negantes praedictam vnitatem nullius orthodoxi teſtimonium adferunt.
11. Corroboratio octaua: Immenſitati amoris Chriſti erga humanum genus maxime derogant.
12. Corroboratio nona: diuinum peculiaremque corporis & ſanguinis Chriſti fructum tollunt.
13. Corroboratio decima: dignitatem eximiam carni noſtrae adimunt, ipſamque animam incredibili fiducia gaudioque priuant.
14. Corroboratio vndecima: a ſanctorum Patrum ſententia diſſentientes, haereticorum erroribus conſentiunt.

Capita ſecundi libri.

1. Tres aſſertiones ex ſupra adductis adſcribuntur, & nonnulla quae difficilem reddunt naturalis vnitatis aſſertionem, referuntur.
2. Rationes & argumenta vndecim adverſariorum enumerantur.
3. Abſurda nonnulla, quae ſequuntur ex naturali cum Chriſto vnitate iudicio aduerſariorum.
4. Innocentii, Clementis, concilii Tridentini decreta, contra naturalem cum Chriſto vnitatem.

5. Auctoritates ſanctorum Patrum, quae aduerſari videntur naturali vnitati.
6. Reſponſio ad primam obiectionem.
7. Reſponſio ad ſecundam obiectionem.
8. Reſpoſio ad tertiam obiectionem.
9. Reſponſio ad quartam obiectionem.
10. Reſponſio ad quintam obiectionem.
11. Reſpoſio ad ſextam, ſeptimam & octauam obiectionem.
12. Reſponſio ad nonam obiectionem.
13. Reſponſio ad decimam obiectionem.
14. Reſponſio ad vndecimum argumentum.
15. Reſponſio ad monſtra, adſurdoque abſurdiora, quae ex hac naturali vnitate conſequi affirmant.
16. Quot modis vnitas & vnio accipiantur.
17. De naturae & naturalis vocum ſignificatione.
18. Reſponſio ad Innocentii Conciliique generalis decretum.
19. Reſponſio ad Clementis conſtitutionem.
20. Reſponſio ad decretum Concilii Tridentini.
21. Reſponſio ad Irinaeum.
22. Reſponſio ad Cypriani verba.
23. Reſponſio ad Origenis auctoritatem.
24. Reſponſio ad Athanaſii verba.
25. Reſponſio ad Ambroſium.
26. Reſponſio ad Hilarium.
27. Reſponſio ad Cyrillum.
28. Reſponſio ad Auguſtinum & Bernardum.
29. Reſponſio ad Hugonem.
30. Reſponſio ad id, quod de Thoma aliiſque doctoribus refertur.

Capita tertii libri.

1. Quid libro tertio tractetur, proponitur, ac duo notanda ex contentis in ſecundo libro apponuntur.
2. Quaenam vnitas ſit, de qua agitur.
3. Ratio ſeu deſcriptio potius naturalis cum Chriſto vnitatis per dignam Euchariſtiae ſumptionem. 4. Ac-

4. Accuratior declaratio naturalis noſtrae cum Chriſto vnionis.
5. De ſpiritualis cum Deo vnitatis cauſſa & appellatione.
6. De naturalis vnitatis cauſſa appellationeque, per quam caro Chriſti & naturaliter ei vniti caro, vna caro dicitur.
7. Quare naturalis vnitas a patribus nuncupata ſit, diligentius indagatur.
8. Veterum patrum ſententiae de hac naturali vnitate, quae vel per exaggerationem, aut parum proprie dictae videntur, exponuntur, ac de duplici conuerſione, altera, quae per dilectionem, altera re ipſa, agitur.
9. In ſacris literis qualitatum mutatio, etiamſi eſſentia non mutetur, conuerſio dicitur.
10. De ſignificatione verbi: commiſceri.
11. Quid noſtri in carnem Chriſti conuerti dicatur, quid per carnem Chriſti intelligatur.
12. Iſidori Peluſiotae verborum declaratio, quibus naturam noſtram virtute ſacrorum myſteriorum in carnem Chriſti deſinere aſſerit.
13. Quid noſtri in carnem Chriſti conuerti dicatur, amplius declaratur.
14. Quo ſenſu accipienda ſint Irinaei verba, quibus dicit, Evchariſtia carnis noſtrae ſubſtantiam ali, augeri & conſiſtere.
15. Qua ratione vna caro dicatur Chriſti caro, & caro digne ipſius corpori communicantis.
16. Qua vnitate fideles vnum ſint inter ſe, quotuplici etiam vnitate Chriſtus & eius membra copulentur, & Chriſto mediatore patri etiam vniantur.
17. De accidentalibus naturalis noſtrae cum Chriſto vnionis proprietatibus.
18. Qualem vetuſti Patres coniunctionem cum Chriſto corporalem eſſe dixerint.
19. Exponuntur Cyrillus & Chryſoſtomus, aliique priſci auctores, qui immiſtionis diuerſarum cerarum aut commaſſationis ſimilitudinibus vtuntur.

20. An

20. An Chriſtus in ſacramento Evchariſtiae per modum ſubſtantiae fidelibus vniatur, quodque hoc modo vnitur, non indigere quantitate extenſiua.
21. Solutio aliquot obiectionum contra aſſertam ſubſtantialem vnionem per modum ſubſtantiae.
22. De qualitate naturalis cum Chriſto vnitatis.
23. De operatione naturalis cum Chriſto vnionis.
24. Qualis eadem corporalis coniunctio ſit circa paſſionem.
25. Qualis eadem coniunctio ſit circa locum.
26. Quanto tempore duret haec vnio, & quo tempore coeperit.
27. An ſub certo aliquo ſitu ſit haec coniunctio.
28. Quomodo ſe habeat quoad habitum.
29. De vnitate ſpirituali naturalique corporis Chriſti myſtici membrorumque eius cum ipſo Chriſto exactior indagatio.
30. Haud alienum eſſe a Chriſto manere in membris ſuis tam per Spiritus ſui communicationem, quam per ſui corporis coniunctionem.

Capita quarti libri.

Cap. 1. Prooemium in librum quartum.
2. Rationes decem, quae cuius gratia naturalis vnitas ſit, oſtendunt.
3. Vnio, de qua agimus, praeſtat, vt noſtra vnitas cum Chriſto, ac, Chriſto mediatore, cum Deo perficiatur, eoque ipſo arctiſſimo & ineffabili quodam nexu cum Patre & Spiritu ſancto vniamur.
4. De corpore Chriſti myſtico, & qua vnione Dei typus & figura dicatur, deque arctiſſima membrorum illius cum Chriſto vnitate.
5. Quo pacto homines in vnum cum Deo corpus redigantur.
6. De vnitate, quae per manducationem obtinetur.
7. Vt Chriſtus homo, & Deus homini anima & corpore conſtanti, ſpiritu & corpore coniungatur, animae quidem, vt Deus, corpori autem, vt homo, eoque ipſo duplici nexu ipſe Chriſtus

ſtris nos ſibi coniungat, qui vno tantum Deo ſpiritu ſcilicet copulamur, quo etiam angeli ipſi Chriſto coniungantur.

8. Vt ſanctum coniugium inter animam noſtram & Chriſtum eius ſponſum, quod per baptiſmum contrahitur, per corporalem cum Chriſto coniunctionem perficiatur, ac non tantum contractum voluntatis conſenſu ſit, ſed etiam velut carnali copula conſummatum, dum per hoc ſacramentum vna caro ſponſa cum ſponſo fit.

9. Vt myſtici corporis ſui membra mente & ſpiritu ipſi incorporata vno pane veſcentia, vnoque calice participantia arctiſſimo vnitatis nexu inter ſe conglutinentur.

10. Vt in eo ſacrificio, quod Deo acceptiſſimum offerimus, noſmet ipſos, vno non ſpiritu ſolum ſed & corpore filio eius vnigenito inſitos, gratam quoque Deo hoſtiam, carnem ſcilicet noſtram peccato antea mortuam, carni Chriſti mundae vnitam atque vnum cum Deo effectam, offeramus.

11. Vt naturam humanam, quam in diuinae perſonae vnitatem tractam adeo extulerat, nobis viuificae ſuae carnis ſanguiniſque eius pretioſi communione corporaliter ſibi vnitis, ſingulariter communicaret.

12. Vt nihil in nobis ex Adae maſſa infectum remaneat, quod congruenti remedio non curetur.

13. De ſanctificatione totius hominis per corporalem cum Chriſto vnionem tam quoad animam, quam quoad corpus.

14. Vt quos Diaboli peruerſitas a Deo ſeparatos procul abduxerat, Chriſti benignitas ipſi Chriſto, omni ſeparatione excluſa, arctiſſima coniunctione conglutinet.

15. Vt arctiori corporis ſui coniunctione ſibi ſpiritualiter coniunctos vniat, quam communi vinculo, quo ſecundum communem carnis humanae proprietatem, ſceleratus quiſque ei communicat.

16. Vt carni noſtrae vim ac virtutem viuificatiuam inſereret, quae quaſi ſemen quoddam in ea eſſet, quod immortalitatem & incorruptionem praepararet atque renouaret.

17. Prima probatio. Rationibus vis illa viuificatiua comprobatur.
18. Probatio ſecunda ex Chriſti & Pauli verbis elicitur.
19. Probatio tertia, Patrum teſtimoniis Eccleſiaeque traditione fulcitur.
20. Pauli locus in epiſtola ad Theſſal. cap. 5. vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela &c. declaratur.
21. Probatio quarta. Concilii Niceni auctoritate ac apoſtolica traditione conſtabilitur.
22. Reſponſio ad primam obiectionem.
23. Reſponſio ad ſecundam obiectionem.
24. Reſponſio ad tertiam obiectionem.
25. Neceſſariam eſſe ſacramentalem manducationem, fidemque abſque Evchariſtia non prodeſſe ad vitam aeternam.
26. Antiqui Patres, & qui poſt Chriſtum ſine Evchariſtia diſcedunt, myſtici corporis membra abſque naturali vnione exiſtere.
27. Reſponſio ad confirmationem quartae obiectionis.
28. Differentiae inter baptiſmum & Evchariſtiam nonnullae annumerantur.
29. Quinta differentia inter baptiſmum & evchariſtiam aſſignatur.
30. Sexta differentia inter baptiſmum & evchariſtiam.
31. Quare baptiſmus abſque noſtro labore nos perficiat: evchariſtia vero laborem exigat, cum breui operis epilogo.

ANNOTATIO.

Annus, quo huius diſſertationis autor, Franciſcus de Mendoza, Hiſpanus, in lucem editus fuit, haud eſt ſatis cognitus hiſtoricis. Non contentus mendaci, vt vocabat, maiorum ſuorum nobilitate, veram virtutis nobilitatem toto vitae ſuae curſu ſibi comparare conniſus eſt. Cum in academia Salmaticenſi publice cum laude docuiſſet, ex archidiacono Toletano factus eſt epiſcopus Caurienſis, ac tandem, precibus Caroli V. anno 1544. ſub Paulo III. cardinalis presbyter, et demum epiſcopus Burgenſis. Annos natus LVIII. vivendi finem fecit anno 1566. in civitate Burgenſi, vnde corpus Conchum translatum, ac in Mendozarum ſacello ſepultum eſt. De vita eius expoſuit Oldoinus tom. III. col. 690.

CXXXVI.

Caniſius Hoſio.

Bauarum acriter pugnare pro impetrando calicis vſu: Maximilianum II. Romanorum regem, videri Romanae eccleſiae addictum.

Mitto Gallicam editionem operum, quae poſtulauit a me Celſitudo tua, quam etiam atque etiam rogo, vt ſicut confeſſionem recognouit, ita reliquas eiuſdem operis partes relectas, & ſi videbitur, locupletatas in Germania edi iubeat. Magno enim conſtat haec editio Pariſienſis. Nec deſunt epiſtolae eiusdem autoris, quas apud Secretarium latere noui, quae nouam editionem pulchre illuſtrarent. Accederet liber de oppreſſo Dei verbo, & ſi quae ſunt id genus alia, vt eſſe non dubito, lectu digna hoc tempore. Ignoſcat mihi benignitas tua, quod non rogatus libere dicam quae ſentio, vt moneam ſapientem, & commodo publico inſeruiam. Illud mihi pergratum fuit audire, quod ab Hiſpano quodam oratio Fabritii confutetur, quodque nunc ſcribitur de proſtratis in Gallia Caluinianis. Faxit Dominus, vt Catholici hac praeclara victoria felicius vtantur, quam Caeſar fuit vſus in Germania. Nam quae conſequuta eſt in religione pax, quouis bello ea videri poteſt nocentior ac pernitioſior. Comes a Luna nondum reſpondit, quid reſponſi acceperit a rege, poſtquam litteras tuae dignitatis coram reddidit. Sunt qui illi diſſuadent, quo minus ad regem ipſe veniam, eumque coram ſalutem. Deliberabo cum amicis, quid fieri conueniat magis. Aula certe paucos fouet catholicos. Dominus paternam pietatem in filiis augeat conſeruetque. Antuerpiam litterae acceptae cito mittentur. Audio Principem Bauariae magis quam Caeſarem pro calice concedendo certare. Dominus Principes noſtros ſuper petram magis magiſque fundatos eſſe concedat, vt ſeparationis conſilia nulla ex parte ſequantur. Adieci librum

nouum Iulii Firmicii, quem praefatione ſua defoedauit Illyricus. Illud de rege noſtro libenter intelleximus, inuitatum illum ſerio a Principibus Lutheranis ad ipſorum, non Dei, verbum audiendum, cum in itinere eſſet, nihil illis loci tribuiſſe. Habiturus hoc loco dicitur concionatorem Gurzenſem epiſcopum. Dominus nouum annum ſynodo & praeſtantiae tuae proſperet ad communem Eccleſiae vtilitatem. Auguſtae poſtridie Calendarum 1563.

CXXXVII.

Caniſius Hoſio.

Commendat medicum e Turcica captivitate reducem.

Cum huc veniſſet Doctor Molon Hiſpanus Medicus ex captiuitate Turcica liberatus, egi cum illo familiariter. Nec potui diſcedenti amico negare operam, cum poſtularet literas ad amplitudinem tuam commendatitias. Optabat iſthuc quoque perferre ſarcinam, quam heri veredario tradidi, vt hoc volumen ſemel & iterum expetitum maturius iſthuc perueniret. Nunc nihil quod addam habeo, niſi quod cupiam bonum & inſignem hunc medicum de meliore nota commendatum haberi. Ex illo multa & ſcitu digna de Chriſtianis apud Turcos miſere vinctis & ſeruitutem miſerandam ſeruientibus intelligentur. Dominus conſoletur electos & colligat oues errantes. Auguſtae 4. Ianuarii M.D.LXIII.

CXXXVIII.

Cardinalis Auguſtanus Hoſio Roma Tridentum.

Bene vtendum victoria, qua Hugonotae profligati ſint: multos religionem obtentui ſumere.

Quas mihi apud Amplitudinem tuam gratias egit Franciſcus Commendonus epiſcopus, eae mihi ex ea parte gratiſſimae fue-

fuerunt, quod & illum intelligere gaudeo, quantopere te colam atque obſeruem, & te ſcire illum ipſum a me valde amari laetor. Ceterum illa gratiarum actio ſuperuacanea fuit, cum quod facio eius cauſa, minimum ſit prae eo, quod debeam, nec proficiam, quantum eius dignitas poſtulat, cui deberi omnia video. Victoriam moderetur Deus, vt ea victores ad eius gloriam vtantur, per quem vicerunt: qua in re maior eorum virtus elucebit, quam in praelio enituerit. Diuinum ius, quod frequentes iſtic habent in ore, mallem in animo haberent. Sed dum ad id referunt omnia, humani iuris & officii obliti videntur. Hinc facile intelligimus, & non eſſe facilem religionis colendae rationem, & eſſe difficilem eius ſimulationem diuturnam. Sed bene, quod iam vident omnes, quantum vnicuique credendum ſit. Vergerii nebulonis ſcripta minus obſunt piorum rationibus, quam inanes contentiones eorum, qui ſuis cupiditatibus pietatem ac religionem praetendunt. Sed Deus iſta gubernabit. Cupio R. D. tuam valentem & vigentem eſſe. Roma die XXX. Ianuarii MDLXIII.

CXXXIX.

Caniſius Hoſio.

Miſeram concilii faciem deplorat, diſſidiaque et principum conatus improbat.

Tardius, quam putabam, ſum Auguſtam reuerſus, & mox euangelizandi munere impeditus, huc vſque nihil reſcripſi. Et magnas inprimis gratias debeo amplitudini tuae, quae praeſentem concilii ſtatum tam graphice, tam ſapienter & familiariter aperit indigno mihi, ſuaſque curas & cogitationes graues explicat de ſummi momenti negotio, quod ſummo iure piis omnibus cordi eſſe debebat. Acceſſit autem his tantis motibus,

quos ſatis deplorare non poſſumus, inexpectata mors Illuſtriſſimi Cardinalis & primarii legati D. Mantuani, cuius animam Chriſtus concilio beatorum intereſſe concedat. Vtinam vero laetiora breui ſuccedant, vt miſertus Eccleſiae ſuae viduae Chriſtus, multorum piorum, qui matris afflictae calamitates deplorant, & lachrymas reſpiciat, & eorundem comprecantium vota exaudiat. Conſilium ad rem tantam bene gerendam domi noſtrae non ſuppetit: dolemus tantum, ex reformatoribus quoſdam deformatores eſſe velle, & gubernatores ad ſedandam maris tempeſtatem vix tandem collectos, cum praeſens ob oculos imminet naufragium, non coniunctis animis & viribus ſuccurrere naui periclitanti, quin potius nouas illic turbas excitare, & morbos augere potius, quam aegrotis mederi. Illud vero inprimis ad ſatanae tentationem referre cogimur, quod via muniatur a quibuſdam, ad oppugnandam & labefactandam illius autoritatem, qui vnus in huiuſmodi controuerſiis dirimendis fuit ſemper & eſſe debet iudex primarius & princeps Eccleſiae, non humano, ſed diuino iure a Chriſto ipſo, Chriſtique loco conſtitutus. Huic nunc omnes detrahere & obtrectare: huius ſupremam & neceſſariam nobis autoritatem obſcurare & eleuare contendunt: qui gradus eſt, ni fallor, proximus ad illam diſceſſionem introducendam, quam apoſtolus Paulus cum veri Antichriſti tempore coniunxiſſe videtur. Eodem prope ſpectant conſilia Principum, ſi quis rem omnem expendat diligenter: quaſi catholico nomine contenti illi, non oues eſſe curent paſtoris Pauli quarti, aut Pii quarti, ſed iudicum potius ac reformatorum munus ſibi ſumere debeant in Pontifices & Patres, totumque ordinem eccleſiaſticum. Quare non poteſt Illuſtriſſimorum legatorum iſthic prouincia non duriſſima eſſe, vbi praeſentes & abſentes adeo ſunt morоſi & iniqui rerum aeſtimatores, hi praeſertim, qui cauſam ſynodi & legatorum conſilia ſummis etiam viribus confirmare ac promouere debebant. Verum per viſcera miſericordiae Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti rogo & obſecro, vt in his difficultatibus, curis, oppugnationibus, diſceptationibus, clamoribus

ribus & angoribus bono & patienti animo esse velit pietas tua, nihilque sua sapientia & grauitate dignius arbitretur, quam hos duros acerbosque casus animi magnitudine & praesentis Christi gratia superare, spemque omnem in illo defixam habere, qui certus Ecclesiae suae custos, tutor & conseruator est, fuitque semper, vt proinde nullae inferorum portae, nullaeque aduersariorum machinae aduersus petram possint praeualere. Hoc vnum non praetermittam, sermonem mihi fuisse cum Caesaris consiliario, cui valde probata est sententia dignitatis tuae, cum illi forte litteras ad me datas praelegerem, & spero, haud frustra illi praelectas esse, cum catholicae religioni sit multum idem addictus, & hanc nouam reformandi rationem, quae ad optatam reformationem nobis praecludit viam, improbet sapienter. De Germanicis rebus nihil noui habeo. Iuniores Saxoniae Principes ad Caluinismum inclinant, aut fortasse iam penitus declinarunt. Rex Romanorum & Bauariae princeps abitu suo quietiorem nobis Augustam reliquerunt. Christum opt. max. precor, vt amplitudinem tuam in vtroque homine diu nobis & Ecclesiae incolumem tueatur. Misit ad me D. Henricus inclusam paginam, vt specimen daret noui operis, quod noui characteres commendant. Verum nullas adiunxit litteras Tridentum perferendas. Natalis noster non multo post, Christo duce, Viennam petet, ac deinde Boëmiam: iuuat autem consiliis R. Nuncium apostolicum. Salutem ex me dici cupio R. Domino Commendono, cui capita rerum a Caesare mihi propositarum ostendi. Augustae II. Martii 1563.

CXL.

Borromeus Hosio.

Dolet Mantuani mortem, sententiamque pontificis de variis capitibus perscribit.

Quod communibus litteris scribo, eiusmodi est, vt priuatis etiam Reuerendissimae D. V. litteris satisfacere possit: tamen

men illud praetermittere non poſſum, Sanctiſſimum D. N. magnam eius doloris partem, quem ex Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Cardinalis Mantuani morte ſummum cepit, in ſingulari prudentia ac virtute Reuerendiſſimae D. V. collegarumque deponere: & in ipſorum ſapientia conquieſcere. Quod cum Reuerendiſſima D. V. locutus eſt Clareuallenſis Abbas, id ab optimo animo profectum videtur; cui quod reſpondit D. V. Illuſtriſſima vehementer Sanctiſſimo D. N. probatum eſt. Reſponſio item illa ad Patrem Sotum appoſita & prudens ei viſa eſt.

Quod ad VII. & VIII. canonem attinet, caeteraſque difficultates; multis meis ad Reuerendiſſimas Dominationes V. litteris ſententiam expoſui Sanctiſſimi D. N. vt nihil opus ſit illa repetere, ſed totum id ad veſtram prudentiam referre.

Quas litteras dedit D. V. Reuerendiſſima ad epiſcopum Numburgenſem, eae gratiſſimae fuerunt Sanctiſſimo D. N. quippe quae eſſent prudentiae refertae & pietatis, idemque valde probat ſignificationem illam & expoſitionem praeſentis concilii ſtatus, & Tridentinarum actionum.

Quod ſcribit de Illuſtri illo viro, qui cupit ſibi facultatem coniugii concedi, & de Cardinali Caſtilione; D. V. Reuerendiſſima ſibi & aliis perſuadere poteſt, hic in altero caueri, vt oportet, in alterum agi, vt debet: & propediem de eius priuatione D. V. Reverendiſſima certior fiet. Quod ſi hactenus non eſt factum, id non Sanctitatis ſuae voluntati, quae iampridem citationes emiſit, ſed difficultati earum exequendarum tribuendum eſt. Reformatio vero quotidie melior & explicatior fit, ita vt S. D. N. conſilia & optima & in reipublicae ſalutem defixa eſſe ab omnibus intelligantur.

De Canonicatu Friſinburgenſi dabo operam diligenter, vt prouideatur concionator Illuſtriſſimi Ducis Bauariae. Praeclarum enim teſtimonium Reuerendiſſimae D. V. de eius probitate & religione tanti eſt apud me, vt maiora etiam eius cauſa cupiam, ſed erit neceſſe, vt aliquis hoc negotium apud Datarium curet.

Haec

Haec autem habui, quae reſponderem ad Reuerendiſſimae D. V. litteras datas die 18. Februarii & prima ac tertia Martii. Et eius me gratiae quam humillime commendo, rogoque, vt Abbati Clareuallenſi meo nomine plurimam ſalutem dicat, eique operam & ſtudium meum omne polliceatur & deferat: amo enim pium illum virum ex animo, & eius cauſa plurimum cupio. Datum Romae die XIII. Martii MDLXIII.

CXLI.

Auguſtanus Hoſio.

Deflet obitum Mantuani ac Seripandi, commendatque novos legatos.

Vergerii turpiſſimi conuitiatoris maledicta contemnamus, immo vero gaudeamus illius praeconiis noſtrae laudis, qui cum impuriſſimam linguam exercuerit in ſanctiſſimam parentem eccleſiam, inſectandis eccleſiae filiis, non laedit eos ſed illuſtrat. Ad Numburgenſium epiſcopum, cum me per litteras de iſto ſucceſſore docuiſſet, ſcripſi, quam res difficultatem hic haberet. Perſpiciam animos eorum, per quos agendum eſt, & tum Reuerendiſſimam D. T. faciam certiorem. Nunc me angunt, me excruciant pene coniunctae mortes illorum ampliſſimorum collegarum tuorum, omni virtutis genere ornatiſſimorum, praeſertim grauiſſimo hoc Eccleſiae tempore: cuius doloris acerbitatem exagitat caedes illa ex inſidiis fortiſſimi illius, & inprimis pii Principis, Guiſiae Ducis, vt ſublatis his ſubſidiis, quibus noſtra cauſa fulciebatur, verſari videar in magno ruinae periculo, niſi Deus nos propterea orbat patrociniis hominum, vt omnem auxilii ſpem in eo collocemus, quod ita ſperandum eſt, & eius imploranda miſericordia. Reuerendiſſimam quidem D. T. oro & obſecro, vt valetudini, vt ſaluti ſuae conſulat. Eius cautio Dei Eccleſiae cau-

tio eſt, nec video, quod ad homines attineat, in quo maior ſpes reponenda ſit meliorum rerum. Veniunt ad vos collegae duo ſuffecti in demortuorum locum, magni viri, prudentia, litteris, & vſu rerum ampliſſimi. Spero eos magno rebus adiumento futuros. Deus ſit nobis propitius, & Reuerendiſſimam D. T. ſaluam & valentem conſeruet. Roma nono Calend. Aprilis MDLXIII.

ANNOTATIO.

Ex quatuor cardinalibus, quos Pius IV. concilii Tridentini praefides conſtituerat, Mantuano, Seripando, Hoſio et Simonetta, * duo priores Tridenti anno 1563. diem ſuum obierunt, quod prolixe narrat Pallauicinus libro XX. capitibus VI. VII. Mantuano ſucceſſit in concilio dirigendo Moronus, de quo ſupra p. 145. quaedam annotata ſunt. Seripando ſuffectus eſt Bernhardus Navagerius, Venetus, natus anno 1507. denatus anno 1565, Cardinalitiam dignitatem Pius IV. ei contulit anno 1561. Ob quas animi dotes Tridentum miſerit Pius, Pallavicinus docet dicti libri capite VI. numero IV. Vitam eius deſcripſit Oldoinus tomo III. de vitis Pontificum Romanorum columna 940

* *Vide Harduini concilia to. X. col. 114.*

CXLII.

Caniſius Hoſio.

Summo ſtudio diſſuadet calicis conceſſionem.

Poſtulauit a me amplitudo Tua, vt ſententiam meam de calicis negotio ſcriberem: hoc enim iterum iſthic vrgeri, veluti non minor inde fructus ſit ſperandus, ſi calix ſacer populo permittatur, quam metuendum periculum, ſi negetur. Ego vero quo diutius in Germania verſor, quo plura etiam lego, audio & obſeruo, quae ad rem tantam nimiumque decantatam pertinent, eo magis confirmor in hac ſententia, quam mihi cum cordatiſſimis & Chriſtianiſſimis in Germania viris communem eſſe ſcio,

ſcio, plus nimirum incommodi & periculi accerſiri conceſſione calicis, quam recuſatione. Quid ante annos 20. permitti nonnullis & indulgeri potuerit, iam non diſputo: quid vero Germanis noſtris hoc rerum ſtatu expediat, id ſolum a me rogari arbitror. Video autem inprimis epiſcopos Germanos, ſi rogati dicent, quod ſentiunt, vt ſaepe dixerunt, ab vſu calicis recipiendo vt plurimum abhorrere. Animaduerto Paſtores & Doctores paſſim imperitiores eſſe, quam vt populum de nouo illo ritu communicandi, quemadmodum par eſſet, inſtruant. Intelligo radices errorum in animis popularibus altius haerere & firmius, quam vt Concilii vel Pontificis ſarculo amputari & extirpari poſſint. Iudico irritum fore conatum, & bonam hominum partem prorſus repudiaturam id, ſi quod offeretur, beneficii, cum proponentur conditiones neceſſario praeſcribendae & exigendae, ſi vſus calicis debeat laicis ſalutaris eſſe. Certo mihi videre videor ingentem animorum in catholica parte diſtractionem & offenſionem, neque minorem in aduerſaria parte prophanationem, & aduerſus catholicos, aut vnius ſpeciei amantes inſultationem confidentiſſimam fore proſpicio. Verſatur ob oculos citra diſcrimen ad altare ſanctum oues & haedos admitti, nulloque prorſus ſymbolo ſectarios a Catholicis palam internoſci poſſe. Praeuideo multiplex periculum, ſi hac ex parte ſemel irruptio fiat in limites & aggeres, quos circundedit Chriſtus Eccleſiae ſuae. Horreo cogitans aperiri viam nouationibus, effuſionibus, prophanationibus, quae cauſam non minimam dederunt, vt tot ſaeculis voluerint & debuerint laici panis tantum ſpecie eſſe contenti. Non dubito, multas & graues haereſes, ſi calix porrigatur, confirmatum ſimul & introductum iri. Quid multis? Ita mihi perſuadeo, deteriores Germanos hac noua conceſſione fieri poſſe, meliores reddi non poſſe, ſiue Catholicos, ſiue ſectarios, ſiue ad nouandam religionem procliues conſideremus. Ex mille, qui calicem tantopere vrgent, vix vnum reperiemus, qui ſe in reliquis cum Eccleſia Romana ſentire & ſtare velle profiteatur, quique graues errores a ſectariis acceptos & ab Eccleſia catholi-

ca Romana damnatos eximi ſibi patiatur. Et fortaſſe nulla natio, nulla prouincia, nulla ciuitas, nullus epiſcopus (vt equidem arbitror) a Synodo hanc facultatem dari petit, vt graues ſaltem ob cauſas vſitatus ritus communicandi laicis immutetur. Non moror interim, quid Principes nonnulli faciant; ſed haud obſcurum eſt, quid illi ſpectent, quorum nitantur conſiliis, quam ſequantur ducem prudentiam: temporalia non minus quam ſpiritualia quaeri cernimus. Specioſus eſt quidem praetextus pacis & tranquillitatis publicae ſtudium & conſeruatio; ſed infirma, miſera & poenitenda concordia mihi videtur, quae conſociat homines nullis certe religionis foederibus inter ſe colligatos, & in multis verae doctrinae partibus variantes planeque diſſentientes. Quae vnquam iniri pax & ſolide conſtitui poſſit quaeſo inter eos, qui de ſacroſanctis Eccleſiae Sacramentis contrarias tuentur ſententias, & iugum obedientiae magiſtratibus eccleſiaſticis debitae ſimul probant & damnant, ſuſcipiunt & excutiunt?

Verum longius, quam oporteat, haec ego perſequor, & ad Germanos redeo, pro quibus Calix poſtulatur. Pro quibus autem? Pro Auſtriacis? Hi iam oues eſſe maxima ex parte deſierunt, & ſiue concedatur, ſiue negetur calix, non ſinent eum eripi ſibi, quem fidenter vſurpant, quia luporum magis quam paſtorum vocem ſequuntur. Sanabiliores hactenus Bauari fuere, ſed quorum contentiones in proximis comitiis Ingolſtadii celebratis ſatis oſtendunt, quantum & hi veneni hauſerint ex vicina miſereque corrupta Auſtria. Igitur auditae ſunt illic voces multorum, calicem a ſolo Principe concedi ſat eſſe, non expectandum, quid Papa, quem abominationem dixerunt, aut quid Papiſtarum concilium hic largiatur, non in ſacrificio Miſſae, ſed domi potius hoc Sacramento ſe vti velle. Placauit illos vt potuit Princeps, relicta promiſſione quadam, ſe tentaturum, ſi quid forte poſſet apud Eccleſiaſticos obtineri: quod autem ad ſe attineret, ab vnitate & obedientia veteris Eccleſiae ſe nunquam diſceſſurum, tum neque ſe Confeſſionem Auguſtanam amplexurum aperte profeſſus eſt: interea vero ſi qui calice vellent vti, ſe non

eos

eos puniturum. Non dicam de Iuliacensi Duce, qui annis abhinc aliquot calicem populo porrigi non grauatim sustinet. Dux Brunswicensis senior tantundem suis permittere subditis dicit. Nouit dignitas tua religiosum & praeclarum Caesaris animum, cui nos quidem permultum debemus. Quare committere non potui, quin optimum Principem & Mecaenatem his diebus rogarem, vt sic tractaret causam Calicis, ne suam grauaret ipse conscientiam pro illis intercedendo, qui vtplurimum non a sacro tantum calice, sed etiam a sacris omnibus arceri prorsus merentur, indigni profecto, quibus sanctum porrigamus. Nam experientia teste videmus, istiusmodi nouandae religionis libidine permotos, ab omni fere catholica sinceritate magis ac magis abduci, diuini timoris expertes esse, Confessionis Sacramentum fastidire, Matri Ecclesiae minus tribuere, quam sectariis fere omnibus, Papam demum & concilium tantum non pro ludibrio habere. Respondit vero Caesar, se non vrgere modo calicis negotium, cum non satis videat, qua possit ratione rem tanti momenti promouere: sat enim negotii praebet illi negotium Reformationis, quod cordi magis habere videtur. Quanquam nolim haec ad alios, praesertim Caesari addictos, peruenire, & fidenter ago cum vno summoque Patrono. Nec possum in aliam venire sententiam, vt semel absoluam, nisi vt putem, planeque mihi persuadeam, a sacris arcendos, & ab electis Dei Ecclesiaeque filiis plane disiungendos esse, qui sunt hoc tempore sacrilegi, apostatae, sectarii, schismatici, excommunicati, qui praeterea, licet catholici videantur, opinionem necessitatis huc adferunt, & priuatum sensum communi Ecclesiae iudicio & authoritati anteponunt. Tales enim in Germania comperimus esse, qui non tam petunt calicem, quam extorquere contendunt, nullum postea modum aut finem in petendo facturi, si ipsorum importunitati semel episcopi cesserint, sicuti principes magno suo & publico malo cedere pergunt, vt hinc istorum furoribus sursum deorsum misceri omnia videantur. Quid enim boni vnquam effecit aut efficere possit in rebus sacris & diuinis

apud vulgus indulgentia & indulgens relaxatio legum Eccleſiaſticarum? Verum enim vero ſatis nota refero & ſcribendi modum excedo, dum in ſinum veluti paternum effundo, quicquid in mentem venit: quare maiorem in modum precor, vt haec mea loquacitas, quae per ſe faſtidioſa eſt, boni conſulatur. Faxit Chriſtus optimus maximus, vt nihil authoritate Eccleſiae publica concedatur, quod ſanctiſſimi ſacramenti cultum & honorem imminuat, & catholicam ſinceritatem labefactet.

De libellis ad me miſſis gratias ago ſingulares: dolemus vicem Galliae, in qua ſectarii rerum potiri modo videntur. Miramur tam impudentes eſſe quoſdam, vt ſtudio quodam confeſſionem deprauent, & vim authori ſuperſtiti palam inferant: adeo nihil modo tutum eſt in libris theologicis, qui recens eduntur: miſi vero Antverpiam literas. Illuſtriſſimus Cardinalis Moronus paulo ante huc ſaluus acceſſit, cui Caeſarea Maieſtas cum equis obuiam ſe praebuit honoris ergo. Vtinam concilii cauſa melius habeat per legati huius aduentum. Quid Caeſar a nobis Theologis poſtulet, nondum conſtat. Conſervet Chriſtus dignitatem tuam in ſuam gloriam & ad Eccleſiae vtilitatem. Oeniponti 21. Apr. 1563.

CXLIII.

Caniſius Hoſio.

Internas eccleſiae Romanae calamitates magnum ſibi dolorem afferre teſtatur, notatque quorundam proteſtantium theologorum in concilium Tridentinum invectiva volumina.

Fateor meam in ſcribendo tarditatem. Tum ſi velim ſcribere, aut non licet id quidem, aut non expedit. Nota cauſa eſt occupationum noſtrarum, quae mihi pergraues videntur, praeſertim vbi non vno eodemque ſpiritu res geritur inter multos,

tos, & vnuſquiſque abundat in ſuo ſenſu. Verum bona mihi ſpes eſt, fore, vt Illuſtriſſimus Cardinalis non diſcedat, niſi ſemotis vtcunque impedimentis, quae nonnulli vel iniecerunt vel auxerunt confirmaruntque. Vtinam ea, quae bona conſcientia ſuademus, ſimul perſuadere poſſimus: ſed hae ſunt temporum difficultates, quas iratus peccatis noſtris Deus etiam aduerſus electos oſtendit. Videt hoc ſatan, cui ſatis non eſt, apertos hoſtium exercitus contra Eccleſiam producere, ſed ex inſidiis etiam adoritur, & falſos fratres externis hoſtibus nocentiores ſubornat, qui domi rem familiarem perturbent, ac diſtrahant animos, nouaſque turbas foueant ac propagent. Nunc vere tempus eſt, vt factas Eccleſiae promiſſiones nobiſcum animo reputemus, & cum humanis praeſidiis deſtituamur, in vno Deo opt. max. ſpem noſtram omnem collocemus. Caeterum gratulor mihi ſane, quod amplitudinis tuae communis eſt mecum ſententia, ſi de calice agendum ſit. Adiungam his litteris nouum librum, ſi reddet illum mihi Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis, in quo aperto Marte ſacrum concilium oppugnant Stoici Lutherani. Gallus & Illyricus operis architecti eſſe videntur; nam quae illi antea ediderant Ratisbonae, hic ea integre cernimus repetita. Ab his duobus, ne ſoli inſanire viderentur, pellectos arbitror alios, vt adderent nomina, quae hic legimus eſſe ſubſcripta. Petulanter illi ſane & ſcurriliter de ſynodo Tridentina garriunt, multoſque praeſtantes viros nominatim perſtringunt, potiſſimum vero D. HOSIVM, cuius fulgorem ferre non poſſunt iſti veſpertiliones. Miror ego Gallum poſt Smidlinum tam impudenter mentiri, cum verba illa de verbo Dei recitant, probe diſſimulantes, de quibus autor eadem verba ſcribat. Introducunt in fabulam quoque Reuerendum P. Dominum Pereſium, & anſam, vt ſpero, illi praebebunt, tales nugas atque blaſphemias refutandi. Non male reſpondit Fabricio Doctor Segobienſis, qui liber breui (vt ſperamus) in lucem exibit. Nunc iuſtior ſcribendi cauſa eſt, cum peſtilentes homines peſſima fide pleraque narrant, Patres omnes contemnunt, Pontificem maximum abominantur, decreta & acta concilii conſpuunt,

ſpuunt, & apud vulgus diuinum hoc inſtitutum in ſummum odium pertrahunt. Haec ira, hic furor ſatanae mihi extremus videtur. Lutherum adorant inſani homines, ſeque & ſua idola tantum non coli volunt ab omnibus. Quod autem arrogant ſibi, nulli ne concilio quidem tribui a nobis patiuntur. Verum rectius iudicabit ſapientia tua de horum ſtultitia dicam an impudentia, per quos purgat modo Deus Eccleſiam & probat electos. Miſi nuper catalogum nouorum librorum, quos dedit nobis mercatus Franckfordienſis. Optamus & precamur omnes, vt amplitudo tua cum reliquis patribus cauſam religionis rite promoueat, & bonos, quorum ſuſpenſi modo paſſim tenentur animi, certa quadam conſolatione recreet atque confirmet. Palatinum * Caluiniſare nouit orbis. Mali enim proficiunt in peius. Chriſti Spiritus & Eccleſiae pax nobiſcum. Oeniponti 8. Maii 1563.

* *Fridericum III. electorem Palatinum. Vide ſupra p. 116. et commonitorii noſtri de eccleſiaſtica proteſtantium unione, anno 1722. editi, tomum II. p. 324. ſqq.*

CXLIV.

Borromeus Hoſio.

Optare pontificem, vt religionis incommoda ſubleventur, ſuaque eccleſiae vnitas reſtituatur.

Litterae Illuſtriſſimae Dominationis tuae die X, XIIII, & XVIIII. Iunii datae de ſeptimo canone, de Abbatis Clareuallenſis ſermone, ac de epiſcopo Larinenſi, cum communibus ita conſentiunt, vt mihi nihil ad te priuatim reſpondendum putem, cum publice ſatisfaciam: non omittam tamen illud repetere, quod antea ſaepius ſcripſi, S. D. N. nihil optatius eſſe, quam vt religionis incommoda ſubleuentur, ſuuſque ſplendor & vnitas Eccle-

Eccleſiae reſtituatur. Quamobrem commendat maiorem in modum Illuſtriſſimae D. tuae pietatem, & Abbatem item Clareuallenſem, de ſtudio, & opera, quam in hoc toto negotio nauant. Larinenſem epiſcopum Illuſtriſſimae etiam D. tuae cauſa commendatum inprimis habebo. Quod ſupereſt, Deum rogo, vt tuam Illuſtriſſimam D. nobis incolumem ſeruet; cuius me beneuolentiae & gratiae magnopere commendo. Romae Nono Calend. Iulii MDLXIII.

CXLV.

Pflugius Hoſio.

Reformationem eccleſiae neceſſariam a concilio, Caeſare ac Gallo, coniunctis conſiliis ac viribus, commode perfici poſſe.

Reuerendiſſime atque Illuſtriſſime Princeps, ac Domine obſeruantiſſime S. Vellem equidem valetudine eſſem tam firma, vt iſtuc aduolare poſſem, non deeſſem ea in re officio meo, quod hactenus non ſine graui moleſtia intermittere coactus fui. Quod autem proximis ad Reuerendiſſimam Dominationem Veſtram literis ſcripſi neſcio quae de Reformatione Eccleſiarum, id non eo feci animo, vt Reuerendiſſimam D. V. monerem, ſed quod diſſimulare non poſſem, quae cuperem ego. Nam vt nunc ſunt tempora, non multo minus periculi a collegiis certis, quam a ſchiſmaticis hoc tempore nobis impendet: Cum & cooptent in collegia Canonici ſchiſmaticos, & in deſignandis Epiſcopis, principibus certis, iisque de religione Catholica male ſentientibus, gratificentur. Hinc illa Eccleſiarum calamitas, quae totum fere ſeptentrionem premit, & periculum eſt, ne malum hoc latius ſerpat, niſi Eccleſiae noſtrae quam primum fuerint repurgatae. Ac quia hoc tempore Caeſar noſter, atque Galli Reformationem flagitare videntur, ſi in ea, adhibita authoritate Conci-

lii, Caeſar noſter cum Gallis ſe coniungeret, & communicato conſilio atque iuncta opera negocium Reformationis in Gallia, & noſtra natione curarent, non dubito, quin quod Epiſcopi, quorum plerique in poteſtate ſunt Collegiorum ſuorum, ex cauſis, quas nouit Reuerendiſſima D. V. non facile conficere poſſunt, idem non ita difficile eſſet Concilio, Imperatori atque Regi Galliae, vt ſi nationes, quae hoc tempore maxime laborant, e periculo eriperentur, caeteris facilius & minore cum periculo conſuli poſſet. Sed quid ego iſta ad Reuerendiſſimam D. V. in cuius domo haud dubie meliora naſcuntur. Ac mea quidem ſententia, ſi quod materiam primo praebuit ſchiſmati, ſubtraheretur, non dubito, quin ii, qui e noſtris viciis creuerunt aduerſarii, breui eſſent ruituri: quippe qui iam a multis quos ante hac habuerunt fautores, male audire incipiunt, & dum ſibi ipſis non conſtant, ſed in dies magis ac magis ſeſe ſcindunt, ſuam ipſorum authoritatem conuellere videntur. Quod vicini noſtri antehac authore Illyrico probauerunt dogma de libero, ſeu vt ipſi volunt, de ſeruo potius arbitrio, idem mutare nunc videntur. Et quem Palatinus atque Bremenſis inuehunt Caluinianiſmum, multos adducit, vt de doctrina ſuorum diffidere incipiant. Mitto hic Reuerendiſſimae D. V. & mutatum dogma de libero arbitrio, & commentarium quoddam Brunſuicenſium, quo Bremenſium haereſis confutatur. Et quamquam tanta eſt corporis mei imbecillitas, vt laborem profectionis ferre necdum poſſim, tamen nihil magis cupio, quam vt quamprimum potero, me iſtic Reuerendiſſimae D. V. & aliis Reuerendiſſimis patribus ſiſtam. Nicolaus Gallus, de quo ſcripſit Reuerendiſſima D. V. idem quod Illyricus agit, vt & Catholicis, ſi qui meliores atque excellentiores ſunt, authoritatem abroget, & Catholicam Religionem calumnietur. Sed praeclare agitur cum Reuerendiſſima D. V. quod furiae iſtae, etiamſi maxime commoueant ſeſe, authoritatem tamen atque exiſtimationem bonam, quam Reuerendiſſima D. V. bonorum omnium conſenſu obtinet, eidem adimere haud poſſint. Vt me vicinus meus Pollicarius tractet, e libro eius perſpexit Reuerendiſſima

diſſima D. V. cum quo Spangenbergius ille Mansfeldenſis copias ſuas iunxit. Qui etſi mihi periculum conflare conantur, & maledictis nomen meum acerbiſſime conſcindunt, impudentia tamen ſua atque calumniis non magis meam, atque Eccleſiae Catholicae cauſam, quam ſuam ipſorum labefactant. Bene valeat Reuerendiſſima D. V. cui me plurimum commendo. Citii VII. Id. Iulii. Anno MD. LXIII.

CXLVI.

Borromeus Hoſio.

Pollicetur patrocinium ſuum Firmano, ac curare valetudinem iubet.

Caeſari Firmano nec ſtudio ſum defuturus, nec gratia, vt intelligat, quantum Illuſtriſſimae D. tuae auctoritati & commendationi tribuam. Quae de imbecillitate valetudinis ſuae ad me ſcripſit, grauiter tulit Sanctiſſimus D. N. & nos omnes, cum apud eam recte omnia eſſe velimus: Itaque hortamur eam & rogamus, vt ad vim morbi repellendam non minus diligentiam adhibeat, quam curationem: Caetera autem, quae ab aliis commentantur, tanquam nullius momenti pro nihilo habeat. Plura ſum proſecutus communibus litteris, ex quibus Pontificis ſententiam ipſa commodius perſpiciet. Romae 17. Iulii MDLXIII.

CXLVII.

Borromeus Hoſio.

Gauiſum eſſe pontificem de actis in proxima ſeſſione.

Vbi ex publicis litteris & Illuſtriſſimae D. tuae epiſtola proximae ſeſſionis acta Sanctiſſimus D. N. cognouit, Deo

maximas gratias egit, qui in vnam tot hominum mentes ad religionis ſuae commoda, & ad communem temporum tranquillitatem duxerit, &, quae perdifficilem exitum habere videbantur, diuinitus explicarit; cumque aliorum fidei & diligentiae plurimum tribuiſſet, Illuſtriſſimam D. tuam nominatim, & Lunenſis comitis optimum conſilium, ſtudium & operam extulit ſummis laudibus. Quae reſtant, ſperamus fore, vt feliciter procedant. Nam & huius negotii explicatio, & communis cauſſae ratio, & Illuſtriſſimae D. tuae ac caeterorum legatorum prudentia atque conſtantia, nos in hanc ſententiam adductos indies magis ac magis confirmant. Ego vero ab Illuſtriſſima D. tua peto, vt valetudini ſuae & tranquillitati animi quam accuratiſſime ſeruiat: meque illius beneuolentiae ac gratiae commendo. Romae 24. Iulii 1563.

CXLVIII.

Borromeus Hoſio.

Laudat oratorem Hiſpanum, comitem de Luna, ac peculiari ſchedula arcanum mandatum Hoſio perſcribit.

Quae in proxima ſeſſione acta ſunt, ita Sanctiſſimo D. noſtro grata acciderunt, vt grauiſſimis curis, quas pro religionis incolumitate atque amplitudine ſuſceperat, magna ex parte ſit leuatus. Multae vero ſunt cauſae, cur Illuſtriſſimae D. tuae, reliquorumque legatorum virtuti & felicitati gratuler & Lunenſis comitis piam atque egregiam voluntatem inprimis commendem, quod ſua prudentia & auctoritate Hiſpanos epiſcopos confirmauit; nec adiutor ſolum, ſed quaſi moderator eorum conſiliorum fuit, quae Eccleſiae propemodum afflictae ſanare poſſunt incommoda: nunc quoniam illo auctore ad optimam cauſam multorum conſenſus conſpirauit, credibile vix eſt

quan

quantum illi, quouis alio rumore poſtpoſito, in omni re tribuant. Doctorem Villipandum conſtantiſſima voluntate complector; eumque (ſi ſe occaſio dederit) ita tractabo liberaliter, vt Illuſtriſſimae D. tuae commendationis diligentiam meis officiis exaequaſſe videar. Eius me gratiae etiam atque etiam commendo. Romae die XXVIII. Julii MDLXIII.

Quae de Comite Lunae iis litteris ſcripſi, ideo ſcripſi, vt D. V. Illuſtriſſimae ſatisfacerem. Nolui tamen omittere, quin hac ſceda adderem, eius nos prudentiae relinquere, vt ne quid Comiti referat, quod meis communibus litteris poſſit repugnare. Si enim interdum aliquis ob aliquam rem bene geſtam multa commendatione dignus eſt, non propterea eadem commendatio omnibus horis conuenit. Haec autem me attigiſſe ſatis ſit: nam reliqua eius prudentiae (vt dixi) conſideranda & exequenda relinquo.

CXLIX.

Caniſius Hoſio.

Timet eccleſiae a conſiliis legatorum, quos principes Romanae eccleſiae addicti Viennam miſerant de religione collaturos.

Vide ſupra p. 12.

Redii tandem Auguſtam, collegiis noſtris peragratis. Et peſtis quidem nunc eſt, quam antea, mitior, licet vicinis etiam in locis illa pullulet. Inſtituimus Auguſtae ſupplicationes, quarum fructum boni praedicant, & mali improbare non poſſunt. Multis modis Deus Germanos affligit, peſte, incendiis, ſeditionibus, diſſidiis: nondum autem dat vexatio intellectum afflictis. Metuunt nonnulli cauſae religionis a conciliabulo Viennenſi, in quo legati principum catholicorum de ſacris confer-

re dicuntur. Ego nihil metuam, niſi re diligentius explorata. Auſtria ſeipſam ferre vix poteſt, adeo ſectis & ſectariorum opinionibus referta eſt. In Bauaria fructum ſentimus poſtremae legationis, quae ad Principem ipſum Pontificis nomine facta fuit. Igitur ſilet prorſus negotium de calice, quod vtinam Viennae non recrudeſcat. Gurzenſis epiſcopus rectius tacuiſſet, quam dubios in opinione neceſſitatis confirmaſſet, cum nuper de calice docuit. Verum hac de re certius aliquid D. Cromerus nuntiabit. Nihil autem dubitet amplitudo tua, quin ſcriptum illud de calice Principi placuerit, nec video, quae medicina praeſentior illi tunc morbo potuerit adhiberi.

Nunc D. Henricus ad me ſcribit eadem, quae ſcribo, iubetque hoc idem litterarum exemplar iſthuc mitti. Non aduigilatum eſt in opere excudendo, quemadmodum deſideramus, ſiue quod abfuerit D. Henricus, cum minime oportebat, ſiue quod corrector operis non functus ſit munere ſuo. Cupio tamen hoc nouum opus videre, quod credo diligentius quam antea excuſum eſſe. Non deerit interim occaſio parandae nouae editionis.

Magnas Chriſto gratias agimus, qui talem dedit ſucceſſum proximae ſeſſioni, cum longe aliter plerique ſentirent, & multorum animi nihil minus ſperarent. Arduos profecto ſcopulos praeternauigauimus: reliquam & non ita longam forte nauigationem Chriſtus proſperet, vt ad portum aliquando poſt tot tantaſque tempeſtates veniant Patres, & reſpiret Eccleſia in his ſummis perturbationibus. Quod ſupereſt, reuerenter me commendo Celſitudini tuae, quam Chriſtus Dominus diu nobis incolumem ſeruet. Auguſtae pridie Calend. Auguſti MDLXIII. Dixit mihi D. Staphylus, nunc Illyricum a Ratiſponenſibus etiam exactum neſcio vbi locorum exulare.

CL.

Borromeus Hoſio.

calamitatibus Romanae eccleſiae ſectatorum in Anglia ſub Elizabetha.

Commoti ſumus Illuſtriſſimae Dominationis tuae literis: nam quod ad me ſcribit, qui catholicam fidem incorrupte, ſanque colunt, eos impiorum hominum crudelitate apud Britane Reginam publicis cuſtodiis indigniſſime aſſeruari, Sanctiſſi- Domino Noſtro & nobis omnibus acerbum accidit: Itaque ıctitas ſua, quae de illis, etiam ſi tam longe abſunt, vehementer ɔrat, neque abeſſe ab eius pietate patitur, qui in Chriſtianae gionis gremio ſunt, libenter admodum eos ſuis ſumptibus ſubari iuſſit. Quoniam autem de ea tota re communibus litteris genter perſcripſi, idem in praeſenti non repetam. Illuſtriſſim Dominationem tuam diu eſſe incolumem opto, & eius me tiae etiam atque etiam commendo. Romae tertio idus Auſti M. D. LXIII.

CLI.

Petrus Miskowski, decanus eccleſiae Cracovienſis, et regni Poloniae procancellarius, Hoſio.

ıide expectat concilii decreta ſeſſionis vltimae, optatque, vt Hoſius patriae ſuae, quam exteris, mederi malit.

Si rarius nunc meae ad Illuſtriſſimam ac Reuerendiſſimam paternitatem veſtram literae perferuntur, non mea id culpa idit, qui quantumuis grauiſſimis negotiorum fluctibus non uar tantum, nullam tamen ſcribendi ad Illuſtriſſimam ac Reueren-

uerendiſſimam paternitatem veſtram occaſionem praetermitto, ſed tabellariorum aut malignitate fit, aut negligentia. Nam apud hos aliquoties iam noſtrae, immo Regiae Maieſtatis quoque perneceſſariae ad quoſdam litterae perierunt. Dabitur tamen a nobis opera, vt deinceps maiori cum fide Regiae Mai. litterae contrectentur. De Reuerendiſſimo epiſcopo Praemislienſi egi cum Mai. Regia non ſemel, neque bis, ſed multoties, & egi diligentiſſime. Verum reſpondet regia Maieſtas, ſe, quod ſui erat muneris, cumulate praeſtitiſſe. Nam partim in paratis numeraſſe, partim quod a ſede apoſtolica ad ſe pertinebat, epiſcopis eo nomine condonaſſe, vt tanto liberalius Reuerendiſſimo Praemislienſi de ſumptibus prouiderent, plura ſe non teneri, nec in tanta aerarii, quod infinitis vndique ſumptibus exhauriatur, anguſtia praeſtare poſſe. Epiſcopi vero iam fruſtra, vt video, multoties a me ſunt compellati, niſi forte nunc in ſynodo, quam breui ſunt celebraturi, aliquid conferre decreuerint, quod quidem ego percupio. Quod ciuitatem Elbingenſem attinet, ſi ego recte memini, iam anni ſunt, non menſes, cum haereſi eſt infecta. Eſt ita quidem, quod in Coſſium ea ſit collata parochia, ſed is ipſe Coſſius, cum & ipſe ſentiat catholice, nulli eam haeretico locauit. Non negat ſenatui Elbingenſi eſſe locatam, & parochum ibi ſe triginta taleris in ſingulos annos alere, quem quia aliter non habuit compertum, quam eſſe catholicum, hucuſque paſſus eſt; iam vero, ſi is Illuſtriſſimae ac Reuerendiſſimae patern. veſtrae non probatur, ipſi etiam Coſſio nullo quoque pacto retinendus erit. Quare rogat, ſi quem habet Illuſtriſſima ac Reuerendiſſima patern. veſtra huic muneri aptum, velit eum praeficere, Coſſius vero triginta taleros ſingulis annis libenter ei numerabit. Pucini iter ne mihi quidem vnquam probatur, ſed impediri non potuit, quod priuatorum ſuorum, non Regiae Mai. negotiorum cauſa eo ſe conferret. Admonetur tamen iam iterum & a me & a Regia Maieſtate quoque, vt talem ſe praebeat, ne quid Regiae Maieſtati negotiis incommodi adferat. Seſſionis praeteritae decreta magna cum auiditate expectamus. Vti-

nam

nam talia ſint, qualia nos omnino futura ſperamus, quae niſi ego ſcirem ab Illuſtriſſima & Reuerendiſſima Paternitate veſtra nobis perſcripta iri, ſummis id precibus ab ea impetrare contenderem. Sed ea eſt Illuſtriſſimae ac Reuerendiſſimae Paternitatis diligentia atque amor ſingularis erga nos, vt nihil eorum, quae iſtic geruntur, velit nos latere, quo ſane ego nomine immortales me Illuſtriſſimae ac Reuerendiſſimae pat. veſtrae gratias debere profiteor. Non ita pridem de ſubſtituendo viceprotectore cum Mai. regia conferebam, & quantumuis ego quoque cum Sereniſſimo Rege percuperem, Illuſtriſſimam ac Reuerendiſſimam patern. veſtram, in patria labantem potius remp. ſuam, quam alibi alienam fulcire, non quod non ſatis videremus, quantam haec iſtic Illuſtriſſimae ac Reuerendiſſimae patern. veſtrae commoratio vniuerſis mortalibus vtilitatem adferat; ſed quod noſtra prae caeteris respublica male affecta, tali praecipue medico indigere videatur: tamen nemini melius hoc munus, praeterquam Illuſtriſſimae ac Reuerendiſſimae patern. veſtrae imponi poſſe iudicaui: quod ſi Ill. ac Reu. paternitas veſtra acceptare voluerit, vt ſane magnopere nos optamus, cupio ea de re me certiorem reddat. Sin vero Illuſtriſſimae ac Reuerendiſſimae paternitati veſtrae aliter videbitur, dignabitur de conferendo in aliquem alium ſententiam ſuam nobis depromere. Bellum quod magno apparatu contra Moſcum fere iam ardere coeperat, intermittitur. Nam Moſco inducias petenti ad proximum Nouembris menſem concedi debere placuit. Contra Suecum tamen non infeliciter pugnatur: eſtque nuper diuina benignitate fauente Illuſtris Chriſtophorus, Dux Megapolenſis, qui partes Sueciae regis in Liuonia ſequebatur, per obſidionem in poteſtatem regis noſtri venire coactus. Quidam etiam hic nuper Victorinus praefectus Moſtouienſis Lituanus, quod cum Moſco conſilia communicare per litteras, quae interceptae fuere, auſus eſſet, ex regio & ſenatus Lituanici decreto honoris, vitae, facultatumque omnium iacturam fecit. Spes eſt, comitiis breui dictum iri diem. Cupio Illuſtriſſimam ac Reuerendiſſimam paternitatem veſtram bene feliciter-

liciterque valere. Datum Vilnae XIIII. Auguſti Anno Domini MDLXIII.

Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae D. V.

obſequentiſſimus ſeruitor
P. Miskowsky.

CLII.

Borromeus Hoſio.

Commendonum a legatis ſedis Romanae in concilio mittendum eſſe in Poloniam.

Binas vno tempore litteras accepi ab Illuſtriſſima D. tua IX. Auguſti datas. Villalpandi ſtudium, ſummamque pietatem, & perſpectam ingenii laudem tanti eſtimo, vt abs te praedicari vehementer laeter. Quod vero ad Nuntium in Poloniam mittendu mattinet, a Sanctiſſimo D. N. probatur conſilium tuum & iudicium de Epiſcopo Commendono; quem nos quoque cognoſcimus idoneum ad ardua quaeque negotia obeunda: Et eius fide ac virtute adducimur, vt hanc profectionem vtilem & ſalutarem fore confidamus. Itaque Sanctitas S. vbi tua Illuſtriſſima D. tempus opportunum iudicauerit, eius mittendi auctoritatem dat tibi, & reliquis legatis; vultque vt vos eum omnibus rebus, quas huius muneris procuratio requiret, inſtruatis, atque ita commoneatis, vt veſtro conſilio adiutus religionis & regni illius dignitati facilius & melius conſulat, ſeu Comitiis tantum intereſſe, ſeu ordinariam legationem gerere volueritis. Illi autem vos pecunias pro ratione itineris & expenſarum, quemadmodum communibus litteris complexus ſum, numerari iubebitis. Ego vero Breuia, ac ſi qua erunt praeterea neceſſaria, vt primum me certiorem feceri-

feceritis, diligentiſſime curabo, vt commodo, atque opportuno tempore proficiſcatur. Cetera iis litteris ſum perſecutus, quas publice dedi. Reliquum eſt, vt Illuſtriſſimam D. tuam quam diutiſſime eſſe incolumem optem: cuius me gratiae etiam atque etiam commendo. Romae XXII. Auguſti 1563.

CLIII.

Borromeus Hoſio.

Mittit brevia et facultates, quibus Commendono in Polonia opus eſſet.

Scripſi ad Illuſtriſſimam D. tuam, ſanctiſſimum D. Noſtrum in ea eſſe voluntate, vt Commendunus iſtinc in Poloniam mittatur omnibus rebus inſtructus, quas vel officii vel itineris ratio poſtulat. Erit igitur muneris Illuſtriſſimae D. tuae efficere, vt is quam primum expediatur: nam facultates, Breuia, & ſi quid aliud ei opus eſſe ſentiam, ego ſtatim curabo; mittamque iſthuc quamprimum. Nihil enim video maiori curae eſſe ſanctitati ſuae, quam vt Dei Eccleſiam, & Regni illius dignitatem, omni praeſidio muniat ac tueatur: Qua de re vberius ad Cardinalem Simonetam ſcripſi proximis ſuperioribus literis. Itaque ne longior ſim in praeſenti, Illuſtriſſimam D. tuam diu incolumem eſſe cupio: & me eius gratiae vehementer commendo. Romae IIII. Septembris. M. D. LXIII.

Hodie ſunt ſignata Breuia, quae iam mandaueram expediri pro epiſcopo Commendono: eaque mitto in praeſenti Illuſtriſſimae D. tuae, ne propterea illius iter retardetur, & ipſa videat, an vlla alia in re hanc piam eius operam iuuare poſſimus.

CLIV.

Borromeus Hoſio.

De itinere Commendoni, et brevibus aliis eidem transmittendis.

Communibus literis ſatis abunde reſpondeo ad ea, quae D. tua Illuſtriſſima ſcribit die 28 & 30. Auguſti de profectione Epiſcopi Commendoni in Poloniam: & iam ad eam miſi nonnulla Breuia Apoſtolica, ne quid temporis omitteretur, quod huic publico negotio obeſſe poſſet: Itaque in praeſenti nihil addam, niſi quod per tabellarium proxime venturum mittam alia quaedam Breuia ad hoc Commendoni munus pertinentia: Et ſi quid inſuper opus fuerit, curabo diligenter. Tanta eſt enim in me tui obſequendi, & Regni illius iuuandi voluntas, vt nihil non ſim libentiſſime facturus. Quod reliquum eſt, opto Illuſtriſſimam D. tuam diu eſſe valentem: & me eius gratiae quam humillime commendo. Datum Romae XI. Septembris 1563.

CLV.

Auguſtanus Hoſio.

Literae fiduciariae Aloyſio Mendozae datae.

Aloiſio Mendoza, viro & moribus & vitae integritate, tum doctrina nobis inprimis grato, quem Tridentum ad quaedam negocia noſtra tractanda mittimus, vt D. V. Reuerendiſſimam noſtro nomine inuiſeret mandauimus, eidemque noſtrum ſtudium & amorem, quem litteris quandoque enarrauimus, verbis ſignificaret, ſimulque oſtenderet, quanto deſiderio atque ſpe teneamur eam propediem videndi & alloquendi. Huic eandem

dem in omnibus fidem, quam nobis ipſis, adhiberi volumus, Dominationemque Veſtram Reuerendiſſimam precamur pro ea, qua nos complecti beneuolentia ſemper dignata eſt, vt quidquid eſt, in quo pro ea elaborare poſſimus, nobis ſignificatum velit, nihil enim eſt quod nobis gratius accidere poſſet, quam amorem, quo erga Reuerendiſſimam D. Veſtram affecti ſumus, opera praeſtare. Bene valeat. Veronae XII. Septembris MDLXIII.

CLVI.

Borromeus Hoſio.

Remittit Orechovii literas.

Remitto Illuſtriſſimae D. Veſtrae literas Orechouii; exemplum autem reſponſi, per eam facti, retinendum cenſui, vt totum commodius perlegerem, vel etiam, vt dolerem, quemadmodum facit Sanctisſimus D. N. quod ad eius grauisſimas occupationes, & aetatem, tales accedant labores. Quod ad Commendonum attinet, poterunt Illuſtrisſimae DD. Veſtrae, ſimul atque ab Epiſcopo Camarino certiores factae fuerint de ſtatu regni Poloniae, id conſilii capere, quod eis magis expediens viſum fuerit; Ac ne per nos ſtet, quo minus ſe det itineri Commendonus, cum primum ab eis decretum fuerit; mitto in preſenti Veſtrae Illuſtriſſimae D. alia quinque Breuia Apoſtolica cum exemplis, quemadmodum ſuperioribus meis literis ſcripſeram me facturum; ac eius me gratiae humillime commendo. Datum Romae die 15. Sept. 1563.

CLVII.

Canisius Hosio.

Mittit profectionem Latae ex Galli gratulatorias ad Synodum Tridentinam reformatam.

Nihil nouorum librorum dedi Francofurdiae, sed breui edam, ex quibus mittam tibi aliquot. Nunc recens edidimus Sectarii & sacris quidem elegantes, librum hoc aduersus concilium oecumenicum Tridentinum. Verus illud esse videtur, sed latinis notum, verus vero Germanis. & quod multa profundit, digna, vt mihi videtur, prudenti confutatione. Nec deessent in eximio isto coetu theologorum, qui cum laude calumnias illatas depellerent ab innocentibus Patribus, quos isti scurrae adeo scurriliter tractant, vt pius animus aliquando ad istorum probra & blasphemias horreat: non deessent inquam, si auctoritate magnorum hominum ad respondendum excitarentur. Qua de re iudicabit rectius amplitudo tua. Nihil fere noui habemus in Germania, nisi quod castigat nos passim iustus Dominus contagiosa & pestilenti lue, quae multos in Austria & Bauaria e medio tollit. Caluinismus non adeo serpit, neque tantas sumit vires, quemadmodum antea. Lutherani ab ea secta magis ac magis abhorrere videntur, vt in Palatinatu quoque sub Electore Principe. Tristem faciem Ecclesiarum praebet indignitas & raritas pastorum atque concionatorum catholicorum, quorum ingens vbique cernitur penuria. Nondum audiuimus, quid fructus pepererit conciliabulum illud (vt quidam vocant) Viennense. Bonorum animi magna sunt consolatione perfusi, cum de sessione feliciter celebrata nuntium accepere. Rogamus Dominum, vt reliquas concilii actiones gubernet ac tranquille dirigat in suam gloriam & ad Ecclesiae vtilitatem. Antuerpia nihil misit. D. Natalis ad nos ex Austria rediit, plurimumque salutat Celsitudinem tuam, quam Christus diu sospitem seruet. Augustae 18. Septembris MDLXIII.

CLVIII.

CLVIII.

Borromeus Hoſio.

Pontificem Neocaſtrienſi epiſcopo labores ſuos compenſatum ire.

Gratias, quas Illuſtriſſima D. tua agit Sanctiſſimo Domino noſtro pro ea cura, quam pro regno Poloniae gerit, ſanitas ſua in eam partem accipit, vt magis accendatur ad ea onia perſoluenda, quae catholici illius regni exigere videbuntur: :que ſane dubium eſſe debet, quin illis & muneri ſuo nullo vniam tempore ſit de futura. Mihi vero non eſt opus vt habeanr aut referantur vllae gratiae, cum regni Poloniae & Illuſtriſſiae D. tuae cauſa multo plura debeam, ac debere velim, quam ıctenus praeſtiterim, ac certe praeſtiturus ſum, quotieſcunque ſe mihi occaſio obtulerit.

Epiſcopum Neocaſtrienſem commendatione tua Sanctiſſius D. N. ita tractabit, vt facile intelligat, inueniſſe ſe hilarem muneratorem operum & laborum, quos in illo ſancto negotio o Eccleſia Dei ſuſtinet: & cum nihil aliud habeam, quod ad ſtremas litteras D. V. Illuſtriſſimae XII. Septembris datas reondeam, eius gratiae me humillime commendo. Datum Roae die XXII. Septembris 1563.

CLIX.

Borromeus Hoſio.

Moleſtam fore pontifici patrum, maxime legatorum ſuorum, in concilio diſcordiam.

Vtinam ea ſpes, quam Illuſtriſſima tua D. de profectione epiſcopi Commendoni concepit, & a pluribus aliis conceptam

ptam eſſe dicit, ſucceſſu firmetur & augeatur: nam quod de illius ſumptu me admones, nihil ego hac de re praeſtare poſſum, cum iam Sanctiſſimus D. N. totum id ad iudicium Illuſtriſſimae D. tuae & ad Illuſtriſſimos collegas retulerit: qui quicquid egerint, id eius ſanctitati ratum & gratum erit, quod etiam communibus ſuperioribus litteris pluribus complexus ſum. Quod Illuſtriſſima tua D. me voluerit Sanctitati ſuae ſignificare ea, quae egiſſet ſuper decreto matrimonii clandeſtini, ſane quidem non erat neceſſe, vt tam multis verbis ſe purgaret: ſcit enim Sanctitas ſua, & omnes norunt, quae ſit eius prudentia & pietas, & in illis nogotiis tractandis matura conſideratio; tamen pro mea ſumma erga ipſam obſeruantia dicam, S. D. N. nihil moleſtius poſſe accidere Patrum diſcordia & diſſenſione, maxime vero, ſi quae inter legatos oriatur, quorum conſenſus atque concordia caeteris omnibus quietem & pacem parere debet; idque magna in ſpe habet eius Sanctitas ſingulari earum ſapientia ac pietate confiſus. Quod reliquum eſt, Illuſtriſſimae tuae dominationis gratiae ego me humillime commendo, eique felicitatem precor. Datum Romae die 29. Septembris MDLXIII.

CLX.

Borromeus Hoſio.

Hoſio ſtatuendum eſſe, qualem ſe gerere debeat Commendonus in Polonia, lenem, an ſeverum, et quamdiu eum in illo regno commorari oporteat?

Cum ex communibus, tum vero maxime ex Illuſtriſſimae D. Veſtrae literis cognouit Sanctiſſimus Dominus noſter de expeditione Epiſcopi Commenduni; de qua, cum publice ſcribam vberius, nihil hic addam amplius, niſi quod Sanctitas eius totam rem ad iudicium refert legatorum, inprimis vero ad Reuerenſ-

rendiſſimam Dominationem Veſtram, quae prudentiſſime videbit, & admonebit quid res ac tempus poſtulent, tam ad lenitatem vel ad ſeueritatem adhibendam, quam ad recedendum, vel manendum in ea legatione. Quodſi cenſebit, neceſſe eſſe Nuntium diutius in illa Aula & Regno commorari, iubebit eius Sanctitas ei pecuniam curari, & omnino nihil hic eorum praetermitti, de quibus admonebimur ab Illuſtriſſima tua Dominatione; cuius ardens ſtudium religionis ac pietatis coniunctum cum ſingulari ſapientia, eius Sanctitas cognitum habet iam pridem, & perſpectum. Democharem Pariſienſem Theologum,* ex literis Illuſtriſſimae D. Veſtrae libenter vidit ſanctiſſimus Dominus noſter, et accepit benigne, cuius etiam librum libenter leget: Ego homini & ſua, & maxime Reuerendiſſimae D. Veſtrae cauſa nec ſtudio nec opera deero. Cui incolumitatem & ſalutem precor. Datum Romae die VI. Octobris 1563.

* *Facultatis theologicae Pariſienſis doctor, a Carolo IX. ad concilium miſſus. Harduinus to. X. col. 430.*

CLXI.

Caniſius Hoſio.

Proteſtantium piam et neceſſariam admonitionem de decretis concilii Tridentini mittit.

Allati ſunt tandem libri noui, ex quibus nonnullos vaſe concluſos breui accipiet amplitudo tua per manus R. D. epiſcopi montis Alcini. Multi enim codices cum iſthuc eſſent mittendi, vaſi a me ſunt incluſi, & optimo illi epiſcopo deſtinati. Leget ergo amplitudo tua, ſacrum concilium rurſus oppugnatum a verſipelle ſub pia ſcilicet & neceſſaria admonitione de decretis & canonibus concilii Tridentini. Sic enim librum ſuum

autor vocauit, quem fortaſſe Brentium dicere poſſumus. Wigandus nobis collegit Georgii Maioris errores. Bullingerus iterum percutit Brentium. Illyricus catechiſmum Heidelbergenſem oppugnat. Smidelinus rixatur denuo contra Staphilum. Ita nobis confirmant Eccleſiam hoſtes Eccleſiae, ſuiſque diſſenſionibus vnitatem catholicam magis ac magis illuſtrant. Reliquos libros non repetam: hoc vnum rogans, vt boni conſulatur, quicquid a me mittitur ad Celſitudinem tuam, cui ſane cupio gratificari. Peſtis hoc loco nos ſatis affligit, vt nobiles quidem ac diuites alio migrent, quia mortis periculum, atque vtinam etiam iram Dei reformidant. De ſeſſione prorogata intelleximus, Deumque obſecramus, vt media ex parte ſaltem abſoluantur menſe Nouembri, quae promulganda tum de rebus fidei, tum de reformatione ſuperſunt. Placet catholicis D. Fontidonii oratio & D. Villalpandae apologia contra Montanum edita. Expectamus reſponſum & confutationem ad nouum concilii calumniatorem, qui magis in ſpecie, quam Fabricius, decreta quaedam oppugnat atque conuellit. Propugnet Dominus Eccleſiam ſuam aduerſus impuros iſtos Philiſtaeos, qui ad maledicendum prope nati eſſe videntur. Dominus Ieſus nobiſcum ſemper. Auguſtae 7. Octobris 1563.

CLXII.

Borromeus Hoſio.

De tollendis e decreto concilii verbis: proponentibus legatis.

Ad ea, quae vltima Septembris mihi ſcripſit Reuerendiſſima & Illuſtriſſima D. V. abunde arbitror eſſe reſponſum communibus litteris; praeſertim vero ad illa, quae pertinent ad Comitis Lunae ſententiam & conatum de tollendis e decreto illis ver-

verbis: proponentibus legatis. Tantum igitur his dicam, ſanctiſſimum D. N. epiſcopo Commendono negotium dediſſe, vt - - - D. Petrum Barzium Sereniſſimo Poloniae regi vehementer eius nomine commendaret; de quo fuit ipſi Sanctiſſimo D. N. Reuerendiſſimae D. V. admonitio grata; eruntque periucunda omnia eius conſilia, quae ad incolumitatem ſpectabunt, & propagationem catholicae religionis, & ad communem Poloniae dignitatem ac ſalutem. Deum precor, vt veſtram Illuſtriſſimam D. nobis & Eccleſiae ſuae ſaluam & incolumem ſeruet. Datum Romae IX. Octobris MDLXIII.

ANNOTATIO.

Querebantur multi, ſuam concilio libertatem non conſtare, idque inter alia probabant inde, quod in primae ſub Pio IV. habitae ſeſſionis decreto, de celebrando concilio, ab Harduino to. x. columna 114. recitato, praeter veterem conſuetudinem, formulae: *placetne vobis, concilium celebrari, et in eo tractari, quae apta ipſi ſanctae ſynodo videbuntur*, haec verba inſerta eſſent: *proponentibus* (pontificis) *legatis et praeſidentibus*. Inprimis autem orator Hiſpanus, comes de Luna, decretum revocatum volebat, quod, eo vim ſuam retinente, concilium nullo modo liberum poſſet appellari. Magna lis tandem ſic conſopita eſt, vt Pius IV. voces illas: *proponentibus legatis*, ſe inſcio appoſitas diceret apud Pallavicinum libro XXI. cap. v. n. 7. ipſumque concilium publice declararet, ſe neutiquam in animum induxiſſe, vt antiquam negotia in concilio tractandi rationem his vocibus vellet immutare. Declaratio habetur in Pallavicini libro XXIII. capite XII.

CLXIII.

Caniſius Hoſio.

Gaudet de diſſidiis proteſtantium, ac dolet de procerum ac patrum in concilio diſcordia.

Mitto annotationes acceptas Antuerpia. De noua editione confeſſionis nihil nuntiatur, & cupio tamen illam extare,

vt craſſior character pluribus inſeruire poſſit. Ex nundinis importari opus iam excuſum non video. Centuriatores vero neſcio qua de cauſa non progrediuntur. Satis habent pugnae fortaſſis cum Paulo Hebero, Georgio Maiore & mollibus aliis Lutheranae ſectae philoſophis, quos acriter illi coeperunt impetere, vt ſtoicum rigorem obtineant, & nunquam a contradicendo ceſſent. Mire contentioſum hoc hominum genus eſſe videtur, quaſi altercando & oblatrando ſummam capiant voluptatem. Non repetam de libris iſthuc miſſis ad montis Alcini epiſcopum: ſed tardius fortaſſe aduehentur, quod Oeniponti commodum aurigam reperire difficile eſſe dicatur. Purgat Dominus Germaniam foeda lue paſſim pullulante; ſed vtinam de interiore peſte curanda cogitaremus, ſicut exteriorem horremus. Plerique ditiores hinc alio migrarunt. Auſtria, Bauaria praeter alias vicinas prouincias hoc morbi genere corripiuntur. Herbipoli confecta pax eſt cum ſacrilego milite. Deliberant modo Germani poſt factum. Putant quidam hanc improbitatem non impune abituram raptoribus. Si reformationis negotium plerisque cordi non eſt, vt vereor ſane, curam forte aliquam iniiciet haec deformatio, & aduerſariorum ad praedas & rapinas inhiantium haud obſcurum inſtitutum. De ſacra ſynodo neſcio an exitum magis quam ſucceſſum polliceri nobis habeamus. Iudicia Dei abyſſus multa. Fortaſſe peccata noſtra remorantur meliorem Eccleſiae ſtatum, nihilque miſerandum magis putant, quam inter proceres non rectius conuenire, & ad Chriſti cauſam vindicandam minores catholicis, quam ad oppugnandam haereticis voluntates oſtendi. Illud vnum noſſe percupio, quid Celſitudo tua cenſeat de libris octo Clementis Romani per Bouium editis. Dominus potenter adſit amplitudini tuae, & rès Eccleſiae meliore loco eſſe concedat. Auguſtae 29. Octobris 1563.

CLXIV.

CLXIV.

Borromeus Hoſio.

Mittit omnia breuia, omnesque facultates, quibus Commendonum inſtrui oportere, Hoſius putaverat.

Ad ea, quae mihi Illuſtriſſima D. veſtra VIII. die huius menſis ſcripſit de controuerſia matrimonii clandeſtini, deque notibus excitatis propter illa verba: proponentibus legatis, ſatis ommunibus litteris reſpondi; neque eadem in praeſenti repeum. Quod vero in his litteris, quas die XIIII. dedit, Commenono opus eſſe ſcribit; totum id, cum primum fieri poterit, ſtuioſe curabitur: dabiturque opera, vt Breue S. D. N. cum faculitibus, quas illi R. D. veſtra cenſet eſſe neceſſarias, detur primo uique tabellario, vt ad eam perferatur. Gratulor ei praeterea ehementer ex animo de eius Eccleſia liberata ex periculo, in uo verſata eſt propter Ducis Branſuicenſis motus: ſperoque foe, & cupio, vt V. I. D. illa cura ac timore poſthac ſemper ſoluı ſit. Quod reliquum eſt, ego ei ſtudium & obſeruantiam mem deferens Deum precor, vt eam nobis & Eccleſiae ſuae ſeruet ıcolumem. Datum Romae XXX. Octobris MDLXIII.

Mitto Illuſtriſſimae V. Dominationi faſciculum hoc litteraım ad epiſcopum Commendonum: in quo eſt Bulla ſuarum ıcultatum, & quaedam alia ad ſuam legationem non parum perınentia. Et quoniam eſt ſane perneceſſarium, vt in eius manus deliter perferatur: eidem etiam atque etiam diligenter commendo.

CLXV.

Caniſius Hoſio.

Veretur, ne concilium oecumenicum deſinat in nationale.

Mitto litteras D. Staphyli, qui ſcribit ad me, magni illas eſſe momenti, ac timet neſcio quas nouas turbas & conſpirationes iſtorum, qui neque cum catholicis, neque inter ſe vnquam poſſunt conuenire. Non eſt enim pax impiis, dicit Dominus. Nihil vero mittit D. Henricus Antuerpia. Audio ſeptimum opus centuriatorum ſub prelo eſſe Baſileae: mittam illud, cum primum videro, ſi tamen ſynodus durat. Huius exitum putant concilii nationalis, a quo liberet nos Dominus, initium fore. Nos de matrimonio & reformatione expectamus noua decreta, quae ſi nunc parum obtinent, ſuo tamen tempore apud bonos valebunt plurimum. Dominus in ſuam gloriam proſperet conſilia Principum, & perficiat opus ſuum, quod coepit in Patribus concilii, ad res Eccleſiae inſtaurandas ac emendandas. In Bauaria non deſunt ſtudia multorum ad calicem inhiantium, ſicut & alibi paſſim: vnde multi metuunt, breui magnam rerum mutationem fore. Doleo libros iſthuc a me miſſos adferri tardius. Chriſtus diu nobis conſeruet amplitudinem tuam ad ſuam aeternam gloriam. Auguſtae 6. Nouembr. 1563.

Seruus in Chriſto

P. Caniſius.

Adiunxi epiſtolas Indicas, aut primam potius illarum partem, quae nonnullis, vt ſpero, placebunt.

CLXVI.

CLXVI.

Auguſtanus Hoſio.

De liberorum Maximiliani regis aduentu.

Cum proximis diebus Petronius domeſticus noſter ad nos rediiſſet, reddidit is nobis literas Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae D. V. ac ſimul expoſuit, qua conditione ab eadem a peccato ſuo fuerit abſolutus, quam etiam humaniter tractatus. Quae omnia nobis auditu fuerunt gratiſſima. Agimus autem ac habemus Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae D. V. permagnas gratias ob eius ſingularem beneuolentiam & humanitatem, quam noſtris exhibere ſolet, cuius quidem rei gratia nos ad omnia quae praeſtare poſſumus officia ſibi vicisſim deuinctos habet. Porro aliae Illuſtriſſimae & Reuerendiſſimae D. V. literae ſcriptae XXVIII. Octobris cum inſerta cuiusdam Cynthii Pamphilii, ſacri Concilii Notarii, ſuplicatione a nobis hiſce demum diebus recipiuntur, arbitramur autem eas cum Maguzanum inſcriptae fuerint, ad nos tardius peruenisſe. De Sereniſſimi Romanorum Regis liberis, aut eorum huc aduentu, quae proxime habuimus, parum certa ſunt, ideo omittimus, certiora tamen ſingulis diebus expectamus, Canonicatum Ricienſem, qui vacauerat, antequam Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae D. V. nobis redderentur literae, cuidam ex noſtris domeſticis contulimus, alias propter eius interceſſionem, quae apud nos maximae authoritatis eſſe ſolet, ſupra dicti Cynthii in dicto Canonicatu conferendo rationem libenter habuiſſemus. Quod reſtat precamur Deum, vt Reuerendiſſimam & Illuſtriſſimam D. V. nobis diu ſeruet incolumem, cuius nos gratiae diligenter commendamus. Datum Bolzani die XIII. Nouembris M.D.LXIII.

CLXVII.

CLXVII.

Cardinalis Auguſtanus Hoſio.

Venturum ſe cum Maximiliani liberis Tridentum.

Quod nondum viderat D. V. Illuſtriſſima commendatum commendatorem, nihil eſt, quod reſcribatur ſuis literis, niſi quod perſpectum mihi eſt, eam omni beneuolentiae & humanitatis officio eum, ſi opus erit, proſequuturam eſſe. Ago quidem ingentes gratias de eius ſic propenſo erga illum animo, deque eius beneuolentia a domino Chriſtophoro Magnauino cognita. Quod D. V. Illuſtriſſimae gratiſſimum acciderit, Petronium eo nexu ſolutum eſſe, quo obſtrictus erat, quod in eam ſententiam adducerer, vt in aedes ſuas diuerterer; illud mihi denuo ſignificandum eſt, quod & Reuerendus Pater Polancus refert; & illud quidem perincommode accidit, vt nuper a Regia Romanorum Maieſtate, literas acceperim, in quibus praeter alia id moneor, vt habito conſilio, quomodo Sereniſſimi Principes ingreſſuri moraturique ſint Tridenti, ego & propter viſitationes, & alia, quae accidere poſſent, illis aſſidue iſtic aſſiſtere debeam, qua de re neceſſe eſſe video, vt habitationem quoque habeam in Arce apud ipſos Principes. Vtar quoque aedibus D. V. Illuſtriſſimae, quantum nouero mihi per tempus licere, conaborque ad minus ſemel apud eam pernoctare. Nihil mihi gratius, nihil iucundius accidere potuiſſet, quam ſemper apud tantum Dominum mei amantiſſimum continue morari, eiusque prudentiſſimo ſermone & confabulatione frui: quodſi efficere nequeam, haud vereor, quin me ſit merito excuſatura. His omnia foelicia, inprimisque incolumitatem a Deo opt. Max. precor. Datum Bolzani XVIII. Nouembris MDLXIII.

CLXVIII.

CLXIIX.

Borromeus Hoſio.

Gratulatur eccleſiae abſolutam in concilio actionem.

Et ſanctiſſimo Domino noſtro, & nobis omnibus nota eſt pietas ac religio Illuſtriſſimae Dominationis Veſtrae: vnde iſte ardor exiſtit, & ſumma cupiditas vel infirma valetudine ſtic obeundi omnes horas & partes publici muneris. Quare ius ſanctitas magna cura mouetur, cui permoleſta eſt iſta valeudo incommoda ex aſſiduis illius laboribus: iubet vero Reuendiſſimam D. Veſtram ſtudium, & operam ſuam eo primum eferre, vt conualeſcat, viresque reficiat. Nulla enim re magis i gratificari poterit, quam curanda valetudine: quod ego etiam Reuerendiſſima D. Veſtra vehementer peto; erit id mihi iuundiſſimum. Actionem iſtam abſolutam Dei Eccleſiae gratulaiur; ipſique inprimis Deo de hac eius benignitate gratias agiius. Caetera communibus literis abunde complexus ſum: ex uibus omnia cognoſcet Illuſtriſſima D. Veſtra. Deum precor, t eam valentem, & incolumem nobis & Eccleſiae ſuae quamdiuſſime ſeruet. Datum Romae XX. Nouembris MDLXIII.

CLXIX.

Auguſtanus Hoſio.

eſtinari in finiendo concilio: officiales curiae, cum emta officia habeant, non permiſſuros, vt Colonienſi archiepiſcopo brevia gratis dentur.

Heri allatae ſunt nobis litterae Illuſtriſſimae & Reuerendiſſimae D. V. ex quibus primum intelleximus, feſtinari in

abſoluendo hoc ſacro concilio, & quod nobis illius finem fortaſſis ante diem ſeſſioni dictam videre licebit. Nos quidem nihil magis deſideramus, atque ex toto corde a Deo poſcimus, quam vt huiuſce concilii finem nobis & nunc & aliquando videre & experiri liceat, catholicae Eccleſiae ac vniuerſo Chriſtiano orbi ſalutiferum, fauſtum & felicem, & vt ea, quae in Spiritu ſancto ad ſalutem & vtilitatem noſtram ſtatuta ſunt, eodem duce ab omnibus diligenter obſeruentur. Caeterum quod Reuerendiſſima & Illuſtriſſima D. V. petit, vt eam inſtruere vellemus, quid Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Colonienſi querenti apud legatos, quod Eccleſia ſua nondum expedita ſit, ſimul vt gratis illa expediatur, petenti, reſpondere debeat, id Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae D. V. ſingulari erga nos humanitati tribuimus. Scimus enim, abſque inſtructione noſtra eam & melius & elegantius reſpondere poſſe. Porro quod ipſius archiepiſcopi querelam attinet, nos dum Romae adhuc eramus, ipſius Eccleſiam in ſacro ſenatu, vt moris eſt, proponere voluimus, ſed cum archiepiſcopus remiſſionem totius taxae peteret, audientia nobis denegata fuit. Scripſimus itaque ad archiepiſcopum rem totam, atque quod hac via nihil, etiam maximo cum labore, obtineri poſſit, expoſuimus; monuimuſque eum, ſi Eccleſiam ſuam velit expeditam, vt vel quartae vel tertiae ſolutionem offerat, idem intercesſionibus etiam obtinere ſtudeat, nos aliam viam conſequendi intentum ſuum ei monſtrare non poſſe; qua neque nunc quidem ſcimus aliam. Expeditiones enim, quae petuntur, omnino gratis fieri, vt plurimum ab officialibus curiae, qui officia emta habent, impediuntur. Haec Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae D. V. vt huius negotii aliquam notitiam haberet, atque dicto Domino Archiepiſcopo pro ſua mira prudentia & ſummo iudicio reſpondere poſſet, indicare voluimus. Cuius gratiae nos diligenter commendamus. Bolzani XXII. Nouembris MDLXIII.

CLXX.

Auguſtanus Hoſio.

Finito concilio naviculae Petri triſtia imminere.

Quod Reuerendiſſima D. V. ſibi perſpicere videtur, nauiculae Petri magnis fluctibus & tempeſtatibus longo nunc tempore concuſſae, maiora hiſce turbulentis temporibus impendere diſcrimina, veremur & nos ex nefariis huius ſatis infelicis ſeculi argumentis colligentes. Dumque iſta cogitamus, non ſolum permaximo animi afficimur dolore, ſed incipimus etiam deplorare noſtrorum temporum, in quae incidimus, ſtatum. Verum non ſolum conſolatur, ſed etiam erigit nos, quando ad animum reuocamus ſecula praeterita, hiſce ſi non magis, at certe aeque infelicia, quibus eadem Petri nauicula diuerſis fluctibus ac procellis iactata & pene oppreſſa, ſingulari Dei beneficio miraculoſe conſeruata, atque in portum ſecurum deducta fuit. Iſta ergo nauicula agitari quidem, non autem demergi poteſt. Oramus autem Deum Patrem omnis miſericordiae toto corde, vt noſtri miſereri atque huic nauiculae multo tempore iactatae tranquillitatem iterum benigne dare, ac in portum feliciter perducere velit. Praeterea Reuerendiſſimae D. V. propoſitum, ac ad Eccleſiam ipſius reditum intellig - - - quem eidem felicem ac iucundum optamus. Caeterum Reuerendiſſimae D. V. litterae triſtem nobis attuliſſent nuntium, niſi de ipſius firmiore valetudine iiſdem facti fuiſſemus certiores. Quae ex Galliis Cardinalis Lotharingius nuntiat laeta, cuperemus quidem certa, ſubuerendum tamen, quod Cardinalis Granuellanus nuntiarit certiora. Deus Eccleſiam ſuam conſeruet incolumem. Craſtina die Sereniſſimi Romanorum regis filios hic expectamus, quibuſcum breui Tridentum veniemus, vbi Reuerendiſſimae D. V. praeſentia frui licebit. Quod reſtat, Reuerendiſſimae D. V. a Domino omnem precamur felicitatem. Cuius nos - - diligenter commendamus. Brixinae Calen. Decembr. MDLXIII.

CLXXI.

Auguſtanus Hoſio.

Cum Maximiliani liberis in Hiſpaniam abiturientibus ſe poſt paucos dies Tridentum venturum.

Heri allatae ſunt nobis literae Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae D. V. ſcriptae 29. die menſis proxime præteriti, ex iis intelleximus Alexandrum, Reuerendiſſimae D. V. familiarem, in morbum, quo ſuperioribus diebus laborauit, reincidiſſe, ac eum nos in Hiſpanias comitari non poſſe. Gratum quidem nobis fuiſſet eius opera vti, praeſertim in hoc itinere, ad quod nobis admodum fuit commendatus; ſed cum propter morbum & tempus hibernum, quod etiam ſanis graue eſſe ſolet, huius itineris labores ſuſtinere non poſſit, ſtudium recuperandae priſtinae ſanitatis ei conſultius erit, quam huius muneris ac tam longinqui itineris ſuſceptio. Cum Magiſtro domus Reuerendiſſimae D. V. egit quidem Epiſcopus Imolenſis, quem tamen in familiam noſtram recipere nolumus, niſi certo ſciamus, Reuerendiſſimam D. V. eius opera vlterius non indigere, indigebit autem ea ſane, ſi triſte illud nuncium, quod de ſanctiſſimi D. N. ſalute maximo cum dolore accepimus, eum qui ſuſpicatur exitum eſſet habiturum, quem vt Deus auertat, atque hunc pontificem diu nobis conſeruet, ardentiſſimis votis deſideramus. Sereniſſimi Auſtriae Principes heri a nobis eo, quo decuit, honore excepti ſunt: hodie ac cras hic ſubſiſtimus, die dominica Cluſiam, inde per Bolzanum ac Vallem Atheſinam Tridentum contendemus, quod Diis nobis bene fauentibus proximo die Mercurii intrabimus, vbi deſideratius nobis nihil poterit eſſe hac gratiſſima, ac diu expectata commoditate, ſermones cum Reuerendiſſima D. V. miſcendi; quam vt Deus diu ſeruet incolumem optamus, cuius nos gratiae interim commendamus. Brixinae IIII. die Decembris M.D.LXIII.

CLXXII.

Caesar Ferrantius Hosio.

De studio theologico cardinalis S. Angeli quaedam narrat, gratumque animum, ob accepta Tridenti beneficia, testatur.

Vide, quanta in te sit humanitas, Cardinalis amplissime. Cuius enim rei si non idoneam, at certe probabilem excusationem afferre possem, eius rei meipsum apud te, in quem peccaui, accuso. Etenim cum mea in amplitudinem tuam singularis obseruantia ac perpetuum studium, & mirifica tua erga me beneuolentia, quam saepe multisque argumentis mihi & aliis indicasti, postulare viderentur, vt ad te quam saepissime scriberem: tamen postea quam Tridento discessi (discessi autem mense Aprili, itaque fere octo menses praeteriere) nullas ad te litteras dedi. Non igitur dicam, quod verissime tamen dicere possem, me argumenti inopia saepe fuisse a scribendo deterritum, ac quemadmodum facultatem fere nullam habeo ad scribendum; ita ne satis quidem otii habuisse, multarum rerum curis & assiduis occupationibus distractum, praesertim cum Cardinalis sancti Angeli, herus meus, ad sacram theologiam diligenter ac studiose perdiscendam singulis diebus, etiam festis, opera mea vti voluerit; etsi tam excellenti ingenio ac memoria, & tam acri iudicio sit, tantaque eruditione atque doctrina, vt minime alterius industriae indigeat, neque illud addam, nefas mihi visum fuisse, aureis, quae assidue tractares, plumbea mea intermiscere; ac tibi in Reipublicae Christianae maximis difficillimisque negotiis adeo occupato atque districto aliquid temporis eripere, quod lectioni mearum litterarum impertires. In hoc ego negligentiae meae, si tibi hoc nomine appellare eam libet, & litterarum missionis caussam non confero; quamuis si conferrem, apud te praesertim iudicem tam aequum, eam tanquam iustam ac legitimam excusationem a te acceptum iri sperarem. Sed his me non defendo, nec protego, omnem culpam in meipsum transfero. Nam

me ſatis officio meo feciſſe iudicaui, ſi de te ſemper cogitarem, tuamque incredibilem in omnes, & in me inprimis, humanitatem, tuam ſingularem virtutem ac ſapientiam, tuas denique laudes tum tacitus ipſe mecum colerem, tum aliis praedicarem: idem non iudicaui meis litteris declarandum; teque eum eſſe virum exiſtimaui, qui ab iis, quos diligis, ſi hoc erga te animo ſint, quo ego in te ſum, nihil praeterea aliud, ac ne haec quidem omnia, requiras. Quamobrem ita me negligentiae apud amplitudinem tuam accuſo, vt illud etiam affirmem, tua erga me merita, quae nulla vnquam delebit obliuio, nunquam ex animo meo excidiſſe: alioqui non modo ingratus, a quo ego vitio Dei munere ac conceſſu quam longiſſime abſum, ſed amens quoque fuiſſem, omnemque humanitatis ſenſum exuiſſem. Quodſi te ſcribendi etiam officium a me requirere intelligerem, non committerem profecto, vt me accuſare de litterarum negligentia poſſes. Quamuis enim eſſem occupatiſſimus, tantum mihi otii a quotidianis occupationibus ſumerem, quantum ad ceſſationem meam epiſtolarum crebritate ac longitudine ſarciendam ſatis eſſet. Equidem doleo, quod caream fructu iucundiſſimae conſuetudinis tuae, quae mihi inſtar eſſe vitae ſolebat; cuius ex recordatione ac memoria magnam capio voluptatem; ad quam aditum mihi patuiſſe, magno felicitatis loco pono. Deus opt. max. amplitudinem tuam Eccleſiae ſuae diu ſeruet incolumem. Reuerendiſſimos Epiſcopos Ilerdenſem & Oſcenſem & Turrianum tuum ſaluto plurimum. Vale. Romae pridie non. Decembr. M.D.LXIII.

ANNOTATIO.

Caeſar Ferrantius, qui, pro ſeculi ſui more ferme communi, a patria nomen aſſumſit, ac de Seſſa appellatus eſt, in catalogo patrum et theologorum Tridentinorum, Harduini to. x. col. 431. dicitur doctor theologus pro epiſcopo Sueſſano ſtetiſſe in concilio apud Ilerdenſem. Toppius in bibliothecae Neapolitanae elemento C pag. 63. refert, edidiſſe eum Brixiae anno 1562. apud Damianum Turlinum, forma quarti ordinis, orationem hoc titulo: *Oratio ad patres concilii Tridentini, habita in feſto D. Iohannis apoſtoli et evangeliſtae, 1562.* Ioannes Franciſcus Lombardus anno 1568. in die ſancti Martini ſcripſit ad Hoſium,

um, Ferrantium esse vnum ex familiaribus papae, Pii quinti, ac in quibusdam vices magistri sacri palatii gerere.

CLXXIII.

Lombardus Hosio.

Acta concilii Romae editum iri.

Desiderabam, Illustrissime Domine, vt absoluta sacrosancta synodo, cum aliis Reuerendissimis legatis se in vrbem conferret. At desiderium & expectatio irrita fuerunt: quae mirum in modum animum meum excruciarunt. E contra vero cum considerassem, D. V. Illustrissimam longe vtiliorem fore isthic, quam Romae, ob haereticorum tam rabidam perniciem, acquieui & acquiesco. Faxit Deus optimus pro sua pietate, vt praesentia D. V. Illustrissimae quamprimum omnes haereses radicitus e Polonia euellat, vt & aliae nationes habeant, quod imitentur. Illustrissimus Dominus meus, quibus potest verbis, non desinit se commendare tuae D. Illustrissimae, rogauitque Deum pro felici itinere, quod iam praestitisse credo, & spero. Expectat idem Illustrissimus Dominus librum confessionis vestrae: itaque rogo D. V. Illustrissimam vt nacta opportunitate ad nos transmittere dignetur, nec mei obliuiscatur. D. Torrensem nondum vidimus: nescimus, quo se contulit. Iam summus pontifex mandauit patrono meo, vt curam habeat imprimendae synodi Tridentinae, quae typis D. P. Manutii excudetur quam cito. Imprimentur tantum decreta & canones. Postea alio volumine vniuersa historia imprimetur. Caeterum, ne sim fastidio D. V. Illustrissimae finiam, rogans D. N. Iesum Christum, vt sit perpetuus comes D. V. Illustrissimae, qui custodiat ab omni malo vsque ad diem aduentus sui; & domino Ioanni, nepoti honestissimo, ac R. D. Secretario, iuueni religiosissimo me commendare non grauetur. Ex vrbe VII. Id. Ianuar. 1564.

ANNO-

ANNOTATIO.

Ioannes Franciſcus Lombardus, Neapolitanus, cui Putei gratiam Hoſius ſupra p. 225. conciliatum ibat, cum cardinali Seripando ad Tridentinum concilium acceſſit, vbi theologis ſecularibus, & iuris canonici doctoribus annumeratus eſt. * Scripta eius, in quibus etiam eſt oratio in Tridentina ſynodo habita, recenſet Toppius p. 145. bibliothecae Neapolitanae. Videtur aula Romana cordatum virum ſaepe fruſtra habuiſſe, vnde Bernardinus Rota hoc epigramma in eum luſit, p. 92. recitatum a Toppio:

Maximus es meritis, vita bene maximus acta,
Te tamen et nequeo dicere pontificem.

* *Vide Harduini concilia to. X. col. 432.*

CLXXIV.

Borromeus Hoſio.

Pontificem confirmare concilium velle, mandareque omnibus, vt eius decreta obſervent.

Quos mihi D. Veſtra Illuſtriſſima paulo ante, quam Tridento proficiſceretur, per literas commendauit, Archiepiſcopum Idruntinum, & Aſaphenſem Epiſcopum, eos ego multis de cauſis plurimi facio, & amo ex animo, ac ſane quibuscunque rebus potero vtriusque rationes omni ſtudio & opera mea complectar; quod cum illorum cauſa libenter faciam; tum vero multo libentius, vt intelligant omnes, quanti ponderis apud me ſit teſtimonium & auctoritas D. Veſtrae Illuſtriſſimae, cui debeo ſtudium, & obſeruantiam ſingularem. Cupimus vehementer fieri certiores de proſpera valetudine Illuſtriſſimae D. Veſtrae: nam non parum ſollicitos nos habet eius iter longinquum, & ſuſceptum minus commodo anni tempore: de quo, dum certius aliquid habebimus, ei facilia omnia & ſecunda precari non deſinemus. Sanctiſſimus Dominus noſter valet Dei benignitate,

vt

vt cum maxime totusque in eo eſt, vt concilii acta confirmet, & in mores inducat: iamque negotium dedit aliquot Cardinalibus, vt curent, ne quid per Datariam, neue per Conſiſtorium agatur contra decreta concilii. Declarauit etiam omnibus, ſe grauiſſime laturum, ſi quis huic eius voluntati aduerſari voluerit. De Epiſcopo Commendono poſt aduentum eius Poſſonium nihil habemus, cui tamen ſperamus omnia proſpera eueniſſe, idque iam ex eius litteris cognoſcemus. Interea cum his literis alteras ad ipſum dedi iuſſu ſanctiſſimi Domini noſtri, vt cum Dominatio Veſtra Illuſtriſſima in Poloniam venerit, nihil publice agat, niſi de eius conſilio atque ſententia: a qua ipſum Epiſcopum omnino pendere vult Sanctitas ſua; quippe quae non dubitat, Illuſtriſſimae Dominationi Veſtrae nihil antiquius eſſe religione & quiete ac ſalute Poloniae. Itaque hoc negotium ſuſcepit libenter, ipſumque Commendonum, quibuscunque rebus poterit, adiuuabit. Quod reliquum eſt, ei ego ſtudium & obſeruantiam meam deferens, incolumitatem & felicitatem precor. Romae die XV. Ianuarii M. D. LXIIII.

CLXXV.

Cardinalis Tridentinus Hoſio.

Dolet, quaedam feſtinanter circa concilii finem decreta eſſe, ac plures haud obtemperaſſe conſiliis Hoſii.

Vtinam prius, quam abſolutum eſſet concilium, Reuerendiſſimae D. V. doctrinae, virtuti & auctoritati locus, vt par erat, fuiſſet relictus, nunquam ſane dubitaſſem, quin omnia ex chriſtianae reipublicae dignitate, & ex bonorum ſententia eſſent ſucceſſura. Nunc autem, cum videamus, quamplures ab eius ſapientia, conſilio, integritate nonnullis in rebus diſſenſiſſe; equidem quae poſtremo in concilio feſtinanter decreta ſunt, non

prius commendabo, quam a ſanctiſſimo D. N. cuius voluntatem iudicio praeferam meo, fuerint confirmata. Nihilo tamen minus Reuerendiſſimae D. V. virtus, quae ſui amore bonorum omnium animos inflammauit, ſemper eluceſcet, atque hoc ego de me illi vere polliceri queo, eius prudentiae ac praeclarae in me voluntatis memoriam nullam mihi vnquam obliuionem deleturam. Idem etiam de Cardinale Madrutio, qui D. V. Reuerendiſſimam ſemper mirum in modum obſeruauit, eiusque auctoritatem et veſtigia ad memoriam omnium ſempiternam fixa totis ingenii viribus, quoad potuit, ſubſecutus eſt, pollicerer, niſi viderem, ſatius eſſe, in officio nos perſiſtere, quam longiori oratione voluntatem declarare. Pergratum mihi fuit, Reuerendiſſimam D. V. Brixinae aediculas noſtras praeſentia ſua dignaſſe, atque hac etiam de re plurimum illi me fateor debere. Vnum doleo, me praeſentem eam excipere, omnibusque beneuoli et propenſi animi officiis proſequi non potuiſſe. Quare D. V. Reuerendiſſimam rogo, vt cum pauca acceperit hactenus mei erga ſe amoris ſigna; ita me meisque rebus omnibus poſthac vtatur, vt et illa intelligat, quanti faciam ſuam virtutem, et ipſe Reuerendiſſimae D. V. perpetuo inſeruiendo vberes capiam meae erga illam obſeruantiae fructus. Quod reliquum eſt, ſuam ei valetudinem et mea obſequia etiam atque etiam commendo. Roma die XX Ianuarii MDLXIIII.

CLXXVI.

Borromeus Hoſio.

Concilium nationale noxium fore: confirmatam eſſe Maximiliani electionem.

Molto Reueren. Sor come Frello Non ſi ſono hauute ancora le trè che la S. V. dice hauer ſcritto da Cracouia, et da Ilza; mà da quella data

ta in Tarcino appreſſo Varzoula à li XII. di X^mbre habbiamo inteſo con
uzere de la ſua giunta là à ſalua.mento, et in tempo che le Comitie non
no cominciate. Hora aſpettiamo qualche buona nuoua dei ſucceſſi di
tte Comitie; perche ſe ben voi ne moſtrate ne le voſtre lettere poca ſpe-
nza, per i ragionamenti tenuti con Cracouia et altri, nond.no per
uiſi più freſchi da la Corte de l' Imp.re et d'altroue intendemo, che non
parlerà di Concilio nationale, ne ſi tratterà, ò almeno non ſi concluderà
ſa preiudiciale à la dignità Eccleſiaſtica et à la Religion catolica. Il
e ſperamo tanto più, perche da la prudenza di V. S. ci promettemo
ni buona opera, potendoſi maſſime valere de la occ.ne che le dà il buon
e del Concilio, et la riſoluta et ſanta mente di ſua B.ne in voler eſſe-
irlo, et oſſeruarlo, et far medeſim.te per quanto ſarà in lei, che ſia
eruato et exequito da ognuno. La S.tà ſua in un Conſiſtorio che fece
li 26. del paſſato, confirmò tutti gli atti del detto Concilio, tanto quelli
to Paulo et Giulio III. di ſ.ta mea quanto quelli del ſuo Pontificato; et
ra ſi fanno ſtampare dal Manutio per mandarli di quà ben corretti per
tte le Prouincie; il che ſarà piacendo à Dio à quareſima; et allhora
manderò alcuni eſſemplari à V. S. acciò col preſentarne à quella Ma.tà
Perſonaggi tanto Ecc.ci quanto ſeculari, poſſa dechiarar loro la mente
ſua B.ne in voler oſſeruarli, et procurar che da altri ſiano oſſeruati.

Mons.or Viſconte, che ne l'andata ſua in Spagna, hebbe commiſſione
far per coteſta Ma.tà tutti gli officii, che da quel ſuo Secr.o gli foſſero
cordati, ſcriue che il detto Secr.o gli hà detto, che per allhora non ha-
ua biſogno di affaticarlo, mà che ſe gli fuſſe occorſo di aiutarſi del
me, et autorità di ſua B.ne ne lo hauerebbe ricercato. A ſua S.tà piace
finitamente, che 'l neg.o ſia condutto à buon termine; mà ſe pur biſo-
nerà il mezo di ſua B.ne, noi hauemo replicato al p.to Mons.or Viſconte,
al Nuntio ordinario, che non manchi di quanto il detto Secr.o gli ri-
rcherà, et di ciò V. S. potrà certificar la Ma.tà ſua.

Dal paeſe de' Suizzeri ſiamo auuiſati, che Zuricani, et poi quelli di
aſilea hanno bandito quel peſtifero Apoſtata Bernardino Ochino Seneſe,
ne ſeminaua in quei paeſi la zizania che V. S. ſà; et queſto per hauer
ampati alcuni libri, che fanno nauſea à lor heretici medeſimi; Et per
he ſcriuono che queſto triſto era per ritirarſi in qualche luogo del Regno

di Polonia, la Stà ſua giudica eſpediente che V. S. dia conto à quella Mtà de la peruerſa natura et coſtumi di queſto huomo et procuri che non ſia riceuuto in quel Regno, accioche la infettion ſua non corrumpa quel che c' è di buono, et induca maggri diſcordie in quel Regno. Ne hauendo da dir altro à V. S. mi offero di continuo. Di Roma à V. di Febro MDLXIIII.

Come Frello

C. Carle Borromeo.

Queſta ſera N. Sre in vna congregne generale hà approbato, et confirmato la elettione del Sermo Rè de' Romani: et per corriſpondere à tutti quei termini di paterna charità, che ſi poſſono deſiderare da la Stà ſua, ella hà voluto con queſto atto ſupplire à tutti i diffetti de la elettione; et hà poi fatto vna larghiſſa commemoratione de li meriti et laudi de la Mtà del Rè prefato, et de l' Impre ſuo Pre Poſdimane ſi darà conciſtoro publico al Conte d'Elfeſtain, che è venuto qui Ambre di detto Rè à rendere l' obedientia. Il che ſeruirà per auuiſo.

Al molto Reueren. Sor come Frello
Monsor il Viſco. Commendone, Nuntio di N. Sre
In Polonia.

CLXXVII.

Borromeus Hoſio.

Pontificem concilium confirmaſſe.

Ex litteris D. V. Illuſtriſſimae Cremza datis ſanctiſſimus D. N. magna animi voluptate cognouit rerum iſtarum ſtatum: maiore

maiore etiam reliqua, de quibus pie ac prudenter monet, quae tanti apud eum ponderis ſunt, ſemperque fuerunt, quanti eſſe debent pro monitoris ſapientia ac religione ſingulari. Illud certe omnes libentiſſime cognouimus, D. V. Illuſtriſſimam valere, vt volumus, commodeque ac iucunde iter facere: de quo etſi nos Delfinus Nuntius fecerat certiores; tamen auidiſſime ipſius etiam litteras expectabamus. Ac me quidem, qui D. V. Illuſtriſſimae colendae & obſeruandae appeto principatum, incredibili laetitia affecit felicitas itineris, et optati ac maturi (vt ſpero) reditus domum; vnde crebras etiam litteras expecto, quibus aliquid mihi ab Illuſtriſſima D. V. mandari cupio, in quo poſſim expromere eximium ſtudium et cupiditatem meam gratificandi ei, et, vt ab ipſa praecipue diligar, promerendi. Nos hic valemus, inprimisque Dei benignitate. Sanctiſſimus D. N. qui proximo Conſiſtorio confirmatis, vno ſacri collegii conſenſu, decretis omnibus concilii Tridentini, vehementer nunc occupatus eſt in ratione ineunda ac reperienda via, quemadmodum illis in mores vtiliter ac ſalutariter inductis, eorum conſuetudo capiatur. Interea decreta Romae imprimuntur, vt ineunte Quadrageſima peruulgari poſſint; ea ad omnes et Nuntios et fortaſſe principes mittentur per certos homines, vt correcta et emendata (ſicuti hic impreſſa ſunt) perferantur, omneſque intelligant, quantopere laboret S. D. N. vt illa ſancte inuiolateque ſeruentur. Nudius tertius Romam venit Sereniſſimi Romanorum regis legatus, praeſtandae obedientiae cauſa. Haec habui de noſtris rebus, quae agerem cum Illuſtriſſima D. V. cui perpetuum ſtudium atque obſeruantiam meam deferens, diuturnam vitam & incolumitatem aſſidue precor. Datum Romae V. die Februarii MDLXIIII.

Hodie S. D. N. frequentiſſimo Cardinalium concilio Sereniſſimi Romanorum regis electionem confirmauit, ſuppletis & cumulatis omnibus, quaecunque ei electioni deeſſe viderentur. Qua in re ſic & Ferdinandi Caeſaris & Maximiliani Regis ma-

ieſtates commendauit, nihil vt praetermiſerit, quod poſitum eſſet in declaratione amoris & paternae charitatis, aut in honore verborum. Perendie dabitur publicus Senatus regio legato, in quo is S. D. N. debitum obedientiae officium praeſtabit.

CLXXIIX.

Cromerus Hoſio.

Varia narrat, ac queritur de falſis fratribus.

Hoc veſperi primas e Pruſſia litteras tuas accepi. Meae complures, vt intelligo, cum alienis adiunctis nondum ad te peruenerant, cum illas ſcriberes. Sed non dubito, partim iam peruenisſe, partim peruenturas eſſe. Nam eas vel ad aulam regiam, vel ad tuos Cracouiam miſi. Mitigant eae, ſpero, tibi, luci hominum aſſuefacto, ſolitudinem iſtam, quae ne tibi moleſtior ſit, vereor. Tolerabilior quidem fuerit, ſi perpendas tecum, neque Romae, neque in comitiis Varſauienſibus eſſe, quod te oblectare poſſit, praeter paucorum hominum conſuetudinem, & eam quidem, vt nunc ſunt tempora, gratam magis quam iucundam, quam litterae ſupplere poterunt. Nam apud iſtos fratres noſtros omnia, vt video, fucata & ſimulata, ac vere Pruſſica ſunt. Ad tene de canonicatu vacante, aut de coadiutoria iſta relatum non eſſe? Sed poteris vlciſci contemptum vel ſtatuto regni. Hic enim diſſentire a fratribus non fratribus licere arbitror. Commendonus mihi quoque nonnulla eiuſdem modi ſcribit: archiepiſcopus deſiit neſcio qua de cauſa. Nimis longum eſt, expectare imminentem interitum. Maturandus eſt nobis ipſis. Creditur autem, ſuperbos ſine iurgiis eſſe poſſe? Perierint libentius, quam vt ſeruari velint ab iis, quibus non bene volunt.

Gratiarum actiones atque debitiones omitte quaeſo. Scio ego,

ego, quantum tibi debeam. Sperlingo miſi, quantum iuſſiſti, ad manus Staphyli. Verum Staphylus mortuus eſt poſt acceptam, vt mihi refertur, pecuniam. Quinto Martii. Sperlingus ſcripſit huc ad Porembium meum de morte eius: pecuniae nullam prorſus facit mentionem. Scribam nunc ad eum. De vicino tuo ac fratre eius quid ſcribas, non intelligo. Quid? viuitne Vilelmus? Bibat etiam, ſi videtur. De glire illo ſeu cucurbita Caliſſienſi nihil noui. De fratre magis miror. Gneſnenſis mihi quoque talis eſſe viſus eſt, qualem tu depingis. Quo magis doleo, exiuiſſe eum a nobis. Reduc, ſi potes. Non erit, opinor, difficile, ſi a Piccardis ſeſe disiunxit. Niſi forte libet etiam ipſi ludere fidibus itidem ac Palatino Vilnenſi. De cuius inſolentia Cracouia mihi ſcribitur. Varſauia neque hoc, neque quicquam. Poſnanienſis epiſcopi aduentus, ni fallor, expectatus eſt. Sed iam is Varſauiae adeſſe debet ante octauum diem. Nec is caret obtrectatoribus. Si ſatisfecerit regi, mittetur credo in Hiſpaniam. Ex eo rationes meae dependent. Galerum reliquerant tui Paſſauii in diuerſorio. Ego huc a tuis conſecutis mihi traditum obſignaui, ne ad ſucceſſorem deuolueretur. Alleuaſſet eum vel e luto, nihil moratus adiunctas curas & moleſtias. Tu vide, ne a tineis corrodatur. De Duditii legatione nihil certi adhuc. Expectatur Roma reſponſum, an ſit ſpes impetrandi, ne repulſam patiamur. Interea ne ſenem languidum tuſſis vel febricula enecet, metuunt multi. Progreditur is tamen ad ſacra, & cupide commodius tempus expectat, vt expatiari quoque foris, ac deinde Pragam proficiſci queat. Indicauit mihi nuper quidam Conſiliarius: editos eſſe nonnullos libros lingua Slauica. Id cum comperiſſet ſenex, iuſſiſſe eum inquiri. Cognitum eſt, filii voluntate id factum eſſe. Silentium igitur eſſe. Idem dixit, Parochum quendam, qui habeat aliquot millia hominum curae ſuae ſubiecta hic in Auſtria, propoſuiſſe & pro concione ſuaſiſſe vtramque ſpeciem. Pauciſſimos fuiſſe initio, qui acceperint: deinde vero ad ducentos tamen peruenisſe. Auſtriaca comitia quid de Auguſtana confeſſione impetrent, nondum

dum conſtat. Syncretiſmum Argentinenſem tibi mitto. Si continuantur comitia, viſas regem quamprimum ſuadeo, ſtatimque impetrato commeatu redeas. Non negabitur. Roma epiſcopi exiguntur ad reſidentiam: Bulla confirmationis adhuc premitur. Non conuenit inter fabricatores eius. De Morono huc allegando muſſitatur. Vale. Vienna 18. Martii 1564.

CLXXIX.

Borromeus Hoſio.

Pontificem dolorem capere ex diſcordia epiſcoporum Polonorum.

Illuſtriſſimam Dominationem veſtram, ſuperatis incommodis ac difficultatibus itinerum, ad ſuae commorationis ſedem peruenisſe ſaluam, mirifice gaudeo: vbi omnes laſſitudinis, languoriſque reliquias ac moleſtias Dei benignitate deponet. Quod cum caeteris de cauſis vehementer opto, tum, vt diem poſſit obire comitiorum, congreſſuſque & colloquii cum Sereniſſimo Rege; quam actionem, fretus eius prudentia ac religione ſingulari, rebus iſtic varie perturbatis, magnum ad tranquillitatem adiumentum allaturam confido. Nuntii actiones, quae multorum litteris & ſermone commendantur, Regi regioque conſilio gratas eſſe non miror; & valde laetor. Ad eum ſcripſi de rebus, quae in praeſenti nobis occurrunt, dixique, vt omnia cum D. V. Illuſtriſſima communicaret. Haec igitur ab eo cognoſcet, illudque praeterea, vt tamdiu in iſto regno commoretur, quamdiu videbitur Dominationi veſtrae Illuſtriſſimae cuius conſilium cum ſecuta ſit eius Sanctitas in illo iſtuc mittendo, vt & periculis, quae imminebant, occurreret, & bonis piiſque ſuccurreret, quacunque ratione poſſet; minime eum reuocandum ſtatuit, dum ipſa praeſentem eius curam & operam Polonicis rebus vtilem iudi-

iudicat, ac neceſſariam. Qua in re nulli erunt ei graues ſumptus, qui regno veſtro tranquillitatem aliquam ac ſalutem pariant. Et ſi meliora iſtinc cupit audire de pace & concordia epiſcoporum: hic vero eius Sanctitas adduci poteſt vt credat, iſtos publicae vtilitati & ſaluti ſua commoda & priuatas cupiditates anteferre: quare Dominationem V. Illuſtriſſimam rogat, vt omni opera atque ope contendat, vt diſtractos illos in gratiam concordiamque reſtituat, & ita afficiat, vt conſentientibus ſtudiis in commune bonum & in Dei gloriam incumbant. Et quoad Nuntii manſionem apud vos, ſi ampliſſimo iſti regno vtilem ac neceſſariam eſſe cenſet Illuſtriſſima D. V. eius rationi atque ſententiae, quam plurimi facit S. D. N. libenter obſequetur.

Lenitatem & humanitatem vicini ducis gratulor Illuſtriſſimae Dominationi V. etſi neminem eſſe arbitror, vel optimae cauſae inimicum, qui, etiamſi re & ſententia ab ea diſſentiat, tamen eius inſignem probitatem atque doctrinam non amet & admiretur.

Magno eſt argumento, ſocios Ieſuitas re eſſe ab illo, vnde nomen duxerunt, quod ſuſpicione eorum iſtuc aduentus terrerentur miniſtri & ſatellites nefarii illius hoſtis, cuius foror in nomine Ieſu contremiſcit timore perterritus. Ego Illuſtriſſimae D. veſtrae amorem & obſeruantiam meam, cupiditatemque gratificandi ei in omnibus, quae ſtudio, cura & opera conſequi poſſim, ex animo polliceor ac defero; eidemque omnia precor & proſpera & ſalutaria. Romae XV. Aprilis MDLXIIII.

CLXXX.

Franciſcus Torrenſis Hoſio.

Pontificem praecepiſſe, vt epiſcopi abirent in ſuas dioeceſes: concilium, non autem clandeſtina matrimonia, confirmaſſe: quosdam cardinales petiiſſe, vt illud decretum tolleretur.

Quod non ſcripſerim prius ad D. V. Reuerendiſſimam, in cauſa fuit morbus ex renibus, in quem incidi ex itine-

re. Medicina, quae mihi facta eſt, hactenus morbum magis alleuauit, quam depulit. Frequens mihi cibus ſunt leues maluae. Sed quamquam infirma valetudine, obiui tamen ſalutationis tuae officium mihi mandatum. Mirum eſt, quam gratum omnibus fuerit: & quam beneuole te reſalutent. Nonnulli ex eis mirabantur, quod Romam videre nolueris Cardinalis factus: vſque adeo placet Roma vrbanis iſtis Cardinalibus. Sed melius, honeſtius & vtilius D. V. Reuerendiſſima cogitauit. Saepe iuſſit pontifex epiſcopis & quidem cum ſtomacho, vt audio, proficiſci ad Eccleſias ſuas, neque tamen adhuc paruerunt omnes. Expectatur ad tertium aut quartum diem edictum mulcta propoſita non receſſuris ad tertium diem poſt edictum propoſitum. De concilii confirmatione credo te iam audiſſe. Confirmantur omnia & ſingula, quae acta & decreta ſunt, in quo decreto confirmationis non videtur mihi contineri confirmatio clandeſtinorum matrimoniorum, quod (vt ego quidem interpretor) nihil intelligatur actum aut decretum in concilio, quod legatorum approbatione careat, qui locum pontificis tenebant. Illa enim per ſe pontifex confirmat, quae prius per legatos ſuos, id eſt, vicem eius obeuntes approbauerat, vt ex epiſtola Leonis 59. de concilii Chalced. confirmatione intelligere licet. Dixi hoc quibusdam Cardinalibus, qui cum ſententiam noſtram ante confirmationem acriter defenderent, neſcio quomodo poſt confirmationem concilii refriguiſſe videntur. Credo quod eis pontifex clandeſtina confirmaſſe videatur; ſed mihi certe non videtur: & eos ego quantum poſſum iſto ſcrupulo libero: ita tamen vt obſeruem, cum quibus mihi ſermo ſit, memor apoſtolici moniti & praecepti, cum ait, videte quomodo caute ambuletis, quoniam dies mali ſunt. Dixit mihi Reuerendiſſimus Cardinalis Sarracinus, qui vehementer miratur illius decreti nouitatem, (ſi decretum appellandum eſt, quod auctoritate legatorum, quae caput erat in ea ſeſſione, caruit) dixit (inquam) mihi ſecreto, pleroſque Cardinales ſententias de eo ſuas dicere voluiſſe, & quoſdam, vt deleretur illud decretum, petiſſe, id enim fieri poſſe aiebant, nihil derogando con-

concilio Tridentino, quod ea, quae ad reformationem pertinerent, ſalua ſemper auctoritate pontificis decernerentur. Addebam ego hic, eo magis fieri hoc poſſe nihil derogando concilio, quod auctoritas legatorum non acceſſiſſet. Dixit mihi idem auctor, cum videret pontifex voluntates Cardinalium, iuſſiſſe, vt non fieret de his ſermo. Contentum ſe eſſe generali decretorum confirmatione, ſi quis praeterea de eo, aut alia re poſtea dubitaret, reſponſurum ſe, cum ad ſedem apoſtolicam conſulendi cauſa veniret. Audiui ex Iulio Pogiano, ſcripſiſſe iſtinc D. V. Reuerendiſſimam ad Reuerendiſſimum Borromaeum, vt admoneret pontificem, ne confirmaret decretum; quod quidem magna cum voluptate audiui: & hortamur ac precamur, vt non deſiſtat idem ſcribere & admonere. Crede mihi, multum profuturum eſſe ſperamus propter magnam tui apud pontificem & exiſtimationem & gratiam. Ego quia ſolus eram ex Tridentinis, qui hanc ſententiam defenderem, (aegrotabat enim pater Lainus) & quia inuidia propter libellum illum meum, lite, vt iſti loquuntur, pendente editum laborabam, non potui aperte agere. Immo erant, qui exiſtimarent, cum poſt aduentum meum ad deoſculandum pedes pontificis irem, non fuiſſe me pontificem libenter viſurum: ſed fefellit eos opinio: dedit enim mihi Deus gratiam in conſpectu eius. Aderant VIII. aut IX. Cardinales, ex quibus me Reuerendiſſimus Moronus perbenigne deduxit. Aderat proximus Reuerendiſſimus Borromaeus. Tunc pontifex humaniſſimo & blandiſſimo vultu, & verbis item humaniſſimis me excepit, iocundus (inquit) nobis eſt aduentus veſter: & volumus vos remunerare. Reuerendiſſimus Cardinalis Boromaeus, qui meminerat offenſum fuiſſe pontificem illa mea ſuperiore clandeſtinorum in publicum emiſſa defenſione, & ea de cauſa non audebat mihi multum gratiae oſtendere, coepit deinceps liberiore ac fidentiore animo erga me eſſe. Itaque promittit ſe velle de ſtipendio illo meo Tridentino agere & perficere. Adiuuat Reuerendiſſimus Cardinalis Gonzaga & quidem magno ſtudio. Neſcio quorſum euaſura ſit res. Ego bene

ſpero. Fiat tamen voluntas Dei. Faciam, vt ſciat D. V. Reuerendiſſima, quicquid euenerit. Interim precor D. V. Reuerendiſſimam, vt ſcribat ad d. Ioannem nepotem, vt ſi quid ei opus fuerit, mihi ea fiducia dicat, vt ſi D. V. Illuſtriſſimae diceret. Quid dixi, vt ſi D. V. Illuſtriſſimae diceret? dicere volui, vt ſi D. Valentino diceret, immo multo fidentius. Index librorum confectus eſt: & quotidie ſperamus, vt exeat ex typographia. In breuiario laborant Mutinenſis & Lanchianenſis: laborant quoque in catechiſmo. Faciat Deus, vt exeat, qualis hanc ſanctiſſimam & grauiſſimam ſedem totius orbis magiſtram apoſtolicam decet. Abſolui ſcholia in Conſtitutiones Clementis latinas: ſpero cito, ſi Deus voluerit, hic Romae edere. Heri diſceſſit Reuerendiſſimus Roſanenſis, cui catecheſes Cyrilli commendaui. Salutabit D. V. Reuerendiſſima meo nomine omnes ſuos domeſticos, & inprimis D. Nicolaum & D. Valentinum cum meo D. Grodeno. Seruet Deus diu incolumem D. V. Reuerendiſſimam ad aedificationem Eccleſiae ſuae & laetitiam noſtram & fructum. Magna eſt inter oratores Galliae & Hiſpaniae de loco ſedendi concertatio. Omnes condemnant vulgo Philippum. Et pontifex, vt aiunt, decreuit decernere primum locum regi Galliae, quod ad gloriam Dei, cuius eſt iuſtitia, optamus. Romae 17. April. 1564.

ANNOTATIO.

Franciſcus Torrenſis, ſeu, Turrianus, Hiſpanus theologiae doctor, non indiligenter tractavit Graecos eccleſiae patres; ſed artis criticae expers multa pſeudepigrapha, tanquam genuina eſſent, congeſſit, centuriisque Magdeburgenſibus oppoſuit. A pontifice ad concilium miſſum ſupra p. 218. Hoſius ſingulariter commendavit Morono. In editis Hoſianis extat Hoſii ad Torrenſem ſcripta epiſtola LXXVII. et CLXXV. Torrenſis ad Hoſium. Fuerunt, qui Torrenſem et Turrianum cum Gesneri bibliotheca p. m. 246. pro diverſis autoribus haberent. Sed ex Alegambo, qui libros eius p. 140. bibliothecae diligenter recenſet, manifeſtum fit, eos omnes in errore verſari. Qui initio Torrenſis, in provecta aetate Turrianus dictus eſt. Anno 1566. ſenex, rite depoſitis tirocinii rudimentis, ſocietatis Ieſu militiam ſuſcepit, in eaque mortuus eſt Romae

1584.

1584. Multa de eo collegit Pope Blount in cenſura p. m. 480. Inſtar omnium eſſe poteſt Caſauboni iudicium, quod ad annalium Baronii annum XXXI. in fine numeri XXVII. tulit: *Turrianus erat homo, cuius eruditionem citius laudaveris, quam iudicium. Quid dico iudicium? Apello confidenter omnes eruditos partium illarum viros, quos non dubito Turrianum habere oſtentui, tanquam perfectiſſimum exemplar ἀκριβίας, temeritatis, audaciae, et inaniſſimae vanitatis.*

CLXXXI.

Auguſtanus Hoſio.

Reditum ſuum ex Hiſpania ſignificat, laudatque Navagerium.

Redeunti ex Hiſpaniis datae mihi ſunt Dominationis V. Illuſtriſſimae litterae, quibus ſe felici itinere ſoſpitem ad Eccleſiam ſuam rediiſſe ſignificatum voluit. Habeo ei gratias, quod optatiſſimo nuntio me impartiri dignata eſt. Quanquam enim ſuauiſſimo eius colloquio carere graue mihi eſt, atque eodem ſaepius frui, ſi Romae permanſiſſet, ſperare poteram; tamen quod reditum in patriam quanto auebat ſtudio me minime latet, voti eam compotem eſſe factam mirifice gaudeo. Mihi enim, vt ſpero, quantum ad colloquium noſtrum attinet, litteris ſatisfaciam, quas ad D. V. Illuſtriſſimam ſaepius ſcribendo ab ea extraham. Nos ſatis longo itinere in Hiſpaniam tandem venimus, Barchinonemque applicuimus, vbi cum aduentum noſtrum Philippum Regem praeſtolantem inueniſſemus, mihi, cui Sereniſſimos Bohemiae Principes in manus ei tradere iniunctum erat, longius progredi non fuit neceſſe, meoque functus munere iiſdem, quibus aduectus fueram, triremibus in Italiam redii, & Dominationis V. Illuſtriſſimae exemplum ſecutus, vt Auguſtanam meam Eccleſiam inuiſerem, eiuſque curae pro viribus incumberem, itineri me dedi. Veronae cum Cardinali Nauagerio biduum com-

moratus ſum, grauitate hominis, vrbanitate condita, maxime delectatus, fuitque nobis ſaepius de Dom. V. Illuſtriſſima ſermo, quam cum ille ſummo proſequi amore, eidemque ſe addictum oſtenderet; beneuolentiam atque obſeruantiam in ſe meam mirifice auxit. Dedit mihi ad D. V. Illuſtriſſimam litteras, quas cum Viennam venerim, vt Imperatorem & Rom. regem de prouincia ab eis mihi demandata docerem, loci vicinitate illectus facile ipſe detuliſſem, ſi, quod maxime cupio, Illuſtriſsimam D.V. inuiſere, id praeſtare nunc vires ſufficerent. Sed longo itinere feſſus cum venire nequeam, mittendas cenſui. Dominationi V. Illuſtriſſimae omnia, quae optat, euenire deſidero, Deumque precor opt. max. vt chriſtianae reipublicae diu incolumem eam conſeruet. Dat. Viennae die XVII. Maii 1564.

Mandatum a D.V. Illuſtriſſima velim alicui, vt puſillum homunculum, quorum apud Polonos copia eſt, qui tamen puſillus ſemper permaneat, atque eleganti ſit forma, boniſque moribus praeditus, inueniendi atque Dillingam vſque ad me ducendi curam ſuſcipiat, ocreis, pileo & veſte indutum Hungarica percupio. Impenſas reddam omnes & gratiſſimum habebo. Iterum bene valeat.

CLXXXII.

Lombardus Hoſio.

Petit ſibi mitti refutationem Ioannis a Lasko.

Diu eſt, quod anxius feror de valetudine Illuſtriſſimae D. V. quae e meo pectore nunquam excidit, tum ob ſingularem verae pietatis catholicae zelum, quem in ea ſemper agnoui, tum ob beneficia tot in me copioſiſſime & magna beneuolentia collata. Scripſi diebus ſuperioribus iuſſu Illuſtriſſimi Domini

mei

mei D. V. Illuſtriſſimae per D. Georgium, & neſcio quid de literis illis factum ſit, at haec eſt conditio literarum omnium, & potiſſimum earum, quae longum conficiunt iter. In illis duo ſignificaueram Illuſtriſſimae D. V. alterum quod Illuſtriſſ. D. ſatis optabat videre Illuſtriſſim. D. V. & de facie agnoſcere, quam fama, & ſcriptis ſatis probe nouerat. Alterum vero, quod expectabat librum Antuerpiae excuſum. Expectabam & ego anxie, expecto adhuc. Rogo & obſecro D. V. Illuſtriſſimam, ne ſui ſerui obliuiſcatur. Cuperem quoque, niſi moleſtum eſſet & arrogans, (quod abſit) vt Dominatio V. Illuſtriſſima dignaretur mihi ſignificare, ſi libros, quos edidit in Ioannis Lasko inſanias, iam abſoluerit. Nepotem D. V. Illuſtriſſimae vidi cum Domino Eraſmo, ambo Dei munere, bene valent, & in literis proficiunt: legi quosdam eorum partus literarios doctos & elegantes. Seruitutem meam ipſis gratia Illuſtriſſimae D. V. libentiſſime obtuli, &, ſi quando occaſio aderit, paratiſſimum me inuenient. Multum enim debeo Illuſtriſſimae D. V. quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus incolumem diu ſeruet, vt haereticorum in Polonia tetricam rabiem compeſcat & mulceat. Rev. Syrletus & D. Torrenſis plurimum ſe ipſos commendant Illuſtriſſimae D. V. Cardinalis meus adeo D. V. Illuſtriſſimae amantiſſimus eſt, vt nihil ſupra, nec mirum: ſic olim dixerat Theocritus

Τέτ]ιξ τέτ]ιγα φιλεῖ καὶ μύρμηξ μύρμηκα,

& Ariſtoteles ita docuit, in habentibus σύμβολον facilis eſt tranſitus. Bene valeat Illuſtriſſima D. V. in Domino ſemper, in aeternum & vltra. E Roma 4. Non. Iun. 1564.

Illuſtriſſimae D. V.

Seruus ἐκ τῆς καρδίας

Ioan. Franciſcus Lombardus

CLXXXIII.

CLXXXIII.

Borromeus Hoſio.

Gratum pontifici eſſe, quod Commendonus legatione ſua rite fungatur.

Magnam voluptatem attulerunt Sanctisſimo D. N. nobiſque omnibus litterae D. V. Illuſtrisſimae X. Aprilis datae, propter iucundisſimum nuntium ſecundae eius valetudinis, atque etiam quietum & tranquillum ſtatum ſui epiſcopatus. In cuius gregis cura atque adminiſtratione, quemadmodum nobis certum eſt, nihil ipſam praetermiſſuram, quod ad optimi ac prudentiſſimi paſtoris officium pertineat; ſic Deum precamur, vt calamitoſis his temporibus piis conſiliis Reuerendisſimae D. veſtrae ſalutares exitus reſpondeant.

Quod Nuntius praeclare fungatur officio ſuo, recteque & ordine gerat ea, quae & S. D. N. & Dominatio V. Illuſtriſſima de illo ſibi pollicebantur, id ſane gratiſſimum eſt S. ſuae, cum propter paternam quandam curam ab eo ſuſceptam de ſalute hominum, rerumque Polonicarum, tum Illuſtriſſimae D. V. cauſa, cuius auctoritate & conſilio illud negotium datum eſt epiſcopo Commendono. Qui quidem epiſcopus, vt pro ſua parte ea perficere poſſit, quae vtiliter inſtituta & aliquotenus progreſſa videntur, placet S. ipſum tandiu iſtic eſſe, quamdiu opportunum ac neceſſarium rebus iſtis fore iudicabit D. V. Illuſtriſſima. Faciat modo beneficentiſſimus Deus, vt regnum iſtud ampliſſimum colat, obſeruetque decreta concilii Tridentini, eo ſtudio ac diligentia, qua debet, quod & vehementer cupit eius Sanctitas & quieti ſalutique publicae conducit.

Ego vero Deo gratias ago, quod R. D. V. fructum ceperit amplisſimum curae ac diligentiae, qua complexa eſt Braunsbergenſes ſuos: itemque ei gratias ago pro labore ſuſcepto, vt me de omnibus ſubtiliter accurateque faceret certiorem. Caetera

quae

quae de rebus noſtris ſcire volet, a Nuntio cognoſcet, in cuius diligentia conquieſcens, ſtudium & obſeruantiam meam D. veſtrae Illuſtriſſimae ex animo defero, quam Chriſtus Ieſus Eccleſiae ſuae diu ſaluam & incolumem ſeruet. Datum Romae die X. Iunii 1564.

CLXXXIV.

Laynezius Hoſio Roma Heilspergam.

De mittendis in Boruſſiam ſocietatis Ieſu theologis.

Pax Chriſti & omne bonum.

Accepi litteras D. V. Illuſtriſſimae 14. ac 16. Aprilis datas ſimul cum eo ſcripto, in quo acta in quodam oppido ſuo ad Dei gloriam & ciuium ſalutem continebantur; quod ſane & conſolationis plurimum & aedificationis nobis attulit, & aliis, in quorum manus peruenerit (curabimus autem vt hi multi ſint) eandem aedificationem allaturum ſperamus. Fecit enim ſtrenue D. V. Illuſtriſſima id, quod ſi alii facerent in ſimili gradu conſtituti, non tam deploratas in ſeptentrione res ad religionem pertinentes conquereremur. Deo ſoli honor & gloria. Quod attinet ad aliquos de noſtra ſocietate in Prusſiam tranſmittendos, antequam quid certi reſpondeam, expectabo litteras, quas ſe ſcripturam pollicetur D. V. Illuſtriſſima re cum apoſtolico nuntio collata. Hoc interim certo ſciat, animum noſtrum eſſe non minus propenſum ad res Prusſiae, quam Auſtriae, pro modulo noſtro iuuandas, etiamſi in eodem diſcrimine iſthic verſaremur, quod in Auſtria nos non reformidaturos ſcripſi, vbi talem ducem, qui exemplo ſuo nobis praeire ſit paratus, nondum inuenimus.

De nepote ac Eraſmo Dialinio ſcribet plura fortasſis Pater Polancus, vtrumque tamen nobis commendatiſſimum ſemper fore non dubitet D. V. Illuſtriſſima, cui ex animo precamur ſapi-

entiam, fortitudinem & demum abundantem ſpiritum Domini, vt omnia, quae ad Dei gloriam & commune bonum aggredietur, feliciter conficiat, ac cum omni ſocietate precibus ac ſacrificiis D. V. Illuſtriſsimae me quam humillime commendo. Romae 24. Iunii 1564.

ANNOTATIO.

Iacobus Laynez, Hiſpanus, in academiis Complutenſi et Pariſina curſum ſtudii theologici emenſus Ignatio Loiolae conſtituendae ſocietatis Ieſu inter primos adiutor fuit. Dicitur cardinalitiam dignitatem a Paulo IV. oblatam repudiaſſe. Niſi Alegambe in bibliotheca ſcriptorum ſocietatis Ieſu p. m. 204. lectores fallit, XII. cardinales, ex vniverſo collegio lectiſſimi, in ipſum ſuffragia ſua contulerunt, vt poſt Paulum IV. pontifex maximus fieret. Anno 1561. cum Hippolyto Eſtenſi, cardinale legato, a Pio IV. in Galliam miſſus, ſi quid ſolidi habent Alegambii ampullae, in publico totius regni Galliarum conventu, cum colloquium Poſſiacenum haberetur, Bezam, Martyrem, aliosque nefarios haereticorum anteſignanos, repreſſit, frenavit, ac mutos reddidit. De eius tum erga reginam morum civilitate haec narrat Thuanus libro XXVIII: *Venerat huc Hiſpanus quidam e ſodalitio Ieſuitico, ab Hippolyto Ateſtino, Ferrarienſi cardinali, qui nuper ad regem a Pio IIII. legatus fuerat, miſſus; is erat Iacobus Lainez ab Ignatio tam late hodie ſparſi ſodalitii antiſtite primus praepoſitus generalis conſtitutus: qui interfatus, cum contumelioſa multa in Proteſtanteis effutiſſet, ſimias, vulpeis et monſtra appellans, illosque ad Concilium a Pontifice indictum amandandos diceret, poſtremo reginam increpuit, quod harum rerum, quae minime ad ipſam, ſed ad Pontificem, cardinaleis et epiſcopos pertinerent, cognitionem ſuſciperet; nec fas eſſe dixit, dum Concilium vniverſale celebrarent, heic privatum colloquium Reginae auctoritate inſtitui. Hominis arrogantiam tulit impatienter Regina, ſed legati reverentia iniuriam diſſimulavit.* Interfuit concilio Tridentino praepoſitus generalis ſocietatis Ieſu; ſed nimis extra veri cancellos exſpatiatur Alegambe, cum ſcribit: *Tridenti inter patres, qui non ſolum conſulendi ius haberent, ſed etiam definiendi, et ſedit, et ſententiam tulit, tanta illius ſacri conſeſſus approbatione, admiratione, acclamatione, vt omnium iudicio et conſenſu theologorum princeps, oraculum Spiritus ſancti, arca vtriuſque theologiae praedicaretur.* Mortuus eſt Laynez Romae die XIX. Ianuarii anno 1565. Lombardus epiſtola ex Neapoli ſcripta, quam praeterniſimus, ita ad Hoſium: *Laines menſe Ianuario, die S. Sebaſtiani migravit ex hoc ſeculo nequam ad coelos.*

CLXXXV.

Auguſtanus Hoſio.

Neque Caniſium, neque Heinricum, Ieſuitas, poſſe ſe ad Hoſium in Boruſſiam mittere.

Superioribus diebus redditae ſunt nobis literae Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae D. V. ex eiusdem caſtro Heilſpergk XX. Iunii ſcriptae, quae nobis ob ſingularem humanitatis ſuae ſignificationem fuerunt perquam gratiſſimae. Inprimis autem Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae D. V. permagnas & habemus & agimus gratias ob congratulationem feliciter confecti itineris Hiſpanici, noſtri quoque ad eccleſiam noſtram reditus, cui nos vicisſim congratulamur, quod & ipſa ad eccleſiam ſuam incolumis redierit, atque in praeteritis Paſchatis diebus errantes in viam reuocando tam piam & acceptam Deo operam praeſtiterit. Perlegimus autem atque relegimus hac de re ſcriptum ab Reuerendiſſima & Illuſtriſſima D. V. ad nos transmiſſum, quod non ſolum ſummopere laudamus, ſed magis atque magis probamus, ac ceu Apoſtolorum acta diiudicamus, ſi modo nobis tantae rei iudicium ferre licet, retinebimus autem illud a Reuerendiſſima & Illuſtriſſima D. V. nobis commiſſa fidelitate, videlicet ne propaletur deſcribendi copia aliis data. Praecamur Deum, vt Reuerendiſſimae atque Illuſtriſſimae D. V. adeſſe, atque eiusdem praeclara in orthodoxam fidem ſtudia iuuare velit. Propoſitum quod habet Reuerendiſſima & Illuſtriſſima D. V. nouum collegium in oppido ſuo Braunſpergenſi inſtituendi, omnes pii ac docti vehementer & laudare, & quantum in ipſis eſt, re ipſa comprobare debent. Nos quoque Patrem Caniſium ad Reuerendiſſimam & Illuſtriſſimam D. V. proficiſci, atque apud eandem per vnum pluresue menſes commorari permitteremus, ſi aliis & quam pluribus negotiis is non diſtraheretur. Eſt enim per vniuerſam Germaniam ſocietatis Ieſu Prouincialis, atque huius muneris ratione

illi in diuerſas huiuſce Prouinciae regiones frequenter abeundum, haec & alia plura onera aſſiduis curis ferenda, ita vt tam longam abſentiam absque incommodo prouincia ſua vix ferre poſſet. Alter vero Pater Henricus Dionyſius, ſuperiore tempore in ciuitate Colonienſi diuini verbi praedicator, apud nos nunc eſt, atque in oppido noſtro Dilinga Vniuerſalis ſtudii Rector, hic vero valetudinis eſt admodum infirmae, neque vires habet ad tam longinquum iter perficiendum; ſcripſimus autem ad reuerendum Patrem Generalem Lainetz, eumque rogauimus, vt ex ſocietate patrem aliquem ad Reuerendiſſimam & Illuſtriſſimam D. V. mittere velit, qui eidem in conſtituendo hoc nouo collegio non minorem operam, quam nominati Patres nauare queat, quem ſperamus Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae D. V. tam ſancti atque pii inſtituti intuitu omnia ſtudioſe ac diligenter praeſtiturum. Caeterum rogamus Deum, vt Reuerendiſſimam & Illuſtriſſimam D. V. diu nobis incolumem ſeruet, cuius nos gratiae vehementer commendamus. Ex oppido noſtro Dilinga, die quarta Menſis Septembris. Anno Chriſti MDLXIIII.

CLXXXVI.

Lombardus Hoſio.

Laudat Hoſium, quod mallet decreta de reſidentia reipſa, quam diſputationibus comprobare: de bulla executionis concilii.

Litterae D. V. Illuſtriſsimae die 6. Iunii ſcriptae, redditae mihi fuerunt die Mariae Magdalenae. Quod certe miraculo vacare non puto: nam ſicut haec mulier gauiſa eſt, cum quatriduanum fratrem ab inferis ad vitam reuocatum vidit; ſic & ego acceptis litteris Illuſtriſsimae D. V. ſatis ſuperque ſatis recreatus eram. Reuolutus enim erat annus, & ſol iam nouum zodiacum peragrabat, quod ego priuabar dulcedine & iucunditate

tate illa catholicae mentis tuae, catholicique oris tui: quae Tridenti me ſemper fouit aluitque. Itaque ingentes gratias habeo & ago Domino Ieſu Chriſto, qui me tanta gratia dignum reddidit. Legi litteras D. V. Illuſtriſsimae ſigillatim meo patrono: qui quot verba, tot ſacramenta in eis annotauit. Inter caetera mirifice D. ſuae Illuſtriſsimae & mihi placuit illud verbum, cum D. V. Illuſtriſsima dicit: puto te tenere memoria id, quod mihi ſaepe fuit in ore, me praeceptum de reſidentia reipſa praeſtare malle, quam de ea diſputationem mouere. Certe res ipſa indies hoc aperte declarat, eo potiſſimum, quod quaeſtio illa erat fomes tot ſimultatum, quae catholicis viris & haereticis murmurandi occaſionem ſuppeditabat. Et Illuſtriſſimo D. meo adeo ſunt odioſiſſimae contentiones καὶ λογομαχίαι, vt hinc haereſes ortas eſſe credat. Quod & autores hiſtoriae tripartitae ſaepe inſinuant. Quod autem attinet ad librum Confeſſionis: Cardinalis meus caret hoc libro: ſed credo illum Eraſmum Dialinium non reperiſſe hic venalem. D. Secretarius D. V. Illuſtriſſimae miſit ad me notulam typographiae Confeſſionis pluribus in locis, ſola excepta Italia, quod certe magnum dedecus eſt. Sed Illuſtriſſimus D. meus dixit mihi, ſe curaturum, vt omnino hic liber tam ἀναγκαιότατος καὶ καιριμώτατος imprimatur vel Romae, vel Venetiis apud Aldum: & ego, vt hoc propoſitum facile executioni praeſtet, fungar procuratorio munere. Epiſcopi Licienſis & Maſſenſis ſcripſerunt mihi ex regno Neapolitano, quod huius libri ſola lectio poteſt omnes theologos facere: & ab hac lectione nunquam ſine magna delectatione recedunt. Dominus M. Antonius Floccanus vnus ex primariis apud proregem Neapolitanum iureconſultus ſcripſit ad me 15. Kal. Iulii, ſe reperiſſe in quadam bibliotheca librum hunc Antverpiae excuſum: & quoniam illi ſatis commendaueram, emit gratioſe: totumque paucis diebus abſorpſit. Atque adeo delectatum fuiſſe hac lectione ſcripſit, vt aliorum guſtum amiſerit. Deo agantur gratiae, a quo τὸ πᾶν δώρημα προϊέναι, quod & in his turbulentis temporibus ſeruarit D. V. Illuſtriſſimam, vt alterum Heliam & Matathiam.

Torrenſis hodie pranſus eſt apud Dominum meum: illum enim ſatis diligit, & dixit mihi, ſe binas litteras ad D. V. Illuſtriſſimam miſiſſe, quas credo nunc legiſſe. Confirmatio decretorum concilii facta fuit a S. D. N. die 26. Ianuarii, & impreſſa poſt calcem concilii, quod a Manutio impreſſum eſt. In die S. Pauli bulla huius confirmationis publicata eſt in Eccleſia S. Petri. Heri edita eſt etiam bulla S. D. N. in qua explicat tempus executionis concilii, & dicit intelligi a Kal. Maii. Itaque plura beneficia incompatibilia obtinentes habent tempus reſignationis ſolum menſem Octobrem. Cardinalis meus deſiderat, vt D. V. Illuſtriſima ſuo nomine ſalutet Reuerendiſſimum Nuntium Commendonum. D. Syrletus bene ſe habet ex valetudine, & ſe plurimum commendat orationibus D. V. Illuſtriſſimae. Itaque dignetur in ſuis precibus memoriam tanti viri facere. Certe eſt vir ſingularis doctrinae & ſanctitatis καὶ καθολικώτατος. Illuſtriſsimus Dominus meus ſe plurimum commendat D. V. Illuſtriſsimae & hunc mittit litteras ſuas ad D. V. Illuſtriſsimam vt diuturnum ſilentium excuſaret. Certe me ſua benignitate fouet, amplectitur & ex animo diligit, Dei munere ac fauore. Verum magnus erit mihi fauor, ſi D. V. Illuſtriſsima me illi commendaret ac ſignificaret, me grato animo ſeruire tanto viro, aeque, ac ſi ſeruirem Illuſtriſsimo Seripando, aut ſi ſeruirem D. V. Illuſtriſsimae, cuius nomen nocte dieque veneror: pro quo ſemper Deum precor, vt te diu ſeruet incolumem. Salmaronus eſt Neapoli, & concionatur magno cum fructu. D. Ioannes nepos D. V. Illuſtriſsimae eras prandebit cum Illuſtriſsimo Domino meo, vt fruatur patrui imagine in nepote. Et ne amplius detineam D. V. Illuſtriſsimam, finiam, me commendans D. V. Illuſtriſsimae ex corde. Romae IX. Cal. Aug. 1564.

Hoc vnum etiam non tacebo: quod cum decretum fuerit in ſ. ſynodo ſeſſ. 23. a. c. 18. vt in ciuitatibus erigeretur ſeminarium: Illuſtriſsimus Cardinalis meus primus fuit inter epiſcopos, qui illud erexit, & aſciuit in illud pueros XXVI. iuxta tenuitatem ſum-

ſumptus. Reatina enim ciuitas vix ad 1000. aureos accedit. Itaque deſidero, vt D. V. Illuſtriſſima cum reſcribet Domino meo, illi hac de re congratuletur. Certe laude dignus eſt, qui tam ſanctum opus magno deſiderio flagrantique voluntate inchoauit, & Dei gratia perfecit.

CLXXXVII.

Andreas Patricius Hoſio.

Narrat quaedam de Lismanino.

Miſi has quoque Ticinio, quas nouiſſime accepi: & omnino omnibus in rebus mandatis Illuſtriſſimae Do. veſtrae morem gerere ſtudeo. Quod mittam ad Illuſtriſſimam Do. veſtram litterarum, non habeo, ne nouorum quidem: niſi forte quod huc praefecti omnes militum mercenariorum conuenerunt iuſſu regiae Maieſtatis, vt quid porro de bello faciendum ſit, ex eorum ſententia conſilium capiatur. Commendo obſequia mea Illuſtriſſimae Do. veſtrae, quam optime valere cupio. Datum Grodnae XVII. Auguſti.

Cum haec ſcripſiſſem, miſit ad me Fr. Liſmaninus libellum confeſſionis ſuae de Trinitate, quem mitto Illuſtriſſimae Do. veſtrae: vt videat, an inter haereticos in hoc quidem articulo ſit habendus. Ipſe enim Trideiſtae appellationem modis omnibus repudiat. Conatus ſum, hominem in hoc genere ad confeſſionem concilii Tridentini reuocare. Sed hoc quidem tempore ita armis ſolis intenti ſumus, vt ne vnum quidem librum concilii Tridentini in toto regis comitatu poſſimus reperire: cum habeamus nobiſcum duos epiſcopos & pleroſque paſtores & doctores.

ANNO-

ANNOTATIO.

Etſi ex hac epiſtola minus elucet; tamen Andreas Patricius, Polonus, humaniora ſtudia tam ſcienter in Italia excoluit, vt pauci eius eruditionem poſſent aequiparare. Scripſit ad Patricium, regium in Polonia ſecretarium, Hoſius inter epiſtolas iamdudum editas CXIII. et CCXX. Bayle tomo III. dictionarii p. m. 2201. perhibet, fuiſſe eum praepoſitum eccleſiae Varſovienſis, archidiaconum eccleſiae Vilnenſis, ac tandem, regis Stephani Bathori beneficio, in Livonia epiſcopum. Mortalitatem exuiſſe dicitur anno 1583.

De Lismanino, cuius heic meminit Patricius, eiusque miſera morte, actum a me eſt capite III. diſſertationis de mortibus primorum Socinianorum, ante annos XL. habitae, ac anno 1704. Ienae ſumtu Bielckii recuſae. Beza libro vno epiſtolarum theologicarum epiſtola LXXXI. p. m. 338. ait: *Seipſum in puteum abiecit.* Sed Sandius in bibliotheca antitrinitariorum p. 35. vbi eius vitam enarrat, hoc ei in phreneſin lapſo, cui a iuuentute obnoxius fuerit, contigiſſe perhibet. Corcyrenſis theologiae doctor, et monachus Franciſcanus, Sigismundi I. coniugi, Bonae, a confeſſionibus ſacris, et concionibus Italicis fuit, poſtea autem primum Calvino, ac tandem Socino ſe adiunxit.

CLXXXVIII.

Franciſcus Balduinus Hoſio.

De ſtatu Belgico Francicoque: Theodoſium integrum ſe nondum praeſtare poſſe.

Ego vero, Reuerendiſsime atque Illuſtriſsime Domine, quod optimus & doctiſsimus Canonicus Eccleſiae tuae petit, facerem perlubenter, vt de ſtatu Belgico Francicoque prolixe ad te ſcriberem: ſed vnde incipiam? vbi deſinam? ſi Galliae *διαταξαι* deſcribere nunc velim? Quo cauterio vlcus Belgicum, ſi nondum plane curatum, at ſaltem aduſtum ſit, non ignoras. Veremur tamen, ne vicinia fauillam rurſus illic excitet, & Germaniae exercitus, qui Moſae imminet, ſuffundat frigidam. Galliae, vbi paulo aliter agitur, impendet tempeſtas maior: non enim

enim modo recruduit funeſtiſſimus morbus, ſed & recanduit flamma diſſenſionis: quae quo tandem euaſura ſit, & quam datura vaſtitatem, non eſt difficile proſpicere. Interea in tanta temporum intemperie ſtudiis noſtris vix locus relictus eſt vllus, Itaque, quod & per tuas litteras exigis, & ego pollicitus eſſe videbar, Theodoſium integrum dico, praeſtare nondum poſſum. Vale. Lutetiae Pariſiorum Nonis Septembris.

Fr. Balduinus tuus.

ANNOTATIO.

Balduinus natus Atrebatibus anno 1520. diem ſuum obiit anno 1573. Pariſiorum Lutetiae, vbi Ioannes Maldonatus morientis oculos clauſit. Religione aliquoties mutata etiam Argentorati et Heidelbergae iura magno cum applauſu docuit, ac Genevae familiaris factus eſt Calvino, qui in brevi epiſtola, Bezae reſponſioni ad Franc. Balduini, apoſtate Ecebolii, convicia anno 1563. praemiſſa, de eo ſcribit: *Beſtiam contemnere viſum eſt. Vixit apud me et humaniter acceptus ac liberaliter.* Cauſa praecipua odii ἀστρόνδε, inter Calvinum et Balduinum, error fuit, in quo verſabatur ille, cum hunc, qui iam a ſchola Genevenſi ſeceſſionem fecerat, autorem arbitraretur eſſe libelli a Caſſandro editi *de officio pii viri in hoc eccleſiae diſſidio.* De errore illo haec notat Spondanus annalium eccleſiaſticorum anno 1564. numero 26: *Virulentiſſimus Calvinus, exiſtimans eum compoſitum fuiſſe a Franciſco Balduino, quem ipſe vehementiſſime oderat, (quippe liber abſque nomine auctoris prodierat, et Balduinus illum primus in Galliam avexerat) arrepto calamo, auctorem librumque miris modis proſcidit.* Calvini libellus prodiit anno 1561. hoc titulo: *reſponſio ad verſipellem quendam mediatorem.* Initio diſerte ait: *autor nobis pridem familiariter cognitus eſt.* Quod cum de Caſſandro falſiſſimum eſſet; anno ſequenti in reſponſione ad Balduini convitia Calvinus cum hallucinationem ſuam agnovit, tum ſe autore reſponſionem ad verſipellem mediatorem exiiſſe profeſſus eſt. Balduini vitam ſcripſerunt Melchior Adamus in vitis iurisconſultorum Germanorum p. m. 90. Foppens to. I. p. 281. bibliothecae Belgicae, et Pope Blount cenſura celebrium autorum p. m. 498. multique alii. Laudavit et Sammarthanus libro II. elogiorum p. m. 85.

CLXXXIX.

Sanderus Hoſio.

De Poloniarum regis edicto de expellendis haereticis, et de nobilibus edicto intercedentibus.

Cum ſine magna difficultate (ſed non ſine aliqua) nonis Septembris ad Poſnaniam acceſſiſſem, nihil mihi prius fuit, quam vt apud doctorem Stephanum Illuſtriſſimae D. V. negotia conficerem: qui pro ſua pietate ac ſummo in V. D. amore omnia curauit diligentiſſime, non modo quae pertinebant ad pharmaca, ſed etiam quae quoquo modo ad iter meum ſpectare poterant. Reuerendiſſimus epiſcopus litteras V. D. Illuſtriſſimae perhumaniter accepit, deque valetudine ipſius ac de ſynodi tempore diligenter quaeſiuit. Illud vero in itinere mihi mirifice accidit, vt, cum equus, quem Illuſtriſſima V. D. mihi donauerat, propter clauum male infixum vehementer claudicaſſet, adeo vt iam D. Petrus Coska, affiniſque, qui eius ſororem in vxorem duxerat, de illius vngula deſperatum eſſe iudicarent; omnino coëgerint me, alterum ab ipſis dono accipere: cumque primum me putaſſem nihil, niſi equum infirmum pro ſano commutaturum (quod etiam ſatis beneficii fuiſſet) ne meum quidem voluit retinere, ſed mecum ducere coëgit, qui poſtridie in ipſo itinere conualuit. Hoc totum V. Illuſtriſſimae D. acceptum refero, cuius praecipue cauſa mihi hunc equum donatum eſſe agnoſco. Atque ideo fretus perſpecta V. Illuſtriſſimae D. bonitate, ipſam conſtituo pro hoc aere alieno meum fideiuſſorem, vel principalem potius debitorem. Ac ſane quanquam nihil tale D. Petrus donari procuraſſet, ſatis praeterea officiorum in omni genere exhibuerat, ob quae merito gratiae illi agendae forent.

De polygamia, quam Bernardinus praedicat, deque nobilium interceſſione, vt regis edictum de haereticorum expulſione reuocetur, nihil dubito, quin Reuerendiſſimus Poznanienſis perſcri-

ſcripſerit: qui tamen magnifico Capitaneo Poznanienſi hoc dedit conſilii, vt ſtatim exequeretur edictum regis, neque reuocationem illius expectaret. Ego vt quantopere ſum V. Illuſtriſſimae D. obligatus, non poſſum exprimere: ita certiſſimo credat, me in omnibus ad Deum orationibus Deum rogare, vt ipſe, quod mea tenuitas rependere non poteſt, de ſua aeterna liberalitate compenſet tam in hoc ſeculo per ſummam ſalutis conſeruationem, quam in futuro per aeternam felicitatem. Datum Poznaniae in ipſa natiuitate ſanctae virginis 1564.

ANNOTATIO.

Nicolaus Sanderus, presbyter Anglicanus, odio Calvinianae religionis Oxoniam, vbi ius canonicum docuerat, omnemque Angliam derelinquens, ad Hoſium cardinalem, cuius domus commune exulum Anglorum diverſorium erat, Romam, ac cum eo Tridentum ſe contulit, finitoque concilio, cum hero ſuo, in Poloniam migravit. Praecipua eius opera agunt de viſibili eccleſiae monarchia, ac de ſchiſmate Anglicano. Vixit etiam aliquandiu Lovanii, vbi anno 1571. opus de monarchia edidit, ac inter alios Hoſio his verbis inſcripſit: *De tua amplitudine, Cardinalis Hoſi, quid dicam? Cui, quicquid habeo, quicquid ſum, ſemper aſcribendum eſſe, vltro prae me feram. Tua me fama & Dignitas Roma Tridentum deduxit. Tuus amor & gratia Tridento in Pruſſiam attraxit. Tua Beneficentia & liberalitas non ſolum fovit me atque aluit domi ſuae, dum in Varmienſi agro degerem; verum etiam ad Belgas properantem comitata, et apud Belgas agentem proſecuta eſt uſque in hodiernum diem. Abs te accepi multa, quae corporis & vitae neceſſitatibus ſervierunt: apud te cognovi plura, quae animum ad ſcientiam & virtutem informarunt.* Tandem ſub Gregorio XIII. nuntius in Hiſpaniam ac Hiberniam profectus eſt. Pauca de eo Hofmannus in lexico vniverſali to. IV. p. m. 52. plura Petrus Bayle in dictionario hiſtorico to. IV. p. m. 3056. annotarunt.

Bernardinus Ochinus, cuius mentionem heic Sanderus facit, Capuccinorum caput fuit; tranſiens autem Genevam ad Calvinum ita perturbavit Pauli III. animum, vt totum Capuccinorum ordinem extinctum iret. Ac feciſſet ſane, niſi in patrum concilio Antonius Sanſeverinas, cardinalis, eum dehortatus eſſet gravi oratione, quam Oldoinus recitat to. III. columna 549. Paulus III. in illa deliberatione eum Capuccinorum caput vocat; ſed Raynaldus libro de apoſtaſia a religioſis ordinibus tomo XVII. operum p. 47. negat, eum mi-

niſtri generalis munus adipiſci potuiſſe, geſſiſſe tamen definitoris generalis dignitatem. De eius miſerabili exitu ex hac vita egi capite IV. dictae diſſertationis.

CXC.

Caniſius Hoſio.

Laudat Bavarum, quod vetuerit vſum calicis Romae conceſſum, nec permiſerit, conceſſionem pontificis in ſua ditione publicari.

Doleo ſane praeter noſtram & R. P. noſtri Praepoſiti expectationem id accidiſſe, vt D. Henricus Dionyſius in Pruſſiam venire non poſſit, quemadmodum amplitudo tua deſiderauit. Mitto litteras Patris noſtri, ſed intempeſtiue ſcriptas; nimirum, cum haberet ille perſuaſum ſibi aliter quam res erat, de valetudine dicti D. Henrici, qui a phthiſi modo parum abeſſe videtur. Egimus apud Illuſtriſſimum Cardinalem noſtrum, & impetrauimus tandem, vt mitteretur ac donaretur tuae dignitati, licet illius opera Dilingae ſit haud parum vtilis, ſicut & antea Coloniae fuit. Quamobrem maiorem in modum rogo, vt hanc conſiliorum mutationem diuinae prouidentiae ac neceſſitati potius ſapientia tua; quam noſtrae voluntati aut inconſtantiae imputet. Mittetur autem loco D. Henrici vir bonus, & in concionando peritus, qui multis etiam annis in aula R. D. Archiepiſcopi Treuirenſis egit Eccleſiaſten, priuſquam ad noſtrum inſtitutum ille tranſiret. Speramus, hunc aliquanto rectius, quam dictum D. Henricum a populo iſthic poſſe intelligi. Cum eodem alii nouae ſcholae futuri magiſtri proficiſcentur, quemadmodum ex Romanis litteris cognoſcetur. Optaui ego ſane, vel ante illos, vel cum illis ipſis ad I. D. meum Cardinalem Warmienſem iter ingredi, & hoc votum meum Cardinali noſtro Illuſtriſſimo patefeci. Sed obſtant ſane multa, quo minus me velint abeſſe

hoc

hoc tempore viri ſapientes, & credo, idem Deo opt. max. viſum eſſe, cuius Eccleſiae inſeruire ſtudemus. Illius fiat in nobis voluntas perpetuo, cui vni debemus omnia.

Scripſi nuper & prolixe quidem de ſtatu rerum, ſimulque litteras adiunxi proprias ad Reuerendiſſimum meum Commendonum, quem cupio vna cum D. Balthare reuerenter ex me ſalutatum iri. Miſi praeterea ſemel atque iterum Antuerpiam, vt noua Confeſſio in lucem exeat cum noua illa recognitione, quam miſit ad me D. Thomas Blaſa. Miror autem a D. Henrico Ziberto nihil mihi eſſe reſponſum.

Agimus diuinae bonitati gratias, partim noui Caeſaris nomine, qui variis exemplis & argumentis catholicam pietatem ſibi cordi eſſe declarat: vnde concionatorem quoque Zittardum retinet auditque libenter: partim ob Principem Bauariae, in cuius quidem familia ſingularem lucem ac virtutem catholicae ſinceritatis video elucere.

Dixeris lilium inter ſpinas & luciferum in medio nebulae inſigniter apparere. Igitur cum poſſet eadem vti conceſſione calicis, quam ex Pontificis Maximi autoritate Auſtriaci vſurparunt; tamen quia videt licere hoc magis quam expedire, non fert promulgationem dictae conceſſionis in ſua prouincia. Reuerendiſſimus archiepiſcopus Salisburgenſis in conuentu, quem habuit cum ſuis Suffraganeis, conniuere videtur, & liberam omnibus facere poteſtatem bibendi calicis. Neque Princeps tamen ita cedit, ſed catholicis confirmandis non minus, quam haereticis lucrifaciendis conſulendum eſſe putat. Ideoque ſuſpectam habet hanc communionis mutationem. Nunc omnia pendere dicuntur ex comitiis proximis, quae nondum tamen indicta ſunt, & a quorum euentu ſapientes plurimum metuunt cauſae religionis. Verum haec aliaque id genus futura in manu Dei ſunt omnipotentis.

Dici non poteſt, quam late, quam ſaeue graſſetur peſtis per totam fere Germaniam: infecit & Galliam, attigit Hiſpanias, Conſtantinopoli horrenda eſt. Magnum hoc & generale flagel-

lum irae diuinae interpretor, quo vtinam rite correcti homines redeant tandem ad percutientem in Spiritu humilitatis & animo vere contrito.

Expectamus nouos autores & libros e nundinis, & si quid magni erit in illis momenti, postea significabimus. Nunc satis fuerit, diuinam bonitatem precari, vt Illustrissimam Celsitudinem tuam diu nobis incolumem seruet, felicemque faciat noui e nostris collegii fundatorem, ad perpetuam Varmiensis Ecclesiae vtilitatem. Augustae 20 Septembris 1564.

CXCI.

Sanderus Hosio.

Elizabetham, Angliae reginam, in altari suo vexillum sacrae crucis retinuisse.

Instabat iam finis Octobris, cum vix impetraui, vt mihi hac hyeme Louanii quiescere liceret. Ibi paucos dies thoratus, accipio tristissimos militanti ecclesiae nuntios, triumphanti fortassis non ingratos, Cardinalem Hosium e vitis decessisse. Ac tametsi non plene credebam, quod haec de Italia potius, quam de Polonia vel Prussia nuntiata dicerentur; tamen plurimum retardabar a scriptione litterarum: cogitans percusso pastore, dispersisque ouibus, vix ad quem scriberem, superesse. In qua minime iucunda dubitatione cum aliquantulum haesissem, de Antverpia refertur, dominum Henricum Ziberti litteras a tua Illustrissima Dominatione accepisse. Tunc velut de graui somno euigilans mira alacritate ad scribendum feror, parum laborans, quid scripsissem, modo vt ne viderer officio defuisse. Quodsi aliquis de familia vestra occasionem huic rumori (quod suspicor) praebuit, non debet id nouum videri, vt moreretur, qui mortalis erat, id potius nouum est, quod renouatus in Christo, cum

sit

ſit mundo mortuus, Deo viuit. Quid dixi Deo? imo & nobis viuit omnibus, & illis maxime, qui ſunt cum Deo innocentia, fide, pietate coniunctiſſimi. Quicquid ſit (neque enim certum aliquid adhuc habeo) de tua, clariſſime Hoſi, valetudine tibi, tuis ac mihi ipſi inprimis gratulor. Anglicanae res ac Flandricae in eodem ſtatu perſiſtunt, in quo iamdiu fuerunt, omne vt commercium ſit ipſis inter ipſos interdictum. Cauſa eius rei maior non ſcitur, quam ſuperbia vtriuſque gentis, dum neutra vult videri alterius ope indigere, cum vtriuſque nationis quamplurimi ciues ea re vehementer - - - - D. Robertus reginae Eliſabethae chariſſimus magno comitatu donatus in ſpe certiſſima eſt, vt his natalibus Dux creetur. Plurimi ex noſtris in cauſa religionis permulta ſcripſerunt Anglice, ſumma cum laude: quorum libri ſumma cum voluptate leguntur a noſtratibus, & emuntur ſummo pretio nec niſi furtim & clam. Vnus tamen inter caeteros ingenioſior animaduertens, reginam in altari ſuo ſacrae crucis vexillum retinuiſſe, de ſigno crucis eleganter ſcripſit, eumque librum reginae inſcripſit, admiſcens de tota religione, quae occaſio tulit: vnumque ex libris deauratum curauit per Hiſpaniarum regis oratorem reginae tradi. Quem finem res habitura ſit, neſcitur. Pauciſſimi enim ſunt dies, quod id tentatum ſit. Ego nihil habebam ſcriptum Anglice. Porro illa ſunt ſummo noſtratibus vſui. Mihi deeſſe nihil poterit, quamdiu non deerit meo Franciſco Englefildo, cuius duplices litteras ad t. Dom. iam perueniſſe vna cum vnis meis ſpero. Illi autem quamuis de ſuo nihil ſit reliquum, tamen quae neceſſaria ſunt, ab amicis liberaliter exhibentur. Vere proximo per Gallias in Hiſpanias cogitat, quo in itinere me comitem depoſcit. In Galliis res chriſtianorum in meliore cauſa coepit eſſe. Princeps Condeus cum Illuſtriſſimo Cardinali Lotharingio conuenit, paxque inita inter illos dicitur, & nuptiarum vtriuſque partis foedere ſtabilita. Haec fere ſunt, quae apud nos in ſermonibus habentur. Nihil autem nobis gratius nuntiatum iamdiu eſt, quam tuam Illuſtriſſimam D. valere. Cuius in Trinitarios libel-

lum

lum valde expetimus. Nihil enim patriae noſtrae magis prodeſſet, quam ſi planum facere poſſemus, tantum monſtrum de Caluinianis exortum eſſe. Nam noſtri Geneuiſtae multa fatentur fieri & doceri male inter Lutheranos: apud ſuos autem Caluinates omnia dicunt geri caſtiſſime, nec vllam ſectam ab ipſis natam oſtendi poſſe. Quando mihi iam licet ſine ſuſpicione adulationis liberrime loqui; certo ſciat tua Dominatio Illuſtriſſima me ipſius totum fuiſſe, eſſe, ac, quoad viuam, fore, poſt mortem etiam multo magis, quando iam vnum erimus in Chriſto, cui te, fratrem tuum, tuoſque ac tua omnia ſummopere commendata eſſe cupio: in multos annos Eccleſiae Dei viue ac vale. D. Louanii poſtridie poſt conceptionem b. virginis 1564.

CXCII.

Laynez Hoſio.

Colonienſes et Bavarum non permiſiſſe calicis vſum a pontifice conceſſum.

Accepi D. V. Illuſtriſſimae ac Reuerendiſſimae litteras 6. Septembris ac 26. eiuſdem datas, & quod attinet ad conceſſionem calicis, quid noſtris agendum in Pruſſia cenſeam, ex adiuncto ſcripto (quo ſumma continetur eorum, quae ad noſtros Viennenſes ſcripſimus) videbit D. V. Illuſtriſſima; & cum ad nos vndecunque perferatur ex Germania, quod conceſſio calicis obſit potius quam proſit negotio religionis, cum haeretici more ſuo in peius proficiant, & inſolentiores reddantur, catholici vero vel aliquid detrimenti accipiant, vel certe moleſtia non mediocri afficiantur, ſane multum conſolationis accipimus, cum ab aliquo principe vel ciuitate non admitti ritum huiuſmodi intelligimus, vt de Colonienſibus & de Bauariae duce his diebus nobis ſcriptum fuit. De coniugio quidem ſacerdotum nihil (quod ſciam)

Romae

Romae agitur, nec video eam conceſſionem timeri. Cuius quae tandem futura eſſet vtilitas ad continentiam tuendam, exemplum illius miniſtri Satanae, de quo ſcribit D. V. Illuſtriſſima, ſatis poſſet oſtendere.

Proceſſum illum de Imperatoris Ferdinandi bonae memoriae confeſſione, in Pruſſia ſparſum, verſum in latinum ſermonem ſummo pontifici per Cardinalem Borromeum offerendum curaui, & ab eodem intellexi, quod ad Nuntium apoſtolicum Viennam mittitur, vt Maximiliano oſtendatur, qui de tam impudenti mendacio cum vicino D. V. Illuſtriſſimae (qui ſuis in terris fingi permiſit) expoſtulet, & ſcriptum aliud Germanicum, quo rei veritas deſcribatur, iſthuc tranſmitti curet.

Quod manu ſua ſcribit D. V. Illuſtriſſima de ſua illa profectione, ſine interprete legimus, & ego ipſe cum Cardinali Borromeo rem contuli, qui, poſtquam ſummum pontificem eſt allocutus, retulit mihi nomine ſuae Sanctitatis, quod conſcientiae D. V. Illuſtriſſimae totum hoc negotium libere committitur, vt cum adiunctis conditionibus vel ſine illis, iter illud inſtituere, vel ſe excuſare poſſit. Reliquum eſt, orare Deum, vt luce ſuae ſapientiae illuſtret D. V. Illuſt. vt id conſtituat agatque, quod ad maiorem ipſius gloriam & maius reipublicae chriſtianae bonum futurum eſt. Vidi libellum illius viri catholici contra Tygurinos ſcriptum, qui mihi ſane placuit, & dignus, qui in lucem ederetur, viſus eſt. De chariſſimo noſtro Ioanne Hoſio, qui in meliorem vitam a Domino translatus eſt, quia proximis litteris ſcripſimus, communem doloris ſenſum non renouandum (de re eadem ſcribendo) cenſeo. De noſtris tam Roma quam ex Germania miſſis ad Braunſpergenſe collegium inchoandum, hoc tantum habeo quod dicam, fere omnes eos iſthuc peruenisse, nos exiſtimare, prout ex Viennenſium & Pragenſium litteris colligimus. Reuerendus Doctor Henricus propter valetudinem afflictam non potuit tunc iter tam longum aggredi, cuius loco ſcripſimus Coloniam, vt alium ſacerdotem ad D. V. Illuſtriſſimam mitterent. Ille vnus fortaſſis non iſthuc peruenit, nec adhuc nobis conſtat, quod Colonienſes litteras noſtras

ſtras ea de re non ſemel ſcripſas acceperint. Promouent diuina beneficia [illegible] opus, & cedere in ſpiritualem Pruſſiae vtilitatem non mediocrem facit, ac D. V. [illegible] diu ad Eccleſiae ſuae [illegible] ſeruet incolumem, cui mea & minimae ſocietatis noſtrae obſequia ex animo offero. Romae decima Nouembris 1564.

CXCIII.

Auguſtanus Hoſio.

Gaudet, Polonum haereticis aqua et igni interdixiſſe, negatque, ſe ſtatim obtemperaturum, ſi pontifex eum de concedendo calice admoneret.

Litteras D. V. Reuerendiſſimae XL. die Septembris datas accepi die XVI. Nouembris, cum eſſem Ingolſtadii apud illuſtriſſimum Ducem Bauariae, fueruntque mihi vt omnes, quae ab ea mihi veniunt, adſolent, gratiſſimae; verum in eo non adeo gratae, quod duo D. V. R. oppida ab hoc contagioſo morbi genere, quod etiam Germaniam pluribus in locis infeſtat, vexari animaduerti: ſpero iam imminentibus frigoribus mitius acturum, & vt euaneſcat omnino, ad Deum preces effundendae ſunt. Quod D. V. Reuerendiſſima a Reuerendiſſimo Nuntio litteras nondum acceperit, illud eſt in cauſa, quod illorum, qui litteras in Poloniam adferunt, magna eſt apud nos inopia, atque ego, qui ad D. V. R. olim perſcripſeram, ad eius ſcilicet litteras reſpondens, cum quibus ſuum librum ad me tranſmiſerat, hoc nuper expertus ſum. Miſeram enim litteras Viennam, ſperans, ibidem Polonum oratorem, ſicuti antea conſueuerat, commorari, & cum ille paucos ante dies diſceſſiſſet, neque ipſe, cui litteras commendaueram, aliquem, cui certo illas daret, Viennae inuenire poſſet, ad me remittendas curauit: ego commodius quicquam

quam nihil inueniens, Viennam iterum eas tranſmiſi, & poſtarum magiſtro, quantum potui, commendaui, nec ſi ad D. V. R. hucuſque peruenerint, certum ſcire potui. Eo tempore & Reuerendiſſimi Nauagerii ad D. V. R. litteras miſi, & hoc adiunxi, quod & nunc ſcribere volui, quod quoniam multae naſci occaſiones poſſunt, de quibus ſit neceſſe, vt noſtrum alter alterum certiorem reddat, moneat me D. V. R. velim, qua via commodius & ad D. V. R. litteras dare, & ab illa accipere valeam, & hac de re eius ſententiam iamiam expecto. Accepi maxima cum laetitia, Sereniſſimum Poloniae regem aream ſuam expurgari mandaſſe, & Satanae vere miniſtris aqua & igni interdixiſſe, ſed vt mandatum exequi curetur, hoc magno cum deſiderio expecto. De vſu calicis, cuius fructum a me D. V. R. pernoſcere cupit, ex optimi viri Caniſii litteris, qui Dilingam nuper venit, & hac de re diffuſius ſe ſcripturum recepit, copioſe D. V. R. accipiet. Ego neque a ſummo Pontifice, vt calicem concederem, ſum admonitus, neque ſi admonear, illum concedere mihi certum eſt, priuſquam ſuam ſanctitatem humiliter iterum atque iterum doceam, quantum mali potius quam boni ea ex re ſperandum ſit, ea tamen mente, vt ſi firmiter mandauerit, obedire non recuſem. Dux Bauariae, cum quo, vt dixi, nuper fui, nihil mihi ſe mandaturum, vt in Bauaria calicem concedam, ſerio affirmauit. Nam qui malorum, quibus affligimur, olim hoc remedium fore ſperabat, nunc cum illius adminiſtrationem in ſua prouincia concedendi facultatem habeat, ſententiam immutauit, & neque concedit, neque ſe conceſſurum prae ſe fert. Deus, cuius ſub tutela D. V. R. eſt, eidem, quid ſibi conſilii capiendum ſit, inſtillabit. Ego me illi iterum atque iterum commendo, & a Deo optimo maximo omnia felicia ei precor. Datum Dilingae die XX. Nouembris MDLXIIII.

CXCIV.

Lombardus Hoſio.

Romae confeſſionem Hoſii typis Manutii excudi.

Menſis eſt iam elapſus, quod miſi litteras Cardinalis mei ſimul & meas Illuſtriſſimae D. V. quibus ingentes gratias agebat Cardinalis, agebam & ego pro aureo dono tuae confeſſionis catholicae. Nunc ſeſe mihi offert occaſio ſignificandi Illuſtriſſimae D. V. Cardinalem meum adeo delectari lectione tuae confeſſionis, vt non ſolum illi ſufficiat, ſingulis noctibus (negotia enim diurna impediunt) recreari hac lectione; ſed neruis omnibus tentauit cum Cardinali Camerario, hoc eſt, Vitellio, vt Romae cuderetur typis Manutii. Perſuaſit etiam crebro hoc Reuerendiſſimus Protonotarius Syrletus, qui apertiſſime confeſſus eſt, nullum librum his temporibus contra haereſes legiſſe, quod vere eſſet ἀντίδοτον τῶν αἱρετικῶν, niſi hunc librum D. V. Illuſtriſſimae. Ego vero pro obſeruantia & ſeruitute, quae mihi magna eſt apud Illuſtriſſimam D. V. non deſii die ac nocte extimulare, vt imprimeretur Romae hic liber. Certe ignominia eſſet Italiae & priuatim collegii Reuerendiſſimorum Cardinalium, ſi paterentur librum hunc ſub modio hic latere: qui Germaniae, Galliis &c. in candelabro ſupra montem poſitus lucet. Itaque die S. Catharinae deliberatum eſt de eius typographia. Iam coeptum eſt opus eleganti charactere Manutii forma 4ti folii. Exemplar vt corrigatur a mendis typographiae, lociſque ſcripturarum reponendis aut mutandis, mihi traditum eſt. Ego libentiſſime ſuſcepi laborem, nec maiorem recuſarem pro D. V. Illuſtriſſima cui multum debeo. Speramus, quod in 4ma abioluetur opus, quod transmittet Cardinalis meus ad Illuſt. D. V. cui ſe multum commendat, ſimul etiam D. Syrletus, qui ſcribet D. V. Illuſtriſſimae. Bona enim iam fruitur valetudine. Torrentis ſemper torridus eſt cum ſuo Clemente. Sperat aſſequi, vt hic imprimatur. Sed

diffi-

difficile mihi videtur. Bene valeat D. V. Illuſtriſſima in Domino, & ſciat, me, vbicunque fuero, eſſe indefeſſum praeconem ſuarum laudum, καὶ δοῦλον ἀΐδιον εἰς τοὺς αἰῶνας. Ex vrbe. Dominica prima Aduentus, 1564.

CXCV.

Camillus Olivus Hoſio.

Queritur, pro laboribus in concilio toleratis Romae ſibi verba data eſſe, rogatque Hoſium, vt rei ſuae familiari, aliorum cardinalium exemplo, ſuppetias venire velit.

Poſt abſolutum concilium, in quo quantum elaborauerim, Dominatio tua Illuſtriſſima & Reuerendiſſima optime nouit, Romam me contuli, tum vt ſanctiſſimo D. N. Papae pedes deoſculer, qui in illa ardua & difficillime prouincia opera mea vſus fuiſſet, tum vt penſionem annuam trecentorum videlicet aureorum mihi mercedis loco promiſſam, ſtatuendam aliquando & ſuis temporibus perſoluendam curarem. Ibi a ſanctitate ſua mira benignitate acceptus ſum, laudatus ſum, maiore etiam mercede dignus, quam ea, quae promiſſa fuerat, declaratus ſum, verbis tandem humanitate quidem & voluntate plenisſimis ad Cardinalem Borromeum reiectus ſum, vt ipſe habita meritorum meorum ratione, vnde illis commode & abunde ſatisfieri poſſet, omnino prouideret. Ille, vt homo eſt optimi ſane ingenii, ſed perpetua diuerſorum negotiorum mole diſtractus & oppreſſus, cum me ſex totis menſibus in ſola ſpe detinuiſſet, ego qui iam ſumptus incommodaque vrbis ac (vt vere dicam) verba tantum mihi dari, diutius ferre non poteram, ſtatui illinc diſcedere, ac domum paroeciamque meam reuiſere, a quibus annos tres & amplius abfueram, relictis tamen, qui mei & Card. Borromeo & ipſi ſanctiſſimo D. N. ſi opus eſſet, memoriam nonnunquam facerent.

Verum cum media hyeme profectus media quoque aestate reuersus essem, ea facile (vt credendum est) in itinere passus, quae a nimio frigore & a nimio calore in corpore laboribus & curis confecto oriri solent, maligna febri atque dysenteria correptus sum, quae me diu exagitantes eo demum redegerunt, vt iam de vita mea nulla spes haberetur, meque omnes mei veluti mortuum conclamarent. Benignitate tamen & summa Dei clementia, qui huius familiae meae afflictae & prope desolatae misertus est, febris illa simulque dysenteria post dies septuaginta paulatim remittentes tandem abierunt, quo factum est, vt ego paulatim similiter vires sumens tandem conualuerim & in pristinum statum restitutus sim. Cum autem non multo post ad res meas domesticas animum adiecerim, bone Deus, quot quantisque miseriis & calamitatibus eas refertas inueni. Primum omnium (vt summatim illas tangam) reditus, qui ex agris proueniunt, cum prope maturi essent, grando abstulerat: Tum Padus inundans ruptis aggeribus foenum. Colonis deinde succurrendum erat, ne forte agros desererent, vel seminibus fraudarent, aut certe fame compulsi boues atque alia ad agrorum cultum spectantia vendere cogerentur. Nobis praeterea de victu prouidendum erat, ac aes alienum, quo necessario vsi fueramus, reddendum: dotes denique enumerandae, quibus duae fratris mei filiae, absente me desponsatae, viris suis traderentur. Accedebat ad haec difficultas seu potius impossibilitas exigendi, quae nobis debentur, cum & debitores longe nobis potentiores sint, nec facile iuri subiiciantur, & quod a viginti annis & vltra hero meo viuente nobis pacifice & absque vlla haesitatione aut cunctatione soluebatur, statim eo mortuo (pudet dicere) ab illius haeredibus in dubium ac in litem reuocatum sit. His tot tantisque malis aliqua ex parte medendi vna haec via relicta erat, si mille aurei illi mihi libere darentur, quos herus meus paulo ante mortem testamento mihi legauerat. Sed hac quoque praeter spem & opinionem meam frustratus sum, cum rem testamentariam ita a nonnullis gestam & pertractatam inuenerim, a quibus fideliter & diligenter exe-

cutio-

cutioni demandari debuerat, vt ego, cuius ratio inprimis (iactantia abſit) omnium conſenſu habenda fuerat, & alii ſimul legatarii quamplures nedum acceperimus, ſed nec etiam tum ſcire potuerimus, vnde aut quando aut a quibus legatum noſtrum petituri ſimus. Caeteris tamen rebus multo quidem labore meo, nec ſine nouo foenore, prout potuit in tanta temporum iniquitate, diſpoſitis, vno hoc angebar maxime, quod cum ante omnia cuperem, nobiſque ex vſu valde futurum eſſet, vt ſponſae hae noſtrae, quas apud nos dotis cauſa cum viris ſuis alimus, ab illis traducerentur, vt nos etiam hoc onere, quod certe grauiſſimum eſt, ſubleuaremur, id abſque dotis enumeratione, quae mille erat & quingentorum aureorum pro vnaquaque illarum, fieri vllo pacto atque obtineri non poterat. Super quo cum diu mentem meam animumque reuoluerim, neque modum vllum inuenire potuerim, quo me domumque meam impedimento hoc tam graui expedirem: tandem cum nos ſoluendo aliquo modo non eſſemus, ad Dominos meos (illos quidem pientiſſimos & Spiritu Dei plenos ac feliciſſimae heri mei memoriae amantiſſimos) confugiendum eſſe decreui, vt quod mihi fratrique meo decem filiorum patri pro familiae magnitudine & fortunarum tenuitate impoſſibile eſt, illorum pio & liberali auxilio poſſibile & facto facile reddatur. Quare ad Illuſtriſſimum Vrbini ducem primo, deinde ad aliquot ex Reuerendiſſimorum Cardinalium numero ſuper hac re ſcripſi diligenter. Is ſtatim, vt Princeps eſt magni animi & ad pietatis opera propenſiſſimi quingentos aureos in proximo menſe Martio mihi perſolui iuſſit. Tum vnus ex Cardinalibus ducentos reſcripſit ſe propediem eſſe miſſurum, & alius centum in Paſchate. Caeteri nondum reſcripſerunt, qui tamen pauci ſunt. Sed ab omnibus breui reſponſum expecto his non diſſimillimum. Nunc autem ad te venio, qui Cardinalis & epiſcopus es, cuius piiſſimam mentem & liberalitatem nouerunt & admirati ſunt in concilio omnes, quem herum meum ſummopere amaſſe, meque etiam illius cauſa dilexiſſe ſaepius expertus ſum. Nam vt alia omnia omittam cum in conuiuiis, tum in priuatis

uatis collocutionibus, animi tui erga me indicia, corcula illa ex electro, quae mihi Dominatio tua Illuſtriſſima & Reuerendiſſima dono dedit, quaſi dilectionis & voluntatis ſuae pignora, neque memoria exciderunt, neque vnquam excident. Rogo igitur Illuſtriſſimam & Reuerendiſſimam D. tuam, imo enixe obſecro & obteſtor per viſcera miſericordiae Dei noſtri, vt quae in omnes pia & munifica pro poſſe ſemper eſſe conſueuit, in me domumque meam, ſeruos ſuos nunc indigentiſſimos illius auxilium implorantes piiſſima & munificentiſſima eſſe velit, neque ſe huiuſce operis Deo (vt opinor) gratiſſimi expertem eſſe patiatur, hoc certiſſime deputans, me, quod praeter naturam atque vſum meum modo facio, neque ſine neceſſitate id facere, neque ſine rubore. Deus Dominationem tuam Reuerendiſſimam & Illuſtriſſimam Eccleſiae ſuae diu incolumem ſeruet, cui me humillime commendo, ac Reuerendum Secretarium ſuum virum bonum & prudentem amiciſſime ſaluto. Mantuae idibus Decembris MDLXIIII.

ANNOTATIO.

Camillus Olivus, qui cardinali Gonzagae, ſeu, Mantuano, legatorum pontificiorum in concilio Tridentino ſub Pio IV. principi, a ſecretis erat, multis aerumnis affectus eſt a fidei quaeſitoribus, qua de re legi poteſt apparatus Pallavicini capite IV. n. 3. 4. Cum nemo id facere auderet; monuit Tridenti Mantuanum moribundum, cuius in familia quadraginta annos conſumſerat, de morte appropinquante, vt narrat Pallavicinus libro XX. capite VI. n. 2. Poſt Moroni adventum, qui Mantuano in ſynodo regenda ſucceſſit, iuſſus eſt Olivus vetera ſua miniſteria continuare, conſtituto ei ſingulis menſibus ſtipendio XL. ſcutorum. Quod an acceperit, ex hac epiſtola non ſatis liquet, eoque minus, quod cardinalis Borromeus eum nocentis mordacitatis inſimulaſſet. Notatum hoc Pallavicino eſt libro XX. capite IX. n. 8.

CXCVI.

Ganisius Hosio.

Calicem factum esse lapidem offensionis.

Vnicas tantum accepi ab amplitudine tua, quibus intelligerem litteras meas isthic redditas esse. Ac de nostrorum quidem fratrum aduentu diuinae bonitati gratias ago, quae faciet etiam, vt frustra illi non venerint, sed vtiles sint operarii dominicae messis, quantum in his rudibus collegii primordiis effici poterit Domino cooperante. Pestis nec apud nos quidem desinit pullulare, quanquam remissior facta sit passim, sed vt rediturа videatur vere accedente, nisi Dominus nobis & peccatis nostris propitius esse dignetur. Vtinam vero hac sola peste, quae corpus inficit, laboraremus, nihilque reliquum esset pestiferi contagii ab his, qui sedent in cathedra pestilentiae. Facit autem clementer pietas tua, quod poenitentiam trimestrem exigat pro meis peccatis, quae longiores & duriores sane poenas demerebantur. Sed si hanc poenitentiam subire non licebit in Varmiensi ecclesia, spero hanc mihi gratiam posse concedi, vt apud Augustanos meritas poenas luam, ex indulgentia dignitatis tuae.

Miror adhuc a D. Henrico nihil nobis adferri, vt sciamus aliquid de opere confessionis excudendo. De comitiis nihil adhuc certi, quando sit futurum initium, sed vt scripsi, metuimus ab illis multo magis, quam speramus. Dominus causam religionis fulciat praesidiis hoc tempore necessariis. Reuerendissimus Archiepiscopus Salisburgensis hunc fructum colligere dicitur ex calice concesso, vt armati rustici modo sese conglomerent & circumducant, quem ipsi volunt suae farinae concionatorem. Ad pugnam sunt parati, si resistat & impediat concionem & coenam ordinarius. Has turbas & seditiones inuitus ille fert, & maiora fortasse metuit, si turbulentis, quos Euangelii noui mu-

ſtum ebrios & furioſos reddit, ſe palam opponat. Caeterum auertat Deus, vt in Vuarmienſi eccleſia iſtis male petentibus peius concedatur, quod ad perturbationem catholicorum magis, quam ad reductionem errantium permiſſum, vix vnquam reuocari facile poſſet. Adeo ſumus tenaces illorum, quae diu expectata & multum expetita gloriolam adferunt, noſtroque genio circa religionem nouandam arrident.

Vere nunc calix factus eſt lapis offenſionis & petra ſcandali, vt in eo reuelentur multorum cordium cogitationes. Nihil adhuc mutauit Bauaria: nihil etiam alios epiſcopos tentare audio. Sic interim probantur electi, & magis magiſque manifeſtantur, qui ſupra petram fundati ſunt.

Adiunxi catalogum eorum librorum, quos praecipue tenet Auguſta, ſi forte aliquid in illis Celſitudini tuae placebit. Praeter catalogum Xenii loco mitto librum nouum iuſſu Illuſtriſſimi Principis Bauariae conſcriptum & editum de catholica communione. Spargit ille paſſim haec exemplaria, quibus vſum receptum ſumendae euchariſtiae retinere & confirmare ſtudet apud ſuos Bauaros. Audiam lubens iudicium amplitudinis tuae, quid ſentiat de tota tractatione, cuius ego quidem autor non ſum: iuuerunt tamen noſtri ſtrenue, ſed vtinam fructus optatus inde conſequatur. Gaudemus Romae nobis procudi nouum Hieronymum, & promittuntur Biblia bene caſtigata. Commendo me reuerenter Amplitudini tuae, cui Chriſtus nouum hunc annum proſperet, vt inoffenſa valetudine non ſolum ſuis praeſit ouibus, ſed etiam inclytum Poloniae regnum eccleſiae catholicae conſeruet atque reſtituat. Dolemus interim vicem optimi adoleſcentis Ioannis Hoſii, quem Romae ſuſtulit Dominus in ſuum regnum, ne malitia mutaret illius intellectum, ſi longius hic ſupereſſet. Auguſtae 18. Ianuarii 1565.

CXCVII.

Lombardus Hoſio.

Confeſſionem Hoſii mox proditurâm Romae: catechiſmum Romanum et breviarium recognita eſſe.

Scripſi diebus ſuperioribus Illuſtriſſimae D. V. literas, quibus ſignificabam opus ſuum de chriſtiana confeſſione, cura Illuſtriſſimi Cardinalis mei, Romae imprimi typis D. Pauli Manutii & vſque modo impreſſi ſunt quinterniones octo. Verum quia cogor ego ob catarrhi febrisque moleſtiam (iam annus eſt) relinquere ad horam hunc aërem, ſtatui ex medicorum conſiliis ad Neapolitanum aërem me conferre, quod hoc menſe faciam, vbi (Dei gratia) ſpero me ſanitatem recuperaturum, qua potero redire Romam & ſeruire Illuſtriſſimo Cardinali Amulio, viro religione & eruditione ornatiſſimo tuique amantiſſimo, nec deero illic ſollicitare D. Paulum, vt quam citius abſoluat opus: illudque tranſmittat ad Illuſtriſſimam D. V. quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus diu ſeruet incolumem. Cui & meam ſeruitutem (qualiscunque illa ſit) quam maxime commendo. Illuſtriſſimus Cardinalis meus, Cardinalis quoque Neapolitanus & D. Syrletus ſalutant D. V. Illuſtriſſimam. Torrentem, diu eſt quod non vidi. Latinus & Ferrantius, qui ſunt apud Cardinalem S. Angeli, ſeipſos V. D. Illuſtriſſimae commendant: idipſum facit P. Salmeron: verum pater Laines eſt prope interitum, iam perunctus eſt oleo ſancto, & dominus det illi locum refrigerii. Reuerendiſſimus Mutinenſis abſoluto opere Catechiſmi, Breuiarii &c. die 21. Decembris migrauit ad coelos. O beatos viros, qui ad locum quietis peruolarunt. Faxit Deus vt illos ſequamur in Domini pace ſempiterna. Iterum bene valeat Illuſtriſſima D. V. Ex vrbe XII. Kal. Febr. 1565.

CXCVIII.

Auguſtanus Hoſio.

Non poſſe ſe Caniſio carere: conſpiraſſe quosdam in vitam pontificis.

Litteras D. V. Illuſtriſſimae XII. Decembris ex ſuo caſtro Heilsberg datas accepi 19. Ianuarii, mirumque in modum gauiſus ſum de ſua incolumitate aliquid certi tandem habuiſſe. Angebar enim animi, cum de ea multos iam dies quicquam non cognouiſſem; atque ſi haberem vel Viennae vel Norimbergae, vel alio in loco, cui litteras tuto ad D. V. Illuſtriſſimam tranſmittendas darem, eidem id ſignificarem, quo ſaepius alter ad alterum ſcribere poſſet. Eſſet enim, vt arbitror, vtrique noſtrum ſaltem ad animi quietem non inutile, nos inter nos tum de rebus publicis, tum de priuatis noſtris admoneri, & fecerit D. V. Illuſtriſſima rem mihi adeo gratam, vt gratiorem facere non poſſet, ſi mihi aliquam viam monſtrabit, qua expeditius meae litterae ad ſuas manus peruenire valeant. Nam quod de litteris ad me Vienna relatis ſe non intelligere dicit, illud eſt, quod IIII. Septembris ad D. V. Illuſtriſſimam ſcripſi, & Sereniſſimi Poloniae regis oratori litteras multum commendans, eas Viennam miſi; Orator paucos iam ante dies in Poloniam redierat, quare cum ei litterae dari non poſſent, ad me Dilingam remiſſae ſunt. Quod ſi certum aliquem habuiſſem, cui eas committerem, eo tempore, quo ad meas manus rediere, iam illas D. V. Illuſtriſſima accepiſſet. Illis litteris, litteras vltima Septembris datas poſtea adiunxi, & ambas D. V. Illuſtriſſimam recepiſſe, mirifice gaudeo, ſed modus ſecurius & celerius litteras tranſmittendi nobis inueniendus eſſet. Gratulor iterum atque iterum de Collegio iam inſtituto, nec dubito, quin magnum ex eo fructum gens Polonica acceptura ſit. Faxit Deus, vt contagio, quae tantum illud bonum impedit, quam citiſſime euaneſcat. Ieſuitarum generalem, votis D. V. Illu-

Illuſtriſſimae de concionatore eo vſque mittendo quam citiſſime ſatisfacturum confido. De Caniſio enim, qui in hiſce noſtris partibus quantum laboris ſuſtineat, non facile eſt enarrare, fieri ſine maxima animarum iactura non poſſe iudico, vt hac prouincia relicta, ſe alio transferat; ſed in hac ſancta ſocietate non deerit, qui hoc concionandi munere recte fungi valeat. Ex Italia non belli ad nos rumores adferuntur, fuiſſe ſcilicet, qui in ſummi Pontificis vitam conſpirare auſi ſint, ſed Deus omnipotens ſuum vicarium protexit, & ſceleſtos illos atque ſacrilegos in manus pontificis puniendos tradidit; immiſcent aliqui inter hos nefandos viros quendam ex collegio noſtro atque noſtri ordinis: ſed Deus tantum a nobis dedecus auertat. Ego quidem vt credam, nullis rationibus adduci poſſum. Hic comitia maxima animorum ſuſpenſione expectantur, & aduerſarios multa tentaturos dubitamus, ſed in Imperatore noſtro veram eſſe & catholicam religionem non dubitamus & ſummum a Deo auxilium, quo maxime nunc indigemus, nobis adfore ſperamus. Valeat D. V. Illuſtriſſima & ad me ſaepius ſcribere ne grauetur. Datum Dilingae die XXVI. Ianuarii MDLXV.

CXCIX.

Cardinalis S. Georgii Hoſio.

Miskowskium, cuius epiſtolam ſupra p. 319. exhibuimus, in Hoſii gratiam Romae epiſcopi Plocenſis ſucceſſorem confirmatum eſſe.

Heſterno die ſanctiſſimus Dominus noſter in Conſiſtorio ſuo ſecreto aſſentientibus & comprobantibus omnibus, quotquot aderamus Cardinalibus, quod Reuerendiſſimus D. Andreas Epiſcopus Plocenſis nobilem virum D. Petrum Miskowsky Decanum Eccleſiae Cracouienſis ac regni iſtius Procancellarium,

Adiutorem tibi in Episcopum delegit, eumque ex integro ab sanctitate tua in id munus confirmari ac futurum quoque successorem in Episcopatu tibi decerni petiit, quamquam ea res, praesertim his temporibus maximi est momenti, minaque, ne id cuiquam indulgeatur, retinuerint, concessit tamen & non modo Adiutorem illum, verum etiam successorem post Andream futurum statuit: quo in negotio tractando & ea eximia voluntas ac propensus animus Serenissimi Regis vestri, qui ab sanctitate tua enixe id petiit, multum valuerunt, minimum & ipsius Petri merita, eximiis relata testificationibus, auctoritas tamen & testimonium Amplitudinis tuae de Petro deque Andrea Episcopo, eiusque valetudine & aetate caeteriisque omnibus, quae diligenter perpendi oportuit, quaeque litteris tuis non ad me modo verum & ad alios quoque missis commendantur. Sanctitatem tuam ac sacrosanctum collegium totum ita nouit, vt vix sint omnes id non posse non censere & non approbare, quod tu censendum & approbandum esse statuisti. Ea igitur de re vt Petrum ipsum plurimum tibi debere agnoscere ac profiteri par est; Sic ego & Amplitudini tuae & illi vehementer gratulor. Teque rogo, vt si qua alia in re operam meam tibi aut eorum cuiquam vsui esse posse intelliges, ea vti ne praetermittas. Nam ad omnia, quae iusseris, quoad potero, paratum me semper inuenies. Deus optimus maximus Amplitudini tuae perpetuam foeliciratem praestet. Romae VI. Id. Februarii Anno Domini MDLXV.

ANNOTATIO.

Ioannes Antonius Sorbonellus, Mediolanensis, Pii IV. amicissimus, edebatur in lucem anno 1519. Post Fulginatensem, varios episcopatus obtinuit, annoque 1560. presbyter cardinalis S. Georgii in velabro creatus est. Decanus cardinalitii collegii migrauit ex hac vita anno aetatis 72. salutis 1591. Post multos alios vitam eius delineauit Vghellus in Coleti editione to. I. col. 82. & to. IV. col. 724.

CC.

Borromeus Hosio.

Spem esse Pio IV. haereses e Lithuania, Hosii et nuntii apostolici coniunctis viribus, eiectum iri.

Binis-amplitudinis vestrae Illustrissimae litteris XXVII. Decembris & XIX. Ianuarii datis diligentiam eius, pietatem & religiosam solicitudinem, infixam in Dei gloria & in salute animarum, summa mea cum voluptate recognoui: quibus literis quod non interdum aut tempore aut numero respondeatur, sciat id mihi molestius accidere, quam sibi ipsi. Nam cum amplitudine vestra Illustrissima praesenti frui non possim, quod mihi esset optatissimum, scriberem certe ad eam, vt tanquam cum absente saepissime colloquens, aliquos piae eius sapientiae fructus literis perciperem, si mihi per haec & plurima & maxima mei officii & muneris negotia concederetur. Itaque necessitati ignoscet prudens eius humanitas. Lituanicae impietatis commemorationem, etsi animus & aures abhorrent, tamen quo grauiora illa ac sceleſtiora sunt, quam vt viribus humanis tanta mala sanari posse videantur, eo magis sperandum est, diuinam misericordiam ac benignitatem tam necessario tempori non defuturam, praesertim piorum precibus & votis euocatam. Qua in re sanctissimus Dominus noster, nosque omnes secundum Deum maxime confidimus praestanti sapientiae ac vigilantiae Amplit. vestrae Illustrissimae quae in comitiis erit sui simillima, nec patietur vllo loco ingenii & consilii vberem istam & acerrimam vim desiderari. Quam adiuuabit Reuerendi Nuntii ardens & summum studium tuendae & propagandae catholicae religionis; cui animus & iudicium in agendo sapiens, copia in dicendo abunde suppetunt. Quare in ipsorum coniunctissimis consiliis & actionibus magnam spem repositam habet sua Sanctitas, a qua his adiunctum litteris, quod videbit, Breue habet. Reliqua ab ipso Nun-

Nuntio cognoſcet, quicum ea communicabit omnia. Deum precor, vt Illuſtriſſimam Amplit. veſtram ſaluam & incolumem Eccleſiae ſuae ſeruet. Romae die III. Martii MDLXV.

CCI.

Clodinius Hoſio.

Queritur de ſtatuto inconſulte facto, ac Polonis noxio.

Puto te non paruam capturum eſſe voluptatem ex multorum praeſtantiſſimorum virorum in ſacroſanctum collegium veſtrum cooptatione, qua de re tota laetatur Italia, ac multa publice & priuatim laetitiae dat ſigna. Quae ego cum videam, non poſſum non vehementer dolere, quod noſtris hominibus hac laetitia frui minime liceat, cum praeſertim illo iniquiſſimo ſtatuto praecluſa ſit illis via ad tam amplisſimam ac ab omnibus nationibus exoptatam dignitatem, quae non ſolum omnes illuſtrat prouincias, ſed etiam magnum hominibus praebet ſtimulum ad colendas & capeſſendas virtutes. Quare cuperem, vt noſtri homines iam tandem ſapere incipiant, ac huic ſtatuto inconſulte facto minime obtemperent. Sed haec Deus optimus maximus gubernabit. Rumor hic ſparſus eſt, te a ſummo pontifice Romam vocari: quod ſi ita eſt, non dubito, quin mandatis parueris, ac nos omnes, qui te Romae videre deſideramus, magno affeceris gaudio. De negotio penſionis meae, in omne vitae meae tempus conſequendae, vel ſane aliquo ſacerdotio, quo me ſuſtentare poſſem, vt in iſtis Piotricouienſibus comitiis aliquid certi ſtatuas, te his precibus, quae ab obſequentiſſimo cliente erga benignum patronum proficiſci poſſunt, oro ac obſecro. Pompylius Amaſaeus ac Camillas Paleotus, cuius frater auditor Rotae Cardinalis creatus eſt, tibi plurimam ſalutem. Bene vale Cardinalis ampliſſime, ac me reſque omnes meas tua in fide ac patrocinio habeto. Bononia XIIII. Cal. Aprilis MDLXV.

CCII.

Cardinalis Simoneta Hosio.

Canonem Tridentinum de eligendis episcopis in Polonia moderandum esse.

D. Georgius Polonus his proximis diebus numerauit domus meae magistro aureos 35. quos D. T. Illustrissima mandauerat soluendos quibusdam ex ministris capellae S. D. N. quos ego tibi dudum commendaueram. Qui aurei 35. statim fuerunt soluti sacristae, diaconis, subdiaconis & duobus clericis secretis eiusdem Capellae, vt ex eorum apocha licet videre. Qua in re agnoui tuam eximiam humanitatem, quod tam promte ad meas preces voluisti illa Regalia, quae vocant, soluere. Sed velim ipsa tua humanitas me excusatum habeat, si tibi fortasse fui molestus, dum pro ipsis ministris non potui non me deprecatorem constituere apud T. R. D. ob eas rationes, quas tunc scripsi, & praesertim, quod ipsi non parum confiderent, meum erga te studium & obsequium aliquid effecturum. Quare de hac tua singulari erga ipsos ministros benignitate, & amoris erga me significatione tibi ingenteis ago gratias; neque posthac vllum amplius a me tibi negotium pro Regalibus soluendis exhibetur, quia plane intellexi ex litteris D. T. R. hactenus illa plus nimio tibi constitisse, ex quo ad Cardinalatus dignitatem perueniſti. Quo vero ad electum Samogitiensem, quem D. T. Illustrissima posterioribus litteris diligentissime & multis piis rationibus mihi commendauit, hoc tibi vere polliceor, me, quidquid operae ac diligentiae potero, libenter impensurum, vt quamprimum litteris suae prouisionis potiatur; neque desinam in eius gratiam illas rationes in medium adducere, quae a tua prudentia fuerunt perscriptae, praesertim circa canonem Tridentinum de eligendis episcopis, in istis partibus moderandum: quod eo libentius praestabo, quia semper, cum Tridenti vna essemus, meam sen-

tentiam in hac re, vt in aliis multis, cum tua coniunxi. Nam etſi canon ille non diſſentit a doctrina Pauli, tamen, ſi ipſe D. Paulus de coelo ad nos rediret, haud dubito, quin multa ex charitate & pro ratione temporis toleraret ac moderaretur. Oro his Deum opt. max. vt. D.T. Illuſtriſſimam diutius ſeruet incolumem. Roma V. Maii 1565.

Eiusdem illuſtriſſimae & R. T. D.

humillimus ſervus,

Lud. Car. Simoneta.

CCIII.

Cardinalis Palaeotus Hoſio.

Significat, Pium IV. cardinalitiam dignitatem ſibi contuliſſe.

Etſi ſerius fortaſſe, quam officii mei ratio poſtulare videatur, ad te literas de hac honoris mei acceſſione dederim, non dubito tamen, pro tua ſumma humanitate, veterique in me beneuolentia, quin cunctationem hanc meam benigne ſis interpretaturus, meamque ſingularem erga te obſeruantiam eodem ſis loco, atque antea ſolebas, habiturus. Equidem ingenue id poſſum affirmare, cumprimum ſanctiſſimus Dominus Noſter pro eximia ſua benignitate me Cardinalem renuntiauit, te potiſſimum, praeclarasque virtutes tuas animo meo obuerſatas eſſe: ſed quid agerem? exigui me ingenii hominem, & ſumma vndique imbecillitate laborantem ad tantam honoris amplitudinem euectum conſpiciebam, atque grauiſſimis ac ſapientiſſimis viris Collegam adſcriptum eſſe, quorum animi praeſtantiae, ſingularibuſque vitae mentis, me nullo vnquam tempore parem eſſe poſſe

posse intelligerem. Mearum igitur virium conscius, silendum potius arbitrabar, quam huius tibi honoris amplificationem nuntians, in aliquam forte suspicionem venire, inanis de me praedicationis. Itaque dum huius officii oportunius tempus expecto, simulque interim vereor, ne alius tibi videri possim, atque omnino sum & abs te haberi cupio, res paulo longius protracta est. Verum singulari morum ac naturae tuae suauitate fretus, diutius mihi committendum non putaui, quin tibi intimos animi mei sensus aperirem, veteremque meam erga te fidem & obseruantiam confirmarem. Ego Vuarmiensis Amplissime cum mecum reputo, me singulari Dei optimi beneficio huc vocatum esse, nil magis opto, quam vt in tanta publicorum munerum administratione & sacrorum mole negociorum, non omnino inutilis eius minister inueniar: qua in re cum eiusdem me diuini Spiritus praesidio inprimis egere videam, summa mihi in tua pietate & humanitate spes posita est; qui non solum piis tuis precibus atque sacrificiis, diuinae huius erga me gratiae robur impetres, sed etiam frequentibus ac prudentibus me tuis monitis & consiliis iuues. Hoc vt pro mirifica tua benignitate facias te non solum summopere obsecro, atque obtestor, sed etiam id quasi a te debitum repeto, cum & is ego sim, quem tu honorifico tuo testimonio atque auctoritate saepius decorasti, & tu is, quem ipse ob singularia tua merita vitaeque innocentiam praecipue semper coluerim atque suspexerim. Quodsi interim occasio etiam aliqua mihi sese dederit, qua tibi, rebus aut amicis tuis opera mea aut labor vsui esse possit, id mihi certe non solum iucundissimum atque optatissimum pro mea erga te fide atque ardenti animi studio eueniet, sed apud caeteros etiam praeclarum valde existimabo, qui me hoc argumento abs te amari atque in gratia conseruari intelligant. Deus amplitudinem tuam coelestibus suis donis cumulet. Romae Calen. Iunii MDLXV.

Illustrissimae ac Reuerendissimae D. tuae

humillimus seruitor,

Cardinalis Palaeotus.

ANNOTATIO.

Gabriel Palaeotus, Bononienſis, anno 1522. patre Alexandro, iureconſulto et ſenatore, natus eſt. Rotae Romanae auditorem Pius IV. Tridentum miſit, vt concilii decreta digereret, literisque mandaret. Cardinalatu decoratus eſt anno 1565. ab eodem pontifice, annoque ſequenti Pius V. ei cathedram Bononienſem attribuit. Obdormivit anno 1597. merito eruditiſſimis cardinalibus annumeratus. Inter proteſtantes vitam eius ſcripſit Antonius Teiſſier in elogiis. *

* *Dans les eloges des ſcavans P. II. p. m. 372.*

CCIV.

Cardinalis Alciatus Hoſio.

Gratias agit Hoſio, quod ſibi cardinalis dignitatem gratulatus eſſet.

Vt eam dignitatem, qua nuper me ſumma Pontificis benignitas auxit, gratulari mihi deberes; non aliam certe cauſam habuiſti praeter humanitatem ac beneuolentiam erga me tuam, qua adductus videris, vt non modo tam amabili officio promereri de me volueris; pro quo & habeo tibi & ago gratias, quantas capit animus meus maximas; ſed quo iuſtior etiam tua gratulatio appareret, ea collegeris ad meam laudem, in quibus non obſcura ab amore iniuria fit longe grauiſſimo iudicio tuo: quae etſi mihi pro eo, quanti facio amari abs te, iucundiſſima fuit: cupio tamen aliquam te inire rationem, ne poſthac de me cum iudicaueris, amore decipi queas. Ea opinor erit bonitati, innocentiaeque tuae maxime congrua, ſi nunquam deſtiteris omnibus a Deo precibus petere, vt ea velit reuera eſſe in me, quae tibi amor confinxit, ac ſimul illa fortaſſe Alciati ſpecies, quam cum nomine vtinam etiam virtute mea referrem. Hoc vno cumulaueris tua in me beneficia, atque ita effeceris, vt ſperare poſ-

ſim,

ſim, nec Eccleſiae chriſtianae non modo ſtudium, ac pietatem meam; ſed, quod ipſe auguraris, aliquam etiam opem & auxilium praeſtiturum. Quamquam illa, vt haec deſideret te incolume; quem ita eſſe diutiſſime cupimus; aut ſi deſideret, petere ab alio, quam a te ipſo, debeat, non ſinit virtus tua omni in genere ſingularis. Cui me antea tum publicis tum priuatis deuinctum vinculis, adeo nunc obſtrinxit recens erga me humanitas tua, vt nullum mihi videar maius in omni vita conſequi beneficium poſſe, quam ſi eiusmodi tempus incidat, in quo meam in te obſeruantiam, ac pietatem non dicam factis probare: nam id quidem fieri pro meo in te animo ſatis nullo modo poſſe ſcio: ſed certa aliqua ſignificatione queam teſtificari. Vale. Roma Non. quinctilibus 1565.

Illuſtriſſimae ac Reuerendiſſimae D. V.

humillimus S.

Cardinalis Alciatus.

ANNOTATIO.

Franciſcus Alciatus, Mediolanenſis, anno 1522. hanc lucem adſpexit. Cum in academia Ticinenſi profeſſor primarius iurisprudentiam ſummo cum applauſu docuiſſet, ac Carolum Borromeum, quod ſupra p. 82. notatum eſt, iuris doctorem creaſſet; Romam vocatus, Ciuitatenſis in Beneventana prouincia factus epiſcopus, annoque 1565. Borromei commendatione in cardinalium collegium cooptatus eſt. Obiit Romae anno ſalutis 1580. aetatis 59. Elogium eius Erythraeus pinacotheca altera numero 47. & Aubery Parte V. hiſtoriae cardinalium p. 316. nec non Vghellus to. VIII. col. 274. dederunt.

CCV.

Lombardus Hoſio.

Hoſii confeſſionem Romae edi auctiorem: quaedam praemittit de diſſidiis Tridentinis.

XII. Kal. Auguſti accepi litteras D. V. Illuſtriſſimae datas V. Iunii, quae mihi gratiſſimae fuerunt. Quas vero ante

iſtas ad me ſcripſiſſe refert, me non accepiſſe fateor. Cui autem adſcribam diſcrimen hoc, tabellioni, an τῇ μὴ δυσχίᾳ. neſcio. Quod vero attinet ad locum Nyſſeni: certe gauiſus ſum, cum audiui, recenſeri pugnas illas de oblatione dominica, quae menſe Auguſto & Septembri anni MDLXII. Tridenti audiebantur per vicos & plateas. (Vt interim - - taceam Torrenſem, qui volebat cum ſuo Dionyſio, apoſtolos ordinatos in ſacerdotium die Pentecoſtes.) Scripſi ad Cardinalem Amulium, quaecunque D. V. Illuſtriſſima hac de re ad me ſcripſit, & explicaui ſententiam Cardinalis Seripandi, domini mei hac de re, quam ſcripſit ad Reuerendiſſimum Cardinalem Sirletum. Scripſi etiam ad eundem Cardinalem Sirletum de eadem re: expectabo eorum ſententias. Tranſmiſi ad D. Cardinalem Amulium illas additiones: quas, credo, poſſe commode adiici & reiici in calcem libri, cum liber nondum ſit abſolutus, vt ſciam. Qua de re proxima futura hebdomada, cum fiam certior, ad te ſcribam. Interim cura bene valere, & me ſolito amore proſequere. Bene vale in domino. Ex Neapoli in feſto D. Magdalenae LXV.

CCVI.

Caniſius Hoſio.

Petit, vt excitet cardinales ad ſtudium bene merendi de eccleſia Romana.

Quatuor fere menſibus aeſtiuis hic haereo, paulo poſt in Germaniam rediturus Domino auxiliante. Gratias interim ago diuinae bonitati, quae nobis electoribus optimum & patrem & praepoſitum dedit, quaeque communem hunc patrum conuentum variis donis & ſalutaribus conſiliis cohoneſtauit. Inter alios amplitudini tuae notiſſimus eſt P. Salmeronius, qui proprias mittit ac meis adiungi voluit, priuſquam Neapolim

olim reuerteretur. De ſtatu vrbis alii ſaepe ſcribunt, vt eadem it minus etiam explorata Celſitudini tuae proponere ſit incon- ltum. Ego vero magnam hic cepi voluptatem ex illorum con- etudine, quos Cardinalitius ordo & lectiſſimos & eccleſiae iu- ndae ſtudioſiſſimos viros habet. Conſeruet nobis Chriſtus has uſtres forteſque columnas, Aram coeli, Amulium, Sirletum, lexandrinum, vt caeteros praeteream. Nam de pietate & vir- te D. Borromaei praeſtat tacere, quam pauca dicere. Hortor item & rogo amplitudinem tuam, vt ſuis litteris pergat iſtos ccitare ad ſtudium de eccleſia catholica bene merendi. Egent ne calcaribus, iiſque frequentibus, quod morbos noſtratium, rantumuis pernitioſos & foedos, audiant quidem & vtcunque telligant, ſed quoniam ab aegroris procul abſunt, neque coram ruentur vlcera & vulnera, minore cura ſtudioque curandi for- ſe tangantur, & difficile ſit, eadem felicitate de abſentibus, iemadmodum de praeſentibus rebus, iudicium ferre. Illud in ontifice maximo non potui non admirari, quod ingratam & agna ex parte rebellem Germaniam tam benignis oculis tam- ie paterno ſemper affectu proſequatur. Multis mihi verbis de- arauit ingentem, qua noſtrates complectitur, beneuolentiam, iram, ſolicitudinem: quaerit remedia, tentat media varia, qui- is conſulatur inclytae nationi: dolet adhibita fomenta nihil ad orbum curandum prodeſſe, ſed obeſſe potius in hac temporum ominumque peruerſitate.

Vbi non ſine voluptate cogito, quam recte ac ſapienter ſcri- erit pietas tua de ſucceſſu calicis, de confutatione centuriarum aliis quibuſdam, quae his diebus mihi praelegit Illuſtriſſ. D. nulius. Intelligit illa quoque Pont. Max. cui longos precе- ur annos ad profligandas errorum tenebras, ad confirmandam tholicae fidei veritatem, ad lapſos eccleſiae reſtituendos.

Quoniam vero alia, quae ſint alicuius quidem momenti, ad ribendum ſeſe non offerunt, nolo eſſe prolixior. Faxit Chri- is opt. max. vt Polonia non ſegreget ſeſe magis, ſed potius ad ionem accedat, & ea, quae ſunt diuiſionis ac diſſenſionis, fu- giat

giat ac propulſet. Agnoſcimus interim, benignitati tuae permultum a nobis deberi, quae fratrum noſtrorum collegium tam paterne tueri atque promouere ſummo ſtudio pergit. Nec deeſt illis quidem ampla meſſis, in qua domi foriſque verſentur: habent ſemichriſtianos & falſos fratres, a quibus exerceantur. Deum precamur, vt illis gratiam ſuam augeat, eamque virtutem largiatur, quae ſatis ſit ad amicos recte complectendos, & ad inimicos in veritatis viam reducendos. Commendamus nos amplitudini tuae omnes reuerenter, quae vt diu eccleſiam ſuis praeclaris ſtudiis illuſtret ac propugnet, maiorem in modum oramus. Eſt Lugdunenſis typographus, qui huc ſcripſit de operum Celſ. tuae integra editione paranda, & nos precatus eſt, vt certiorem faceremus autorem de huius editionis conſilio, ſi forte quicquam in libris antehac editis immutandum videretur. Qua de re ſatis erit per litteras monere P. Emundum Evcherium, quem noſtri ordinis theologum & concionatorem Lugduni celebrem habemus. Is monitus rem omnem bona fide praeſtabit. Literae ad illum ſcriptae Romam quoque mitti poſſunt. Romae 17. Septemb. 1565.

CCVII.

Stanislaus Clodinius Hoſio.

Nuntiat mortem Pii IV. (nati anno 1499. denati V. idus decembris anno 1565.) optatque, palpo obtruſo, vt Romam accurrat Hoſius.

Summum pontificem ſpatio ſex dierum, febri continua ac δυσεγίᾳ iactatum, quinto Idus menſis Decembris, hora vigeſima tertia, magno ſui apud omnes bonos relicto deſiderio, ex hac vita deceſſiſſe, puto ad te per extraordinarios tabellarios perſcriptum eſſe. Quare velim ſcias, me ac multos alios, qui te maxime omnium ſuprema hac dignitate dignum iudicant, vehementer

menter optare, vt huc quamprimum venias, nec tam praeclaram iuuandae christianae reipublicae ac illustrandae nationis nostrae occasionem praetermittas. Quod si difficultate itineris impediaris, tamen Dei optimi maximi auxilio, eam te commode superaturum speramus, praesertim cum electionem non tam cito futuram plerique existimant. Si vero tuus aduentus intempestiuus fuerit, tamen non potest & tibi & tuis omnibus non esse perhonorificus & vtilis. Cardinales die festo Thomae conclaue ingressuri sunt. Interim exequiae nouemdiales celebrantur, ac aliorum Cardinalium, qui extra vrbem sunt, aduentus expectatur. Borromeus Cardinalis omnibus Cardinalibus, qui a Pontifice defuncto creati fuere, concessit, vt libera penes eos suffragiorum ferendorum sit potestas, quae res plurimum illi apud omnes conciliauit beneuolentiae. Pontifex pridie eius diei, quo mortuus est, conuocatis omnibus Cardinalibus, praeter alia optimo pastore digna, etiam propinquos suos diligenter commendauit, ac ab eis petiit, vt Annibali Emps, nepoti suo, centum millia aureorum, nepti ex fratre quadraginta, fratri suo decem millia, Cardinalibus, quibus parua res est familiaris, viginti duo millia, Cubiculariis duodecim millia, Gabrieli Cerbelloni Mediolanensi decem millia legatorum nomine relinquere permittant: quod tum ab omnibus Cardinalibus concessum fuit. Nam sperabant, magnam pecuniae summam in aerario esse. Sed postquam cognouissent, non nisi ducenta & tredecim millia in aerario extare, omnes etiam, Borromeo suffragante, instant, ne legata exequantur. Iniquum enim existimant, aerarium prorsus omni pecunia spoliari. Idem Pontifex paucos, antequam in morbum inciderat, dies, quibusdam Cardinalibus in mandatis dederat, vt diligenter perquirerent, quinam sint in tota Europa excellentes in vnaquaque facultate viri, quos ille honoribus atque liberalitate complecti statuerat. Multa alia praeclara in animum induxerat, sed immatura mors obstitit. Et Barense negotium fortasse eius opera confectum fuisset, si Petrus Barsi eo viuente huc fuerat missus. Tumultus alias sede vacante hic fieri solitos, par-

uos vel prorſus nullos eſſe, velim ſcias. Nam in tempore omnibus rebus prouiſum fuit. Sponſa Ducis Ferrariae ſexta die Decembris Ferrariam ingreſſa eſt. Principis Florentiae, Bononiae tertia Decembris a Cardinale Borromeo nomine Pontificis perhonorifice excepta fuit, nec tamen adhuc Florentiam intrauit propter mortem Pontificis, quae omnes Ducis Florentiae cogitationes mirum in modum perturbauit. Bene vale, Cardinalis clariſſime, ac pro tua humanitate, habita occaſione, me ac fortunas meas ſacrae regiae Maieſtati ac Reuerendiſſimo Procancellario diligenter commendes. Hoc te etiam atque etiam ſupplex oro ac obſecro. Roma XV. Decembr. MDLXV.

CCVIII.

Excerpta ex epiſtolis Clodinii ad Hoſium.

Clericos plurimos dolorem capere ex Pii V. electione: hunc defenſorem eſſe decretorum in Tridentino concilio, ac nepotem ſuum, monachum Dominicanum, cardinalem creaſſe.

I.

Puto te iam ante ex meis et aliorum literis de creatione noui Pontificis intellexiſſe, qui quidem die feſto ſancti Antonii coronabitur, faxit omnipotens deus, vt ea, quae accepit reipublicae chriſtianae gubernacula optime ac foeliciter moderetur, ac religionem chriſtianam ad priſtinum reducat ſtatum, quod certe eum facturum, ipſius ante actae vitae in amplificanda religione maximi labores, optimam nobis praebent ſpem. Hoc certo affirmare poſſum, decretorum ſacroſancti Concilii Tridentini acerrimum defenſorem ac propugnatorem fore, quae res facit, vt plurimi clerici plus doloris, quam laeticiae, ex hac eius dignitatis acceſſione acceperint. Roma XII. Ianuar. M.D.LXVI.

II. Noui

II.

Noui hoc tantum habeto, ſummum Pontificem duo conſiſtoria (vti vocant) hac ſeptimana feciſſe, alterum publicum, alterum priuatum. In publico quinque Cardinalibus, a Pio quarto creatis, qui tunc Roma aberant, nempe Paduae, Criuello, Bobae, ſanctae crucis, Caſtilioni, ſecunda tegumenta purpurea data; In priuato Cardinalis Commendonus Legatus de latere ad Comitia germanica creatus. Nuncius in Poloniam idem, qui a Pio quarto deſignatus fuit, Abbas Rugierus, iturus eſt. Orator Sereniſſimi regis noſtri, qui in hac curia continuo commoretur, a multis hic deſideratur, nam ita dignitati Pontificiae conſuleretur, & nationi noſtrae, multum inde ſplendoris accederet, ſummus Pontifex decreta Tridentini Concilii diligenter obſeruari, Vectigalibus extraordinariis ſubditos liberare ſtatuit. Equitibus Melitenſibus, contra quos Imperatorem Turcarum iterum claſſem parare affirmant, quatuor millia peditum miſſurus eſt. Roma XXVI. Ianuarii MDLXVI.

III.

Noui hoc tantum habeto, ſummum Pontificem ante aliquot dies, nepotem ſuum monachum ordinis ſancti Dominici, in ampliſſimum cardinalium collegium cooptaſſe, hic Michael Bonellus, Cardinalis Alexandrinus appellatur. Heri ſenatus habitus, in quo Epiſcopatus quidam in Gallia collati. Cardinali Vrbini, qui nuper Archiepiſcopus Rauennae creatus eſt, Pallium datum. Dux Parmae & oratores Lucenſium iam ſummo Pontifici obedientiam praeſtiterunt. Ex Polonia nihil ad nos affertur, nec ſcimus quam cito ſacra Regia Maieſtas oratorem ſuum huc miſſura ſit, qua de re quidam Cardinales me ſaepius rogitant, tum etiam quae cauſa ſit, quod conſequendi Ducatus Barenſis nullam adhuc noſtri iniverint rationem, cum praeſertim optima conſilia ex hac curia ſacrae regiae Maieſtati iam pridem data fuerint. Romae XV. Martii M.D.LXVI.

CCIX.

Polancus Hoſio.

Novum pontificem nec calici, nec ſacerdotum coniugio favere.

His diebus Romam peruerunt litterae quaedam D. V. Illuſtriſſimae ad P. Caniſium cum aliis ad P. Emundum Evgerium, praepoſitum prouincialem ſocietatis noſtrae in Aquitania. Vtraſque miſit ad nos Cardinalis Auguſtanus, qui Romae nunc agit, & priores hodie Auguſtam mitto, poſt triduum Lugdunum alteras miſſurus, & patri Emundo iniungetur, vt diligenter exequatur, quae a D. V. I. ei ſcribuntur.

Quamuis nuper quaedam ſcripſi de electione & laetis initiis huius pontificatus, iam alia quaedam adiungo, quae vt nobis, ita D. V. Illuſtriſſimae pergrata fore non dubito. Diriguntur quidem litterae ad P. Franciſcum, ſed apertae, vt legi poſſint a D. V. I. & Braunsbergenſibus noſtris mitti.

Breui diſcedet P. Natalis cum Doctore Ledeſma, vt diaetae imperiali Auguſtae celebrandae, tanquam pontificis theologi cum P. Caniſio aſſiſtant, vel potius legato Commendono, in iis, quae ad religionem pertinent, ſuam qualemcunque nauent operam. Sequetur Cardinalis Auguſtanus, ſimul cum Cardinali Madrucio & Altaemps, quamuis ſi verus eſt rumor, qui circumfertur de Turcha in Vngariam venturo, citius ſe expediet imperator, & diaetam abſoluet ſine multis de religione quaeſtionibus. Vere ſummus pontifex zelum Dei habere videtur, & ſerio, quae ad catholicam religionem pertinent, fauore & auxilio & omni opera promouebit. Non eſt, quod de coniugio ſacerdotum, de calice, vel aliis huiuſmodi multum timeamus. Si quid occurrerit D. V. Illuſtriſſimae, quod ei velit ſuggerere ad bene merendum de religione, non dubitet, quod libentiſſime ſit id excepturus, imo & nobis voluit & iuſſit aditum ad ſe patere, quia de huiuſmodi

modi rebus aliquid ſolicitudinis nos habere nouit. Pater noſter praepoſitus cum rĕliquis quam humillime nos commendamus ſanctis orationibus & ſacrificiis D.V. Illuſtriſſimae, quam Deus conſeruare incolumem diu ad eccleſiae ſuae vtilitatem dignetur. Romae 2. Februarii 1566.

ANNOTATIO.

Ioannes Polancus, Hiſpanus Burgenſis, anno 1541. Romae in Ieſuitarum diſciplinam receptus, Ignatii per IX. annos in tota ſocietatis gubernatione praecipuus miniſter, ac diu generalis procurator fuit, cui omnia arcana committeret. Cum Lainio Tridentum profectus inter theologos ſententiam dixit, ſi vera narrat Alegambe in bibliotheca ſcriptorum ſocietatis Ieſu p. 266. Deceſſit e vita ſexagenario maior Romae anno 1577.

CCX.

Auguſtanus Hoſio.

Miris laudibus effert Pium V. novum pontificem.

Summi laboris ac moleſtiae meae ex itinere, duriſſimo anni tempore, ac via deterrima, pontificiorum comitiorum cauſa ſuſcepto, magna compenſatio illa fuit, quod Reuerendiſſimum Dominum Michaëlem Cardinalem Alexandrinum, Pontificem Maximum factum comperi, & ita factum, vt eius pontificatum Dei opus eſſe certiſſimum, omnium Cardinalium ſubitus & ſummus conſenſus, tamquam a vehementi illo Dei ſpiritu conflatus, comprobarit. Hic eſt ille Cardinalis, cui conſcientia optimae mentis ſententiae libertatem, ſpectata virtus & integritas auctoritatem dedit. Loquebatur in conſpectu regum, & non confundebatur: non ſtudebat placere hominibus, & ſeruus ſeruorum Dei inuentus eſt. Cum enim ſeptem Iſai filii adducerentur, non reſpexit Dominus vultum, neque altitudinem ſtaturae eo-

rum, ſed hunc perinde atque illum Dauidem in ſumma praeſtantis pietatis humilitate iacentem elegit, qui in medio fratrum vngeretur: ac qui ſemper catholicae fidei cuſtos, ac tutor fuiſſet, merito aliquando eſſet eius princeps, ac ſummus antiſtes. Ea autem fuere pontificatus initia, ut imaginem quandam intueri licuerit veterum Ieſu Chriſti vicariorum. Primum enim eam ſe velle familiam habere dixit, quae vitae, morum, veſtitus etiam exemplo ad imitationem virtutis excitaret ceteros, vt quemadmodum Saluator ab apoſtolis orſus eſt initium ſuae reformationis, ſic ipſe a ſuis aulicis exordiri voluerit. Non numero, ſed pondere, non veſtibus, ſed virtute miniſtros probari vult. In cauſas & iudicia ne ſe interponerent, neue iudicibus hominem vllum aut rem commendarent, omnibus edixit, ſeque futurum acerrimum iuſtitiae patronum oſtendit. In magna anguſtia aerarii tenuioribus Cardinalibus viritim quingentos aureos, ſingulis ſacrae Rotae iudicibus ducentos dedit; pollicitus, ſe cuiuſque meritis ac neceſſitati non defuturum. Comiti Annibali Empſio, cui ne daretur ſumma pecuniae a Pio quarto deſtinata, & viuenti Pio ſolus reſtiterat, & illo mortuo collegis omnibus repugnarat, factus Pontifex quinquaginta millia aureorum donauit. Hieroſolymitanis equitibus ſuperioris anni Turcarum immani obſidione & oppugnatione perculſis ac proſtratis, metu vero imminentis maioris etiam Turcicae tempeſtatis pene perditis vniuerſas Pontificatus maximi opes benigne pollicitus eſt. Quibus iam dedit XV. millia aureorum, & tria millia peditum breui ſubſidio mittet. Incredibile eſt, quam & publica prouinciarum ac ciuitatum, & priuata bonorum ac piorum difficultate moueatur. Et quidem is adeo pius pater ac liberalis in omnes cum duobus ſororis filiis, qui in collegio Germanico inſtituuntur, ſic agi iuſſit, vt ſi eſſent ex orphanorum numero. Alium vero nepotem ſacerdotem Dominicanum Peruſii ſtudiorum cauſa commorantem, doctrina & religioſis moribus ornatum, permultis orantibus & obteſtantibus, vt Cardinalem renuntiaret, adduci minime potuit. Etſi ille iuuenis nuntio Pontificatus annuculi ſui, nihil immutatus, grandem etiam pecuniae ſum-

ſummam ei miſſam a quodam Cardinale recuſauit, vt eum ab omni ambitionis ſuſpicione liberum, non magis naturae coniunctione, quam animi virtute Pii V. Pontificis Maximi nepotem eſſe appareat. Religionis vero ſtudium & ardor quidam retinendae ac propagandae catholicae fidei is in hoc Pontifice elucet, vt effigiem quandam primi illius Leonis & Gregorii, maximorum Pontificum, cernere videamur. De Commendono Cardinale legato ad Germanicum conuentum creato, puto, iam audiuiſſe Amplitudinem veſtram illuſtriſſimam. Mihi vero etiam ob eandem cauſam eo redeundum eſt, qua moleſtia, quo periculo meo, pro ſua prudentia facile intelliget. Sed officium & ſanctiſſimi D. N. voluntatem ceteris omnibus praeferri oportet; praeſertim cum hunc paſtorem omnia gregis vtilitate metiri conſtet. Quotiens pius & miſericors Pater reipublicae clades & calamitates deplorauit: quarum cauſas ſemper peccatis tribuit: a quibus ſi abſtineremus, futurum dicit, vt omnia nobis ex ſententia ſuccederent, vt perſpicuum ſit, cupere eum propria vita communem ſalutem repraeſentare. Quam multus vero eſt in orationibus? quibus etiam munitos eſſe debere Pontifices affirmat, non moenibus, aut propugnaculis; quos praeterea non lapidibus, ſed virtutibus rempublicam aedificare, inquit, oportere. Cum ad cibum capiendum venit, in quo neminem parciorem aut temperatiorem me vidiſſe arbitror, eas preces, eam gratiarum actionem adhibet, vt alii in Eccleſia neque longius neque vehementius orent, quam ipſe faciat in menſa. Quare perſpicuum eſt, eum oratione etiam quicquid cupiat, a Deo impetraturum. Nihil honeſta petenti cuiquam ſe negaturum polliceatur; nihil iniuſta poſtulantibus, ne principibus quidem, daturum profiteatur. Epiſcopos, qui multi occaſione mortis proximi Pontificis Romani venerant, extrudit: ne cardinales quidem liberat ab officio reſidendi in Epiſcopatu. Beneficiorum compoſitiones, magnum vectigal Pontificum, ſuſtulit, Paulum IIII. Pontificem imitatus, qui eiuſmodi pecuniae pactiones Caccum appellabat, vt ludens illo Vergilii verſu diceret: Tum primum

Romae

Romae Caccum videre timentem, quo ſignificabat, cum primum renuntiatus fuit Pontifex, omnes illius lucri artifices extimuiſſe, ne quaeſtus ille tolleretur. Cardinales vehementer admonuit, ne quid peterent, quod officio ac pietati in Deum, decretis Tridentini concilii, rei eccleſiaſticae eſſet aduerſarium; neue commendatione, aut teſtimonio ſuo fretum id petere quemquam paterentur, intentans iis, qui id committerent, horrendum illud Ieſu Chriſti iudicium extremum. Seueritatem tanta humanitate, quanta in eo eſt, temperatam, difficile eſt inuenire. Certum ab eo eſt & virtuti praemium, & vitiis ſupplicium conſtitutum. Blaſphemiae, nefariae libidini, ceteriſque eius generis flagitiis graues poenas propoſuit. Morum diſciplinam reſtituendam, diuinum cultum rite celebrandum, pie agendos dies feſtos maxime curat. Reformationem denique talem inſtituit, qualis & a Chriſti Domini vicario, & in hac arce religionis optanda ſit. Quare hoc optimo Pontifice, quem Deus Eccleſiae ſuae ſummo eius tempore praepoſuit, piis omnibus ac praeſertim Amplitudini veſtrae reuerendiſſimae gratulor ex animo. Cuius ſummam in tuendis ſacris inſtitutis, & catholicis ritibus cum eo coniunctionem ſemper fuiſſe, memini. Hic eſt, qui in calice bibentes peccatores ferre non poterat: qui deteſtabilis in ſacerdote coniugii mentione angebatur: qui non metu, non gratia declinauit vnquam de via Domini, ſed ad omnia mandata eius dirigebatur, & omnem viam iniquam odio habuit. Quare Deo quantas poſſumus gratias agamus: qui auditis precibus humilium & clamore pauperum, dedit nobis paſtorem ſecundum cor ſuum. Idem Amplitudinem veſtram illuſtriſſimam ſaluam & incolumem Eccleſiae ſuae ſeruet. Romae die XVI. Februarii MDLXVI.

CCXI.

CCXI.

Polancus Hosio.

Pium V. aegre nepotem suum, monachum Dominicanum, cardinalem creasse, nec tamen birretum rubrum ei dedisse.

Post summi pontificis creationem bis aut ter scripsi D. V. Illustrissimae, & de noui pontificatus primordiis sane praeclaris, & de spe, quam omnes concepimus non mediocrem de bona ac sancta gubernatione ecclesiae sub hoc Pontifice. Postea perlatae sunt V. C. litterae ad Patrem nostrum Praepositum & ad me mense Decembri datae, & cum quaedam ex eis inter alia summo Pontifici referrem, scripto eadem habere voluit, sicut de Germania & Gallia nonnulla, & serio videtur animum ad ea, quae sunt religionis, promouenda in septemtrionalibus his locis applicare, vtinam qui voluntatem dedit, vires etiam dare dignetur, vt id praestet. Si quid in mentem venerit D. V. Reuerendissimae quod suggeri possit eidem summo Pontifici vtiliter, ad fidei ac pietatis negotium iuuandum, ne quaeso id scribere pigeat. Non enim dubito, quod consilia D. V. Illustrissimae non modo grata sint ei futura, sed momentum etiam & autoritatem maximam habitura.

Cum his diebus Pr. N. Praepositus summum Pontificem adiisset, laudaretque ipsius sanctum propositum de compositionibus non admittendis, & de consanguineis moderate (vt fecerat) iuuandis, nimium erga eosdem affectum non ostendendo, idque consolationem maximam nobis adferre diceret, precareturque Deum, vt eam mentem ei, quamdiu viueret, conseruaret; grato animo id Pontifex accepit, seque a Deo vocatum esse ad Pontificatum, vt ecclesiae, non vt consanguineorum vtilitati inseruiret, testatus est. Et ita reuera videtur cum duobus nepotibus, Germanici collegii nostri alumnis, se gessisse, quibus pensiuncu-las quasdam assignauit, ex quibus sobrie suo in statu viuere possint. Singulis enim quadringentos aureos annuae huiusmodi

penſionis dedit. Tertium habebat nepotem, qui ante aliquot annos ex eodem collegio Germanico egreſſus, religioni ſancti Dominici ſe addixerat, bona cum venia Pontificis, qui tunc Alexandrinus Cardinalis erat. Hunc ergo nepotem iam ſacerdotem, & qui theologiae operam dare coeperat, primarii quidam Cardinales in ſuum collegium cooptari cupientes, Pontificem vrgebant, vt ad hunc dignitatis gradum illum promoueret. Reſtitit ſaepius pontifex; ſed cum regis Philippi legatus ſui principis nomine id multas ob cauſas ad commune bonum ordinatas peteret, cumque nudius quartus in conſiſtorio omnes ſimul Cardinales Pontificem aggreſſi eſſent, duaſque ſibi gratias concedi poſtulaſſent, alteram, vt praedictum nepotem Cardinalem crearet, alteram, vt rubrum pileum eidem (licet monachus eſſet) concederet; tunc demum pontifex, quod ad electionem nepotis in Cardinalem pertinebat, ſe illorum conſcientias onerare dixit; quod ad pileum attinet, nulla ratione ſe conceſſurum affirmauit, ſed vt monachus erat nepos, ita monachali habitu incederet; & ita res eſt conſequuta. Cum autem multi in familiam noui Cardinalis adſcribi cuperent, ſignificauit Pontifex, nolle ſe quemquam admitti, niſi quem ipſe deſignaſſet, vt non ſolum probati, ſed & pauci in nepotis familiam admitterentur; velle enim ſe pauperem inter Cardinales eſſe ſuum nepotem, ſicut & ipſe fuerat, & ita creditur moderate admodum neceſſaria huic nepoti ſubminiſtraturus, & epiſcopatum nullum ei daturus, quod verbo teſtatus eſt pontifex, & facto etiam, quoſdam epiſcopatus, qui tunc vacabant, aliis conferendo.

De Cardinali Commendono ad diaetam Auguſtanam miſſo, vt apoſtolico legato, iam, vt credo, aliorum litteris D. V. Illuſtriſſima intellexit. Eodem profectus eſt Pater Natalis, cum ſociis nonnullis de noſtra ſocietate, ab eadem ſede apoſtolica miſſus. Eodem etiam ſe contulit Pater Caniſius, poſtquam Germaniae ſuperioris & inferioris & etiam Weſtphaliae praelatos ac principes nomine defuncti pontificis Pii quarti inviſiſſet, & de his, quae ad religionem catholicam pertinent, cum eis non ſine fructu egiſ-

egiſſet. Vtinam in diaeta omnia ad Dei honorem & Germanicae eccleſiae vtilitatem tranſigantur. Interim nos omnes D. V. Illuſtriſſimae ac Reuerendiſſimae orationibus ac ſacrificiis Deo commendari cupimus, & humiliter id petimus, memores in noſtris eiuſdem V. D. Reuerendiſſimae, prout multis nominibus debemus, cui omnia felicia ad eccleſiae Dei vtilitatem ex animo precamur. Romae 9. Martii 1566.

ANNOTATIO.

Neſcio, an deſitum ſit videri inconveniens, cardinales monachos (regulares) birretum rubrum geſtare, quod cardinales nepoti pontificis impetratum iviſſe heic perhibet Polancus. Edidit Antonius Scappus anno 1592. Romae, apud Georgium Ferrarium, *de birreto rubeo dando S. R. E. cardinalibus regularibus, reſponſa prudentum diuini humanique iuris.* In hoc ſyntagmate probatur multis argumentis, licere cardinali religioſo deferre birretum rubrum, ad eum modum, quo illud deferunt cardinales non religioſi. Cum hic mos ſub Paulo II. in controuerſiam veniret; non defuere bene ſentientes, vt dicto libro p. 18. obſervatum eſt, qui exiſtimarent, diminuendam eſſe eccleſiae pompam, non augendam cum detrimento religionis chriſtianae.

CCXII.

Caſtaneus, archiepiſcopus Roſſanenſis, ac poſtea pontifex, Vrbanus VII. Hoſio.

Gratias agit pro transmiſſo medicamento.

Literae Illuſtriſſimae & Reuerendiſſimae D. V. datae ex caſtro ſuo Hedeperh, * XXII. Octobris anni praeteriti redditae mihi ſunt in Hiſpania, eo ferme tempore, quo nuncium de Pii quarti, Pontificis maximi obitu, & de Pii quinti electione in ſummum Pontificem huc eſt allatum; quo factum eſt, vt ſerius aliquantum, quam debui, ad illas reſpondeam, gratiasque agam de

* *Heilsberg.*

de annulis ex Alcina illa vngula tam probata ad me missis; munus mihi quidem gratissimum, & valde iucundum, pignus suae erga me voluntatis atque amoris. Affirmare enim verissime possum, neminem esse, a quo me amari magis cupiam, quam a D. V. Illustrissima & Reuerendissima. Videor enim mihi, cum a tanto talique viro non negligor, posse etiam a caeteris non omnino sperni: Munus suum diligenter custodiam, humanitatem vero, ac benignitatem, qua in me semper vtitur, memoria colam sempiterna. Magnificus Dominus Petrus, Agens Sereniſſimi Regis Poloniae, quem mihi commendat, est mecum satis familiariter, eum valde diligo, est enim vir optimis moribus, & suaui ingenio praeditus, & Italorum omnium amantissimus. Pollicitus sum ei omnem meam operam tum sui causa, tum Illustrissimae & Reuerendissimae D. V. commendatione. Si vero orator Sereniſſimi Regis, quem Romam prius accessurum audio, huc perueneriť, nullum erga illum praetermittam officium, vt intelligat, quanti faciam facturusque semper sim omnes illos, quos Illustrissimae & Reuerendissimae D. Vestrae probatos esse intellexero. Diu bene valeat eadem Illustrissima & Reuerendissima D. cui me humiliter commendo. Datum in oppido Madrid die X. mensis Martii 1566.

Excerptum ex cardinalis Simonetae epistola ad Hosium, data Romae die 30. Martii anni 1566.

Quare ego amantissimae parentis meae desiderio & precibus commotus, quae scit, quanti te faciam, non possum hisce meis literis D. T. Illustrissimae non molestus esse, eique negotium exhibere, vt ferae illius bestiae, quam quidam Vrum esse dicunt, quae in ista prouincia capitur, & quam etiam mater intellexit magno studio a D. T. Illustrissima solere conquiri, quo suis amicis valetudinariis opem ferat; velit ei dono mittere pedem illum (si modo is haberi poterit) ex cuius vngulae attactu aiunt vim quandam peculiariter exire morbis quibusdam medendi, quam

quam mater ipſa mea iam pridem ex fruſtulo quodam ei mutuo dato mirifice experta eſt in duobus nepotibus ſuis ex fratre meo ſenatore procreatis.

ANNOTATIO.

Ioannes Baptiſta Caſtaneus, qui hanc epiſtolam nuntius apoſtolicus ex anla Hiſpanica ad Hoſium dedit, mortalis vitae lucem adſpexit circa annum 1521. Bononiae doctoris iurium laurea cohoneſtatus, Romae ſignaturae iuſtitiae referendarius, poſtea Iulio III. Romanae eccleſiae imperium tenente, Roſſani, * in mediterranea citerioris Calabriae civitate, archiepiſcopus creatus, atque a Pio IV. ad concilium Tritendinum, & in Hiſpaniam miſſus eſt. Cardinalitium decus impetravit a Gregorio XIII. anno 1583. Sixto V. vita functo cardinales anno 1590. pontificem elegerunt. Cum ſe vrbis vtilitati natum eſſe omnibus demonſtrare vellet; Vrbani VII. nomen aſſumſit. Sedit tantum dies XII. demortuus ante inaugurationem XXVII. Septembris anni 1590. aetatis 59. De eius notis, quas in ius canonicum ſcripſit, aliisque lucubrationibus, quae manuſcriptae aſſervantur, Romae in bibliotheca Barberina, lege Oldoinum athenaeo Romano p. 387. Vitam eius enarravit Vghellus poſtrema Italiae ſacrae editione to. IX. col. 309. vbi miſerabiles virgines bonorum ſuorum ex aſſe haeredes inſtituiſſe dicitur. De eius vita expoſuit poſt alios Papadopolus hiſtoriae gymnaſii Patavini to. II. pag. 89.

De alcina vngula, pro qua heic gratias agit Caſtaneus, lege in Gratiani vita cardinalis Commendoni libro II. caput 13. quo de Pruſſiae feris agitur.

* *Roſſanum, veteribus Roſcianam & Ruſcianum, deſcribit Vghellus to. IX. col. 285.*

CCXIII.

Lombardus Hoſio.

Catechiſmum Romanum mox editum iri.

Scripſeram diebus ſuperioribus litteras D. V. Illuſtriſſimae quibus reditum meum e Mantua ad vrbem poſt obitum Cardinalis Mantuani ſignificaueram. Nunc vero nacta occaſione cuiuſdam amici mei R. Andreae Brixienſis, familiaris Card. Delfini & D. V. Illuſtriſſimae apprime ſtudioſiſſimi, non importu-

hum esse censui, si denuo recentibus & frequentibus litteris illam deturbo. Noui enim animi tui candorem, quippe qui nulla importunitate fatigatur ab eis, quos nouerit nominis sui studiosos. Inter quos est hic vnus Presbyter, qui allectus benignitate D. V. Illustrissimae has praesentes litteras ξὺν τῇ παῤῥησίᾳ scripsit. Rogo itaque & obsecro D. V. Illustrissimam, vt illum in numero suorum seruorum habere dignetur. Erit enim hoc mihi magno fauoris loco reponendum. Caeterum Cardinalis Amulius profectus est ad ecclesiam suam, vt illic celebraret synodum dioecesanam Reatinam. Paulus Manutius diu aegrotauit, nunc vero e morbo conualescit, & D. V. Illustrissimam salutat. Id ipsum facit Illustrissimus Sirletus (sacri senatus ornamentum) qui modo incumbit negotio τῷ κατηχισμῷ cum archiepiscopo Lancianensi & Magistro sacri Palatii. Et spes est illum cito editum iri typis Aldinis. Torrensis salutat D. V. Illustrissimam & asserit pertinaciter, vt moris est, se scripsisse saepius, & D. V. I. de illo ἐκ ἀξίως conqueri. Verum id concedatur huic viro, qui Dionysium appellabat ante tribunal Christi. Caesar Ferrantius D. V. I. se plurimum commendat, & iam ascriptus est familiae Cardinalis Alexandrini, relicto Cardin. Resualdo, iuuene honestissimo & religiosissimo, quem ego in patronum delegi perpetuum. Faxit Deus, vt nihil sit huic iuueni cum θανάτῳ per multos annos, vt fere per biennium contigit tribus illis, nimirum Seripando, Neapolitano & Mantuano. τὸ λοιπὸν πάλιν Deum oro, vt diu incolumem seruet D. V. I. quae mei non sit immemor. Ex vrbe Kal. Aprilis LXVI.

CCXIV.

Glagowsky Hosio.

Respondet ex iure, quomodo negotia inter episcopum et capitulum contentiosa tractari debeant.

Obsequiis meis in gratiam I. D. V. humiliter commendatis. Reuerendus D. Doctor Franciscus, visitator collegii Braun-

Braunſpergenſis & noſtri quoque, ſi quod Deo bene volente futurum eſt, ſolicite me quaerendo cum litteris Illuſtriſſimae D. V. inuenit in pago Glogowiecz paterno ruſticantem. Itaque ad haec, quae I. D. V. mihi communicare dignata eſt, quid reſpondeam, neſcio. Sine libris enim hic verſor, & prudentiorem alium neminem hic reperio, quam villicum meum, qui me etiam conſilio non multum iuuare poteſt, niſi quid ab illo petam de agro colendo, occando ſeu comminuendo. Sed in ſumma, quid ea de re ſentiam, paucis dicam. Negotium contentioſum ſi quod interueniat inter epiſcopum & Capitulares perſonas, capitulari cohercitione extingui debet. Nam ſi in vulgus proferatur, in partem vtramque non ſatis fuerit decorum, quia acta epiſcopi cum ſuo capitulo debent eſſe ſecretiora. Proinde haec ipſa res ad Capitulum eſſet referenda, vt mandatarios ſuos, qui ita inſolenter erga I. D. veſtram ſe geſſerunt, corrigat & ad debitam adducat poenitentiam, cum ſuſpenſione a perceptione fructuum & quotidianarum diſtributionum. Nam Capitulum alias fortaſſe poenas irrogare non poteſt. Sed & haec poena non omnino leuis cenſenda eſt, ſi cui diaria, ne ferociat, adimantur. Verum quia cum Dictatoribus res eſt, frequentiore opus eſſet capitulo, eorumque praeſertim praeſentia, qui dictatoriam iſtam autoritatem non reformidarent. Et haec ordinaria via eſt in corrigendis exceſſibus, qui admittuntur a Capitularibus perſonis, contra praelatum ſuum. Sed vt Illuſtriſſima D. V. plures habeat adhaerentes, me quoque Canonicum ſuum facere dignetur, quo facilius plurium conſenſu dictatura iſta debilitari poſſit. Sed & abſque me ſineque mea opera debilitabitur, ipſaque ſeipſam conſumet. Illuſtriſſima D. V. illam negliget pro modeſtia ſua. Verum ſi capitulum vel nollet vel non poſſet ad correctionem procedere, tum alia quaerenda erunt remedia. Qua de re poſtea ſcribam luculentius, quamprimum cum libris meis & cum Abbate tam Panormitano quam Plocenſi fuero colloquutus. Quos hac in re non inutile conſilium nobis ſuppeditaturos arbitror. Caeterum de villa Crauſenſi ego mallem autoritate Pontificis id

eſſe

eſſe confectum, inuitis iſtis, qui contraueniunt, vt videant, ſe non eſſe tanti, quemadmodum ipſi exiſtimant. Nam approbatio Pontificis ſine conſenſu etiam capituli ſatis per ſe roboris habet vel ad perpetuitatem. Capituli vero aſſenſus nullus eſt, niſi approbatio pontificis acceſſerit. Ideoque in impetranda & concedenda Pontificis approbatione, non Capituli ratio haberi ſolet, ſed aequitatis & euidentis vtilitatis eccleſiae, quae ex ſeminarii inſtitutione, & aliis etiam rationibus ad vtilitatem eccleſiae ſpectantibus facile comprobari poteſt. Tacendum vero cenſerem in narratione ſupplicationis, vt vocant, de venditione bonorum, quae odioſum nomen habet alienationis, ſed plauſibiliore verbo ornanda eſſe videretur, videlicet infeudationis, aut certi cenſus inſtitutionis pro alendo ſtudioſorum ſeminario, ſeu quocunque alio nomine, quod minus odioſum eſſet, quodque non tam alienationis, quam commutationis in meliorem vſum ſpeciem prae ſe ferret, rem temperandam eſſe puto. Sed hac de re breui Deo auſpice deliberatius, vna cum Domino Abbate Plocenſi. Precor, vt Illuſtriſſima D. V. diutiſſime valeat felix, meque benigno fauore ſuo proſequatur. Ex villa Glogowiez 4. April. 1566.

CCXV.

Polancus Hoſio.

De miſſione Ieſuitarum in Scotiam et Boruſſiam.

Nuper ſcripſi D. V. Illuſtriſſimae, & tamen quia pergrata fore exiſtimo, quae adiunctis litteris de ſummo pontifice noſtris mitto, has etiam ſcribendas cenſui. Litteras apoſtolicas de reſidentia epiſcoporum & habentium curam animarum, & alias, quae his diebus emanarunt, forte mittet Dominus Georgius Ticinius. Ego ne maiorem facere faſciculum cogar, non mitto.

to. Profectus iam est episcopus Montis regalis, qui nuntius in Scotiam mittitur, cui adiungi voluit summus pontifex duos ex nostris, alterum natione Scotum (qui collegii Parisiensis nostri rector est, vir sane pius, doctus & prudens) alterum Anglum, Londinensis episcopi nepotem, qui Dilinguae versatur, I. V. Doctor, & in scripturis versatus. Bene fortunet Dominus totam hanc missionem, & vt cedat in ipsius honorem & ecclesiae vtilitatem non minimam, sua gratia efficiat.

Antequam hae litterae isthuc perferantur, verisimile est, Doctorem Astensem, eodem peruenturum, qui Braunspergam concionaturus mittitur, quod idioma eius & talentum ad hoc munus acceptum, gratum Prutenis & vtile fore speramus, prout Frisiis & Holandis & aliis inferioribus Germanis perutile fuisse, experientia docuit. Duos etiam vel tres praeceptores Colonia missura erat, alios etiam prouincialis Austriae, vel P. Natalis (in Germaniam post absolutam diaetam visitator missus) prout eis a patre nostro praepositio scriptum est, qui certe collegium Braunspergense, vel hoc nomine, quod a D. V. Illustrissima erectum est, commendatissimum habere vult, ideoque bene stabiliri & nostrae ipsius societatis scholasticos habere, qui pro seminario praeceptorum & aliorum operariorum ipsi sint, percupit. Si enim ex tam remotis locis essent in posterum mittendi, timeri posset, ne aliquanto durius & difficilius id aliis collegiis videretur. Idem pater noster praepositus cum his diebus scripserit D. V. Illustrissimae, id iam non facit, sed quam humillime commendat se & societatem omnem sanctis sacrificiis & orationibus D. V. I. quam Dei bonitas diu ad ecclesiae suae vtilitatem seruet incolumem. Romae 22. Iunii 1566.

Cum viderit D. V. Illustrissima litteras apertas, quae de summo pontifice agunt, dignabitur, nostris eas transmittere ad eorum consolationem.

CCXVI.

Cardinalis Simoneta Hoſio.

Cardinales gaudere privilegio conferendi in menſibus pontificiis ſuarum eccleſiarum beneficia: at non parvam pecuniae ſummam ab iis ſolvendam, qui Roma abeſſent.

Binas accepi litteras Illuſtriſſimae D. T. meis reſponſiuas, vna cum dimidia Alcis vngula & ſeptem anulis itidem alcineis. Quae mihi omnia valde quidem grata & optata aduenerunt, eruntque ita perpetuo non tam ob excellentem illorum virtutem, quam inſignem humanitatem & facilitatem, quibus D. T. Illuſtriſſima in mittendis hiſce rebus erga me vſa eſt. Quare ego verbis deſtituor, quibus perinde vt debeo tibi gratias agam pro hoc munere, quod matri meae tranſmiſſum erit loco pretioſi cuiuſdam theſauri. Caeterum quod D. T. Reuerendiſſima ſcribit, non multum ſe fidere anulis iſtis, eo quod non ſunt ex vngulis ferae a ſe captae, quia anno ſuperiore nullam illarum ferarum ceperit; ac propterea, ſi proximo autumno felix captura continget, velle ſe mihi plures eiuſmodi vngulae particulas mittere; id, quidquid erit, haud certe poterit a me recuſari, ſed totum tuae eidem munificentiae & liberalitati referetur acceptum, dum me meoſque omnes hoc etiam nexu D. T. Illuſtriſſimae quam maxime deuinctos eſſe cupio. Verum mea cauſa nolim equidem te in illa venatione ſumptus facere. Quod ad gratiam Indulti attinet, tibi quondam a Pio IIII. Pontifice conceſſam, haud falſa eſt D. T. Illuſtriſſima omnes Reuerendiſſimos D. Cardinales huiuſmodi indulto aut priuilegio conferendi beneficia circa ſuas eccleſias in menſibus Pontificiis, ſolere perpetuo potiri & gaudere. Sed ad confirmandam huiuſmodi gratiam omnibus cumprimis opus eſt litterarum apoſtolicarum expeditione, quibus expediendis haud parua pecuniarum ſumma ſolet impendi, a qua quidem nullus vbique Cardinalis eximitur, qui aliquo tem-

tempore Cardinalis non fuerit in vrbe. Proinde cum viderem D.T. Reuerendiſſimam harum litterarum expeditionem nondum habuiſſe, neque e re ſua eſſe, illas hoc tempore expediendas mandare, rogaui S. D. N. vt harum loco vellet tibi de Breui apoſtolico gratificari. Quod cum ab eius Sanctitate nobis benigne fuit conceſſum, ego huiuſmodi Breue ſtatim expediendum curaui, illudque hiſce litteris ad T. Illuſtriſſimam D. tranſmitto, meque totum quacunque re alia tibi valeam inſeruire, defero, & ex animo quam maxime commendo. Roma 13. menſis Iulii anni Domini 1566.

CCXVII.

Andradius Hoſio.

Illuſtriſſimo atque Reuerendiſſimo Domino,

Stanislao Hoſio S. R. E. Cardinali Warmienſi
Diegus Payua Andradius
S. P. D.

Poſtridie, quam ad te literas dedi, redditae mihi ſunt tuae, perbreues quidem, ſed amoris & officii pleniſſimas, quibus varie affectus ſum. Nam quod longiores illas, quas ſuperiori anno ad me ſcripſiſſe ais, non acceperim, valde moleſte tuli; quo enim te amo ardentius, eo acerbius duco, tamdiu tuarum literarum iucunditate caruiſſe. Mirifice vero me recrearunt, & quod bene te valere intellexerim, & quod tam amice, candide & ſimpliciter, hoc eſt, vt mea in te pietas & obſeruantia poſtulabant, tuam mihi de noſtris in Kemnitium lucubrationibus ſententiam aperueris. Nam cum ego ſincerum tuum grauiſſimumque iudicium de religionis controuerſiis ſemper fuerim demiratus, nihil ſane maiores mihi ſtimulos admouere potuiſſet, vt omnem in iis ſtudiis operam inſumam, quam quod meas

vigilias non omnino apud te improbari intelligam. Quare vt mea haec ſtudia non modo oratione accendiſſe, ſed etiam ſolitis beneficiis adiuuiſſe videare, te oro & per tuam iſtam humanitatem obſecro, vt quidquid ab haereticis editum fuiſſe intellexeris, quo noſtros illi commentarios inſectentur, ad me transferri cures, vt ſi quid reſponſione dignum eos attuliſſe iudicauero, oratione refellam. Ita enim animus contentione acuitur, & cum calumniam a ſe propulſare cupit, neruos intendit, vt ſeipſum aliquando ſuperare videatur. Nos vero tam longis a Germania diſtamus interuallis, & homines noſtri tantopere Dei optimi maximi beneficio hactenus ab ipſis etiam haereticorum nominibus abhorrent, vt non niſi ſumma induſtria & labore eorum libros comparare iis poſſimus, quibus eos legere per ſummum inquiſitorem integrum eſt. Quod vero ad meam de virginum caelibatu ſententiam attinet, quam tibi minus placuiſſe doleo; paucis explicabo, quibus fuerim rationibus adductus, vt Cypriani ſententiam, quam ſcio pleroſque varie interpretari, ita ego explicauerim, vt pontificia auctoritate ſimulatas illas virgines voti legibus ſolutas fuiſſe dicerem. Quod ea tamen lege faciam, vt tibi perſuadeas, nihil me probaturum vnquam, quod non tuo fuerit iudicio confirmatum. Principio fateor, mihi illorum ſententiam ſemper placuiſſe, qui putant, continentiae votum, quo monachi & ſacerdotes tenentur, ſolenne ideo appellari, quia Eccleſiae pontificumque conſultis matrimonia illis vſque adeo interdicuntur, vt ab ipſis inita firma ac rata eſſe nullo modo poſſint. Quare nullam ſane reprehenſionem incurriſſe Caeleſtinus III. ceterique pontifices maximi mihi videntur, qui ſacratas Deo virgines e monaſteriis extractas matrimonio copulari permiſerunt, cum id ſuo iure feciſſe videantur. Quamuis in eo fortaſſe non omnino culpa vacauerint, quod leuibus aliquando rationibus permoti id commiſerint, quod non niſi grauiſſimis de cauſſis facere licuiſſet. Quamquam vero me in hanc ſententiam iampridem firmiſſimis (vt ego quidem exiſtimo) rationibus pertraxerit doctiſſimus Cardinalis Caietanus, cum tamen de caelibatu agerem, ita diſputationem

tionem inſtitui, vt neque quaeſtionem hanc ingrederer, neque meam de illa ſententiam aperirem; nam virgines, quas Cyprianus ait, quod ſi perſeuerare nolunt vel non poſſunt, melius eſt vt nubant, quam in ignem delitiis ſuis cadant; non ſolenni quidem, ſed ſimplici voto deuinctas fuiſſe arbitror. Neque enim ex velatis erant virginibus, quae caenobiis incluſae caſtimoniam colebant, quas Pius Pontifex primus, qui centum fere annis Cyprianum praecurrit, decreto cauit ante XXV. annum velari, ne pudicitia periclitaretur, ſed ex earum numero, quae virginitatem in Eccleſia (vt hodie etiam fieri ſolet) palam profitebantur. Quod voti genus quanquam ſolennitatis quoddam ſpecimen prae ſe ferre videatur, ſimplex tamen eſſe is non inficiabitur, qui Bonifacio octauo Pont. Max. debitam fidem adiunxerit. Is enim tradit, illa ſolum vota ſolennia dici, quibus ſe clerici, dum ſacris initiantur, obſtringunt; & monachi, cum tacite vel expreſſe (vt illius verbis vtar) religionem profitentur per ſedem Apoſtolicam approbatam. Cum igitur ſummi Pontifices haud pridem auctoritatem diſſoluendi voti continentiae vincla ſibi integram reſeruauerint; conſtat ſane Cypriani aetate id etiam epiſcopis licuiſſe, qua ſanctiſſimum pontificem vſum fuiſſe exiſtimo, cum tantam illam incontinentiae peſtem dicatas quaſdam Deo virgines inuaſiſſe intellexit. Hactenus de Cypriani ſententia. Alcini annuli, quos ad me miſiſti, gratiſſimi ſane mihi fuerunt, & quod plurimi a noſtris hominibus fiant, quibus atra bilis domeſtica eſt atque natiua; & quod tuum in me amorem ſatis declararent, quem ego plurimis maximiſque officiis gratificari vehementer cupio. Vale Illuſtriſſime atque reuerendiſſime Domine. Datum Ollyſippone pridie Idus Septemb. Anno MDLXVI.

ANNOTATIO.

Andradius, Luſitanus theologiae doctor ac profeſſor, miſſus eſt a Portugalliae rege ad concilium, vt ex catalogo Harduini tomo X. col. 431. apparet. Cum Martinus Chemnitius libellum edidiſſet de origine & theologia Ieſuitarum; Andradius in ſynodo ſcripſit decem libros orthodoxarum explicationum

de controuerſis religionis capitibus, quibus, hortatu patrum, Chemnitii libellum aduerſus Ieſuitas ſuſceperat profligandum. Sed aliud ſpectaſſe patres, his verbis innuit Chemnitius: *Ego inde colligo, non tam Ieſuitarum rationem habitam fuiſſe a Patribus Concilii, quam quod per Andradium, tanquam idoneum Concilii interpretem, voluerint explicationes decretorum ſuorum inter homines ſpargere, id quod etiam titulus, orthodoxarum explicationum de controverſis religionis capitibus, non obſcure indicare videtur. Non igitur cum Ieſuitis, qui certamen pertinaciter defugiunt, ſed cum hoc argumento Andradii mihi iam res erit.*

Fuerunt autem Andradii explicationes praecipua cauſa, quamobrem Chemnitius anno 1565. ac ſequentibus examen concilii Tridentini in quatuor partes diſtributum, publicaret. Cui operi Andradius Olyſippone anno 1575. oppoſuit, ac Gregorio XIII. dedicavit defenſionem Tridentinae fidei catholicae quinque libris comprehenſam, adverſus haereticorum deteſtabiles calumnias, et praeſertim Martini Kemnicii. Cum librum Plantini ſtudio impreſſum vellet, navis autem, in qua opus ferebatur, a piratis capta eſſet; operam dabat, vt Olyſippone typis mandaretur. Sed Andradio 1577. mortuo ab eius fratribus editum eſt. Non autem totum examen Chemnitianum hoc opuſculo, ſed pauca tantum capita ſibi confutanda ſumſit, vnde ait in dedicatione ad pontificem: *Quod ſi has meas vigilias Beatitudini tuae non ingratas fuiſſe intellexero, alteram huius Tridentinae defenſionis partem, ſi opus fuerit, conficiendam curabo.*

CCXIIX.

Lombardus Hoſio.

Reformationem morum improborum Pio V. magnae curae eſſe.

Poſtquam redditae fuerunt mihi litterae D. V. Illuſtriſſimae menſe Iunio, quamprimum reſcripſi. Quin & Card. Geſvaldus ſcripſit. Verum neutras ad Tuam Ill. D. datas a D. Nicolao e Venetiis intellexi. Quocirca dolui plurimum. Sed aduerſa non aegre ferenda ſunt, cum illa exerceant nos *πρὸς τὴν ὑπομονήν*. Quae ſcribam de iis, quae Romae fiunt, pauca habeo. Quamplurimi ſunt, qui hoc autumno ex febre peſtilenti morboque con-

ntagioſo intereunt. Cui morbo pontifex max. vt Dei vicari- & pater omnium ſuccurrit precibus, ſacrificio, cibo, pharma-, omnique re neceſſaria. Quem Dominus diu ſeruet incolu-em. Eſt enim ſanctus ſenex bonuſque paſtor: non curat niſi τῷ χριστῷ in viſitatione gentium & templorum. Alter eſt Da-d, Ezech. & Ioſias, vt vtar verbis libri Eccleſiaſtici. Reforma-ni prauorum morum adeo incumbit, vt nihil ſupra. Curat ae caeteris prouidere eccleſiis de bonis epiſcopis & parochis. dulo curat, vt familia ſua (iam nudius tertius habuit ad eam monem per horam) honeſte ſancteque viuat, vt decet mini-os miniſtrorum Dei. Id ipſum cupit fieri, vt par eſt, in domi-s Ill. Cardinalium, vt docet ſacrum concilium Tridentinum l. vltima. Cui D. V. Illuſtriſſima cum aliis collegis praeſide-t ſumma cum pietate & religione. Idem Pontifex V. Nonas ſtobris iuſſit celebrari exequias bo. me. Pauli 4. ſolenniter & ligioſe apud templum τῆς Ἀθηνᾶς. Illuc enim delatum fuit πῶμα e diuo Petro. Catechiſmi impreſſio iam abſoluta eſt, n Italico, quam latino ſermone. Sed nondum tradita eſt bi-opolis, vt venundetur. Torrenſem rarenter video: ἰσὶ γὰρ ὁ τιπόραξ καὶ ἐρημικὸς, ὡς μισάνθρωπος. Illuſtriſſimus Cardinalis dletus, in cuius familiam receptus ſum, creatus eſt in epiſco-m S. Marci apud Calabros: & quotidie ſe parat ad diſceſſum, ſi impediat Pontifex. Et ego illi ſeruiam in eccleſia ſua, quo-am fere faſtidiui aulas Dominorum, cum ſcriptum ſit: ado-te Dominum in atrio ſancto eius. Et: in eccleſiis benedicite θεῷ ἐκ πηγῶν τῦ Ἰσραήλ. Ἐρώτω, καὶ, ὡς ποιεῖς, ἐπιφανίσατε δόσ-τα, μὴ φίλε. Ἐκ Ῥώμης ἡμέρα η Οκτοβρ. ᾳφξς.

Caeſar Ferrantius familiaris ſanctiſſimi D. N. ſe commen-t plurimum D. V. Illuſtriſſimae.

CCXIX.

Maldonatus Hoſio.

Hortatur, vt internis donis recte vtatur.

Si alienis mihi tantum literis Illuſtriſſima dominatio veſtra, vt fecit, ſalutem dixiſſet, equidem duxiſſem loco ſummi beneficii. Nec enim tanti tibi eſſe obſequium meum volebam, vt aliquid tuis maximis & grauiſſimis occupationibus moleſtiae adderet, & tantus vir ad tam exiguum homuncionem ſcriberes. Nunc autem cum eas etiam literas, quas ad me dediſti, acceperim, tantum cumulum hic per ſe maximo erga me beneficio acceſſiſſe arbitror, quantum non dicam officiis promereri, ſed ne ſperare quidem cogitando potuiſſem. Sed neſcio qui eodem beneficio ſimul me & vehementer oblectauit Reuerendiſſima D. V. & quid agere deberem, dubium reddidit. Si enim non ſcriberem, quam eſſem ingratus? Si ſcriberem, verebar profecto, ne ſi humanitas tua, eam ſibi legem indixiſſet, vt ſemper ſcribenti reſcriberet, dum eſſe tibi gratus & officioſus mihi viderer, importunus & grauis eſſem. Itaque ſi vis, Illuſtriſſime Domine, quemadmodum te velle ſignificas, vt ad te frequentius, & minus timide ſcribam, aut nunquam aut perraro mihi reſcribito. Sed ecce rurſum dum illuſtriſſimae D. tuae eſſe nolo moleſtus, iniquus ſum, qui humanitati tuae & ſingulari facilitati morum modum ſtatuam. Vtere ergo iſtis donis diuini ſpiritus, prout te ipſe intus docebit optimus magiſter. Ego tantum didici, neſcio quam bene, paratum cor meum, paratum cor meum. Quod ſuis literis Reuerendiſſima D. V. iubebat, vt doctorem Vigorium ſalutarem, nondum feci, quia me tabellarius cogebat ſtatim reſpondere, faciam tamen quam citiſſime, eoque libentius faciam, quod ſperem meam & Vigorii amicitiam tuo nomine, quaſi vinculo quodam arctiore, obſtrictum iri. Non dubito, quin pro ea ſolicitudine & cura, quam non tantum erga tuam, quod ſatis erat: ſed erga vniuerſam Chriſti eccleſiam geris: libenter au-

diturus ſis, quidquid ad illius ſtatum pertineat. Et ſunt ſane
c permulta, quae ea de re ſcribi poſſent, ad eccleſiam pertinentia,
t, vt dicam verius, non pertinentia. Sed ea Petrus Koſtka, & me-
s & copioſius ſcribet, & vt opinor minore periculo. Ego tantum
ingam τὰ ἐπιπολάζοντα καὶ ὑφημμένα. Hodie laetiſſimus nuntius
ruenit ex Scotia, piam illam reginam recte valere, quam ſupe-
oribus diebus audieramus grauiter aegrotare &, vt rumor erat,
ſubdito veneno. Spes eſt non parua, Eccleſiam Scoticam ali-
ando reſpiraturam. Epiſcopus Nundablen. hinc eo proficiſce-
r craſtino die, vir prudentiſſimus & optimus, & vt omnia di-
m verus epiſcopus. Cum eo diſcedet rector collegii noſtri, do-
or Emundus Hayus Scotus, qui ad Illuſtriſſimam D. V. ſcriptu-
s erat, niſi ſubito diſceſſu eſſet impeditus. Eſt etiam hic epi-
opus Alexandrinus nuntius ſanctiſſimi Papae noſtri, ad regi-
m Scotiae, vir profecto omnibus virtutibus ornatus, & non
erunt, qui ſequantur tam bonos duces, ſi aliquis erit aditus pa-
actus. Dicam aliud. Res Belgarum occaſum ibant. Nun-
am enim in Gallia ἡ μανία τῶν ἐνθουσιασμένων tam longe progreſſa
erat, quam hiſce quatuor menſibus apud Belgas: non eſt ne-
ſſe narrare, probe noſti. Sed οἶδα, ὅτι Μεσσίας ἔρχεται ὁ λεγόμε-
βασιλεὺς Φίλιππος, ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, ἀγγελεῖ ἡμῖν πάντα. Pater
iuerius Prouincialis noſter agit Illuſtriſſimae D. V. maximas
atias pro tam honorifica tam exigui officii recordatione. Di-
: vereri ſe, vt ego ipſe vereor, ne ſcribendo magis quam ta-
ndo Illuſtriſſimam D. V. offendat. Quod praeterea ſcribam
n habeo. Interim obſecro Reuerendiſſimam D. V. vt ſi qua in
mea tenuitas aut ἀδεκεία, aut quicquid eſt id, quod ſum, vſui
e poſſit, meminerit meam eſſe vocem: paratum cor meum,
ratum cor meum. Vale ſemper in Chriſto Domino Illuſtriſſi-
e Domine. Lutetiae Pariſiorum 8. Id. Nouembris 1566.

Illuſtriſſimae D. V.

minimus ſeruus in Chriſto,

Ioannes Maldonatus.

ANNOTATIO.

Excellentis ingenii vir, Ioannes Maldonatus, natione Hiſpanus, in Eſtremadurae oppido, Fuente del Maeſtro, incertum, quo anno, natus, Romae, Pariſiis, aliisque academiis theologiam docuit, more Ieſuitarum, quorum ſocietati ſe conſecrauerat, ſtudiis in academia Salmanticenſi antea abſolutis. Deceſſit e vita Romae circiter aetatis anno 50. Chriſti 1583. Scripta eius diligenter recenſet Alegambe p. 255. Thuani, & aliorum de Maldonato iudicia collegit Pope Blount cenſurae p. m. 534. ſq.

CCXX.

Polancus Hoſio.

Mittit edicta Pii V. ad cleri reformationem pertinentia.

Paucis abhinc diebus ſcripſi D. V. Illuſtriſſimae & miſi apertas litteras de rebus ſummi pontificis. Nunc autem edicta quaedam ad cleri Romani reformationem pertinentia, quae hac hebdomada emanarunt, mitto. Exemplo autem Cardinalis Alexandrini alios ſubmonere voluiſſe videtur. Cum enim ad eius habitationem deſcendiſſet, & lectum quendam ſericum & aulae neſcio quae in cubiculis circumſpexiſſet, interrogauit Cardinalem: quid tibi pauperi monacho cum huiuſmodi ornatu? Reſpondit ille, magiſtrum domus illa (ſe non petente) ibi collocaſſe. Tunc pontifex auferri ſtatim iuſſit. Et licet tantundem aliis non iniunxerit; quid ſibi placeat, ſatis compertum reliquit. De aliis modo non ſcribam: fuſius breui ſcribetur: mitto tamen P. Franciſco Sunierio exemplum autenticum litterarum apoſtolicarum contra apoſtatas noſtrae ſocietatis: quod D. V. Illuſtriſſima dignabitur illi tranſmittendum curare, ſuumque fauorem, ſi qua in re neceſſarius illi fuerit, iuxta eaſdem litteras impendere. Valeat feliciſſime D. V. Illuſtriſſima, quam Dominus Ieſus diu incolu-

lumem ad eccleſiae ſuae vtilitatem ſeruare, & donis gratiae ſuae augere indies dignetur. Roma 2. Nouembris 1566.

Hodie Cardinalis Commendonus ingreſſurus vrbem dicitur.

CCXXI.

Andradius Hoſio.

Obſcurioris Tridentini concilii decretis ſe aliquid lucis iam afferre, et refutare Chemnitium.

Tot ac tantis ſum occupationibus diſtentus, concionandique munere ita ſum Quadrageſimae hoc ſacro & religioſo tempore impeditus, vt breues has litteras ad Dominationem tuam Illuſtriſſimam ſcribere vix poſſim, quibus & redditas mihi eas fuiſſe ſignificarem, quas ad me Kal. Octobris dediſti, & Hieronymum Nadalium, Societatis Ieſu in Germania praefectum, iampridem ad me miſiſſe Kemnitii duo aduerſus concilium Tridentinum & meas lucubrationes volumina, declararem. Quibus nihil ſane vidi vnquam petulantius, confuſius, turbulentius, mirarique ſatis hominis ingenium haud poſſum, qui ita omnia permiſcet, tam multa praeter rem ſaepe congerit, tam arroganter in ſacratiſſimas definitiones, quas minime percipit, inuehitur, vt inſanire mihi ſaepius videatur. Decreueram, dum illa perlegerem, hominis temeritati minime reſpondere, multorum tamen perſuaſionibus commotus iam reſponſionem aggredior, atque hunc ſaxum aliquot iam dies voluo, vt & ſacroſancti concilii fidem ab illius calumniis vendicare, & obſcurioribus decretis aliquid lucis afferre poſſim. Quae vero aduerſum me ille procaciter effutit, parum curo, cum glorioſiſſimum ducam, ab illis vituperari, qui Eccleſiae ſunt funeſtiſſimi hoſtes declarati. Nam ſi patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticos ac familiares eius (vt eſt apud Matthaeum). Minime tamen exiſtimare potero, laboris mei huius rationem mihi con-

ſtare poſſe, niſi probari eum tibi intellexero, qui hominum animos coeleſti doctrina mirabiliter excolis, Domini vineam a ferarum incurſionibus tueris, atque multis, vt maximos pro illa labores ſubeant, auctor exiſtis: cuius ego quamuis in omni re iudicium grauiſſimum ducam, in iis tamen, quae ad fidei defenſionem attinent, mirum in modum ſuſpicio. Quare ſi meam hanc operam afflictis Eccleſiae rebus vtilem fore iudicaueris, omnibus (vt dicitur) vngulis in illam incumbam, ſin minus, alio animum atque ſtudia libenter transferam. Quare in tuo iudicio omnis meae reſponſionis iam cardo vertitur. Quod vero ad tuas litteras attinet, ſi verbis explicare poſſem, quanta me illae voluptate affecerunt, & quanti amoris in me tui ſignificationem ſemper faciam, non dubito, quin omnibus iſthuc proficiſcentibus (quae tua eſt ſuauitas) litteras des. Miſiſſem ad te libenter Luciani archiepiſcopi Valentini ad D. Greg. Pont. epiſtolam, quae paſtorales libros a ſanctiſſimo pontifice editos mirifice commendat; atque D. Martini, Pont. max. de formula vitae honeſtae opuſculum non ineruditum, quae manuſcripta atque fere obliterata in antiqua quadam bibliotheca reperi, neque typis adhuc fuiſſe excuſa exiſtimo. Tabellarius tamen ita inſtat atque vrget, vt epiſtolam hanc abſoluere vix poſſim: ſed Ioannis Pelch induſtria quamprimum ad te perferenda curabo. Tibi vero interim perſuadeas velim, tuorum in me beneficiorum memoriam ita animo meo infixam haerere, vt a nemine vnquam coli atque obſeruari diligentius poſſis. Vale, meque, vt facis, ama. Datum Vliſipponae octauo Kal. Martii MDLXVII.

CCXXII.

Sanderus Hoſio.

Calviniſtarum in Belgio Hiſpanico tumultus et internecionem enarrat.

Cum vt quondam Africa, ſic iam inferior Germania, quotidie aliquid noui pariat, deeſſe, quod ſcribam, non poteſt, quam-

quamuis nihil dignum Illuſtriſſimae t. D. auribus exiſtat. Nec enim inter tot pſeudoevangelicos bono cuipiam nuntio locus relinqui poteſt. Sunt alia quidem aliis minus mala, ſed nihil fere perfectum. Iam igitur ab illo die, quo ſanctiſſima catholicorum templa rapinis & ſacrilegiis Antuerpiae homines impiiſſimi vaſtauerunt, a magiſtratibus nihil negare auſis, vi quodammodo extorquent, vt impune ipſis dogmata ſua praedicare liceat. Ecce breui tempore quatuor ingentia aedificia conſurgunt, non ad ſacrificium Deo immolandum, nec ad offerendas preces, ſed ad docendam haereſim fabricata. Horum exempla imitantes evangelici, qui erant Tornaci, Gandaui, Valenſenis & apud Buſcoducis, nonnulliſque aliis in locis per Flandriam & Brabantiam, eccleſiis ſpoliatis haereſim aperte profeſſi ſunt. Quid! etiam quod Valenſenae a rege catholico, Haſſellae ab epiſcopo Leodienſi palam aperteque defecerunt, neque mirum, vtpote qui a Deo iam ante & fide catholica defeciſſent. Idemque facturi videbantur Tornacenſes & aliarum ciuitatum populi, niſi gubernatricis vigilantiſſima opera & induſtria huic malo fuiſſet occurſum: quae omni celeritate, praeſidio militum ad ciuitates catholicas miſſo, concionatores partim ab ipſis arceri, partim, vbicunque capi poterant, poenas perſoluere curauit. Bis terue inter catholicos & evangelicos hac de cauſa dimicatum fuit, in quibus ſemper catholici victoriam ſunt conſecuti, & haereticorum ad tria millia plus minus diuerſis temporibus occidiſſe dicuntur. Ex quo factum eſt, vt poſtea hic fuerint omnia multo pacatiora vſque ad pridie Calendas Martias, quo tempore nobilis quidam Dominus de Breda, ex eadem factione cum eſſet, colligi in Antuerpia milites, atque in Hollandiam (vbi tunc agebat) ſub Toloſo quodam duce tranſmitti iubebat. Quibus coactis & ad iter aggrediendum paratis, Gubernatricis induſtria, commeatus ita eſt intercluſus, vt nullo modo poſſent tranſire. Ac cum neque Antuerpiam reuerti poſſent, praefectis vrbi reditum negantibus, ab omni ſpe tectorum deiecti ſeſe denuo in agros vicinos receperunt. Vbi de rapina victitantes, cum omni-

um in ſe inuidiam concitaſſent, collectis hinc inde ſtipendiariis regiis, tam terra, quam aqua oppugnati, partim gladio, partim flammis deleti ſunt, nonnulli etiam capti ſuſpendio vitam finire coacti ſunt. Atque haec quidem foris. In ipſa autem vrbe Antuerpienſi Caluiniſtae cum haec intellexiſſent, dolere miſeri de ſociorum nece, per plateas diſcurrere, modo liberum ex vrbe egreſſum, modo claues portarum ac regimen ciuitatis ſibi concedi, monachos, fratres, clerum omnem eiici atque etiam Burghimagiſtrum ac duos alios ex primoribus ſuae poteſtati dedi flagitant. Timebat ſibi princeps Auraſiacenſis, qui vrbis tutelam acceperat, neque aut negare (ne vi adigeretur) aut conſentire ipſis auſus (ne regem offenderet) animi dubius inter vtrumque haerebat. Concedens tamen pleraque ac de aliis deliberandi ſpatium petens, interim quot numero eſſent addiſcit, a Catholicis, quid actu opus eſſet, per adminiſtros quaerit. Quid multis? Tormenta Caluiniſtae inuadunt, plateam ciuitatis latiſſimam occupant, armati prodeunt. Monaſteria ingreſſi monachos educunt, ac plumis in cucullos infixis, haſtas per vicos geſtare cogunt. In tecta templorum inuolant, & quod ſui officii erat (vt maioribus erecta ſolo exaequarent) id ſerio moliuntur. Cum ecce Hiſpani, Itali, Luſitani, Germani ſuperiores, Flandri etiam & Brabanti collatis interim conſiliis arma capiunt. Videres ſubito ſexcentos equites pulcherrime inſtructos, peditum vero aliquot millia multo & genere armorum & robore animorum paratiora ad pugnam, quam Caluiniſtae fuiſſent. Tum Lutherani omnes (quos hic Martiniſtas dicunt) Catholicis ſe adiunxerunt. His ita conſtitutis, ingens clamor ab omnibus regiis editur: vive le roy. Quo verbo ſtupefacti Caluiniſtae abiectis haſtis partim clam fugiunt, partim veſte mutata clamare & ipſi coguntur: vive le roy. Illud vero Principis opera ſtudioſiſſime curatum eſt, vt catholici ne perſequerentur Caluiniſtas, quod alioqui libenter facturi videbantur. Et poterat quidem res confici, ſed aliter Deus videtur prouidiſſe. Haec fere ſunt, quae apud nos nuper euenerunt. De litteris autem tuis, quas vigeſimo quarto Ianuarii ex Braunſperga dediſti,

&

& ego magnas gratias ago, & Copus pergratum habet, memoriám ſui apud T. Illuſtriſſimam D. non eſſe intermiſſam. Vterque autem noſtrum ſe clientem agnoſcit, ac preces ad Deum pro ſalute veſtra fuſurum pollicetur. Ego etiam magnopere peto, vt & Domino Cosboreo ſalus dicatur, ſcripturus ad eum plura, vbi magis vacabit. Vale datum Louanii 23. Martii 1567.

CCXXIII.

Simoneta Hoſio.

Laudat Poloniam, virorum doctrina virtuteque praeſtantium genitricem.

Felix ter & amplius Polonia, quae non ſolum viros emittit multis virtutibus & doctrina praeſtantes; ſed feras etiam indomitas, quae maxima vi praeſtant ad morbos grauiſſimos tollendum. Nam ſuperioribus diebus cum podagrae doloribus laborarem, a qua paucis abhinc annis interdum affligor; vnoque ex annulis illis, quos D. T. Illuſtriſſima anno ſuperiore vna cum dimidia vngula beſtiae illius ſalutiferae ad me dono miſerat, digitum annularem manus eius lateris, quod pes ſuſtinet dolore affectus, muniviſſem, intra paucarum horarum ſpatium omni fere dolore ſolutus fui. Idemque remedium ſtatim etiam ſum expertus, annulum in alteram manum transferendo, cum dolor alterum pedem invaſiſſet. Quod alleuamentum numquam prius alias perſenſi citra huius annuli opem; quamuis hic idem ille ſit, quem D. T. Reuerendiſſima aiebat ſibi a quodam Aulico fuiſſe donatum, deque illius fide ſubdubitare. Qui quidem annulus cum ſolus mihi forte remanſit, ac reliquos omnes vna cum vngula ſupra dicta, iamdiu Mediolanum ad meos tranſmiſerim, vt tutius ac commodius poſthac queam conſulere, non tam meae, quam amicorum & dominorum meorum ſaluti, quos eadem immitis poda-

podagra etiam aliquando ſolet proſternere, & apud quos ſaepe ſolemus non tam ipſius vngulae virtutem, quam donantis inſignem humanitatem, qui nos eo munere afficit, ſuper alta coeli ſidera efferre; coactus ſum denuo hiſce litteris precari D. T. Illuſtriſſimam, uti eam deprecor enixiſſime, vt quamprimum id illius commodo fieri poterit, velit pro ipſa ſua humanitate ac liberalitate de integra, aut ſaltem de alia media vngula nobis prouidere, quo iam fere deuictae ac medicabilis podagrae aſſultus minus poſthac formidemus, immo uero plane derideamus. Verum ſi ſic multo plura petendo, quam deberem, D. T. Illuſtriſſimae ſum moleſtus; rogo, vt me velit pro ſua ſingulari bonitate excuſatum habere, ſuaque gratia ſemper eodem modo fouere, dum me ei magis in dies cupio deuinctum & obnoxium reddere, meque illi aſſidue ex animo commendo. Datum Romae 27. die Martii anni 1567.

CCXXIV.

Epiſcopus Olomucenſis Hoſio.

Maximilianum II. declaraſſe in comitiis prouinciarum haereditariarum, ſe eſſe ſummum patronum religionis Romanae.

Obſequia mea & orationes offero reuerenter D. V. Illuſtriſſimae. Pro mea veteri in D. V. Illuſtriſſimam obſeruantia, & pro ipſius praeclaro in Dei Eccleſiam ſtudio praeterire non poſſum, quin de conſtanti Caeſaris noſtri Auguſtiſſimi in tuenda religione catholica voluntate, aliquid illi ſignificem. Sua Maieſtas Caeſarea in Auſtriacis inprimis, deinde in Morauicis, poſtea in Sileſiacis, poſtremo in Bohemicis comitiis declarauit luculenter omnibus, ſe eſſe Eccleſiarum & ordinis eccleſiaſtici, inprimis autem orthodoxae fidei ſummum patronum. Quid Auſtriacis religionis negocium tractare volentibus reſponſi dederit, non dubito

bito iam pridem D. V. Illuſtriſſimam intellexiſſe. Apud nos vero cum Brunæ eſſet, quatuor Monaſteria, fraudibus hæreticorum ante aliquot annos occupata, religioſis reſtituit. Brunenſibus vt de bono concionatore, ſeu Parrocho, ego proſpiciam, clementer mecum egit. Primarias Marchionatus Morauiae dignitates dixit mihi, nolle ſe niſi catholicis dare: quod etiam fecit. Et alia plura documenta ſuae optimae, & catholici Principis dignae voluntatis apud nos edidit. Oppauiae apud Sileſios Lutherano praevaricatori, qui mihi multas peperit difficultates, & multos ſuis haereticis opinionibus infecit, concionibus omnino interdixit. Pragae autem conſtantiſſime & fortiſſime Sciſmaticorum prauis conatibus ſeſe oppoſuit. Concionatorem catholicum in locum prioris Citardi cum magna ſolicitudine vbique perquiri fecit & iam nactus eſt. Haec ego, cum gratiſſima fore D.V. Illuſtriſſimae certo ſciam, volui pro mea veteri in ipſam obſeruantia communicare. Benedictus ſit Deus, qui hunc ſanctiſſimum animum prudentiſſimo Imperatori largitus eſt; quem vt in ipſo conſeruet atque augeat, omnibus piis indeſinenter orandum eſt. Commendo me gratiae D. V. Illuſtriſſimae, cui rerum omnium feliciſſimum ſucceſſum tam opto, quam mihi ipſi. Cremſirii 19. Aprilis. Anno Domini 1567.

ANNOTATIO.

Hic epiſcopus, quem Zeilerus in topographia Bohemiae et Moraviae p. 106. Wilhelmum a Wiczkowiz vocat, dicitur in hiſtoria eccleſiaſtica Germaniae, anno 1724. Bruxellis Gallice edita, to. II. p. 159. academiam Olmucenſem reſuſcitaſſe, ac tradidiſſe Ieſuitis. In opere hoc Gallico vocatur Wilhelmus Pruſſinow de Wiczkow. Obiit 1572. aetatis anno 38.

CCXXV.

Cardinalis Alexandrinus Hoſio.

Promittit ei facultates diſpenſandi in tertio gradu.

Quae mihi tardius, quam potuerant, redditae ſunt litterae amplitudinis veſtrae Illuſtriſſimae IIII. Februarii datae, iis ſerius etiam quam voluiſſem, reſpondere ſum coactus. Ac primum quidem magna ſua voluntate ſanctiſſimus D. N. cuperet ipſam liberam & ſolutam iſta moleſtia, quam habet legationis munus ei impoſitum in prouinciali ſynodo, cuius quietis & otii praeſertim chriſtiano generi perutilis ac ſalutaris, & amplitudinis veſtrae Illuſt. & Dei eccleſiae cauſa eſt cupidiſſimus: ſed cum nemo in iſto regno ſit, qui praeſtantibus animi & ingenii bonis plus adiumenti piorum cauſae iſtic afferre poſſit, quam ipſa: Dei gloria & ſalutis animarum, quibus praeſenti eius auctoritate multo magis conſultum fuerit, rationem habere neceſſe habet S. Sanctitas. Quamobrem vehementer etiam eam hortatur in Domino, vt quem ipſa tanquam nobiliſſimum ac firmiſſimum in iſto regno eccleſiae Dei membrum per ſe ſuſcipere deberet officii laborem, eo etiam alacrius libentiuſque ſubeat, quod S. D. N. bonorumque omnium ſpes potiſſimum in iſta auctoritate religionis ac prudentia A. V. Illuſtriſſimae collocata eſt: qua praeſente nihil perperam actum iri confidunt, quod ipſa vel non videat vel tacitum ferat. Datum iam negotium eſt Georgio Ticinio, vt facultates diſpenſandi in tertio gradu in dioeceſi A. V. Illuſtriſſimae expediendas curet, quas cum illis etiam coniunctas breui habebit, quae item in ſua dioeceſi priuatim legationis cauſa ei conceduntur: quod ex ipſius Ticinii litteris melius cognoſcet A. V. Illuſtriſſima, cui ego ſtudium & obſeruantiam meam deferens, Deum precor, vt eam & iſti & communi eccleſiae ſaluam diutiſſime ſeruet. Romae.

ANNO-

ANNOTATIO.

Hic cardinalis eſt monachus ille dominicanus, frater Michael Bonellus, quem ſupra epiſtola 211. legimus anno 1566. cardinalitia dignitate ornatum fuiſſe a Pio V. Erat non nobilibus quidem, honeſtis tamen parentibus ortus, habebatque matrem, aut aviam, Gardinam, pontificis ſororem. Annos tantum 25. natus cardinalatum conſecutus eſt. Obiit Romae anno Chriſti 1598. aetatis 57. diciturque in epitaphio ab Oldoino to. III. col. 1029. recitato, ſororis pontificis nepos, ac paulo ante Pii V. pronepos. Vghellus to. I. p. 275. nepotem Pii vocat, latius, vt opinor, ſumto vocabulo. Nominatus eſt, vt antea eius magnus avunculus, Pius V. cardinalis Alexandrinus, quia Boſchum, oppidum in Inſubria, dioeceſeos Dertonenſis, vbi Pius anno 1504. hic frater Michael autem anno 1541. naſcebatur, ſitum eſt in agro Alexandrino. Epiſtolae huic culpa ſcribae nec annus, nec dies adſcriptus eſt. At Hoſius haec annotauit in margine: *Reddita d. 30. Maii 1567. Reſponſum 10. Iunii.*

CCXXVI.

Poſtellus Hoſio.

Acerbe invehitur in ſacramentarios, mittit libellum ſuum de miraculo a locali corporis Chriſti praeſentia factum Laumduni, et fanaticorum more ſumma imis miſcet.

Diuinae illi prouidentiae gratias ſummas ago, ſine cuius nutu nec folium arboris nec noſtri humani corporis pilus in terram decidit, Mi obſeruandiſſime & Reuerendiſſime Domine & Pater, quod qui fueram ſemper, ex quo prima veſtra ſcripta vidi, ſummus & diligentiae veſtrae & gratiae vobis a Deo collatae admirator, laudiſque Dei propter eius munera vobis collata, qua occaſione quumque potui, celebrator, tandem etiam ingentem fructum recepi mei huius erga vos animi, dum in ſolidum & inſigne volumen illud ſcriptorum R. V. incidi, quod Pariſiis excuſum eſt. In mentem ſane venit, vt reuera de membris dicere audeam, quod de capite ſcripſit B. Gregorius: O foelix cul-

pa, quae tantum meruit redemptorem. Sic o foelix haereſeon omnium colluvies in vnius Luteri ſentinam congregata, quae Oſium hunc rediuiuum non jam in Hebraea ſiue Hibera gente Hiſpanorum, ſed media in Sarmatia inſtauratum meruit habere confutatorem. Re omnino veriſſima nunc videtur, vt ſicut ab Aquilone prodiit maximum malum, ſic ab Aquilone aurum adferatur, & tale quidem aurum adferatur, quod reuera צרוף igne cementario purgatum eſt & probatum, vt Celticae religioni, quam צרפת ſacra vocant eloquia, aſcribi valeat. Sacram porro doctrinam vere pio & catholico ſenſu diſcuſſam, eſſe omnino auro perſimilem, ideo certiſſime mihi judicare videor, quia vt aetherna eſt ſapientiae Dei ſubſiſtentia, ſic corporea, localis, elementariſque auri ſubſtantia aetherna eſt. Sicut itaque aethernae foelicitatis lectus aut cuiuſcumque boni in Deo a nobis repoſiti conſequutio & fruitio, ex veritate ſacrae Ieſu Chriſti doctrinae nobis comparatur, vt ibi in aeternis agamus deliciis; ſic qui auri ſtudium diuino per eius abuſum amori illud praeferentes, pro ſuo ſummo bono propoſuere, Dominumque ſibi hunc aureum laſciuientemque vitulum conſtituerunt, in aetherni ignis ſtagno, pro ſua infoelicitate aetherna ſentient. Et ea de re exquiſitiſſimam ſacrorum veritatem ab Aquilone adferri praeſtantius iudico, quam cuiuscumque gemmae vel auri tyrannidem Aquilonarem fouentis ſubſtantiam. Legi quidem permulta, & a multis doctiſſimis viris ſcripta, in huius putei abiiſſe fumum, qui a Lutero putei apertore emiſſus eſt, confutatoria, & verae lucis in his tenebris rediuiuae demonſtratoria, ſed nil meo iudicio, interea quoad Chriſtus COMPREHENSOR primus, INTRA NOS FORMATVS, nos perfectiſſime Iudaificando, conformes ſibi fecerit, poterit vnquam magis pium, & fidei chriſtianae confirmatorium magis, quam quod vobis dedit de ſe ſcribere. Spero vero fore modo nobis Deus ſicut animos, & diligentiae linguarumque in crucis titulo ad hoc conſecratarum cognitionis munera, contulerit etiam vitam & facultatem, vt ratione naturali duce, illa eadem ſacrarum rerum axiomata, quae ſola authoritate & fide tradere vobis

bis dedit, pro illis qui noſtra admittunt placita Chriſtiana, & nos pro illis, aut qui nunquam ſunt ingreſſi in Chriſti vel Moſeos cognitionem, vt ſunt alterius Hemiſphaerii & ſuppolaris orbis accolae, qui ſepties noſtram Japetiam excedunt (volui dicere Europam) aut qui aliquando cognoſcentes illi renunciarunt, vt Judaei & Pſeudo Iſraelitae, qui ſunt Iſmaelitae, plus quam ⅞ partes noſtri orbis occupantes compellantur intrare. Quum autem ordo maxime a vobis in Petricovienſi veſtra confeſſione ſeruatus, mihi ſimilis doctrinae id eſt exquiſitiſſimus videatur, decreui retractando primum noſtrum de orbis terrae concordia librum illum ordinem ſequi, ſi tamen a veſtra charitate meum inſtitutum probabitur, aut ſi nil ſit Dominus meus in hoc immutaturus. Pro allidenda in terram mea ſuperbia Dominus permiſit, vt inter multa ſatis pro aetate & tempore etiam a ſummo Iudicio Theologis Pariſienſibus diſcuſſa, quae pro pace fidei aut pro orbis terrae concordia & pacificatione generis humani ad inuicem erant a me inſtituta, ſcriberem & in lucem ederem per multa non ſatis expolita, quae nec cordato viro digna me Deus permiſit edere. Qua de re factum eſt, vt in catalogum improbatae lectionis librorum ſint repoſita mea omnia. Quum autem meorum omnium praeſtantiſſimum, forſan temeraria mea aetate, judicarem opus de orbis terrae concordia, eo quod confirmat ſtatum Eccleſiae Catholicae Romanae, cuius regnum Chriſtus ex Judaea per paupertatem, probrum & dolorem venit accipere, & ſenſim rationem naturalem Juſtianarum imo Noachicarum, latinarumue aut Celticarum legum vellem conjungere cum ſacra authoritate Moſaicarum imo Adamicarum ſanctionum, vnde totius mundi fides, etiam politica procedit, judicabam inquam, aliquid ideo eſſe illud opus, quod Eccleſiae Catholicae Romanae inſeruire maxime putarem. Ea de re ad inſtar operis tui Petricovienſis reformare ſatago aut rurſus vel re — tractare a te alios, vt exemplo eſſem caeteris ſcripturientibus multis, illud opus, in quo me minus quam in caeteris erraſſe confido, vt inde clare & indubitanter cognoſcat Eccleſia, me plane in

caeteris esse mortuum aut mortui instar, qui Ecclesiae omnia subjecerim pridem, nunc vero idem & postea semper idem facturus. Nam quum opes, dignitates & honores plus tempore & sufficientia forsan vltro appetiti vel recepti sint causa ruinae illius, quam Ecclesiae tam politicae, quam sacrae & judiciariae videmus ob inordinatam auri famem imminere, certum est, contraria contrariis semper medicari debere. Inobedientia contra Ecclesiam omnia perdidit, obedientia erga Ecclesiam omnia restituat oportet, ita tamen (sicut optime scriba aethernus Spiritus sanctus per ταχύγραφον calamum tuum scribit) vt sicut contra aut extra rationem Satanae credidere primi parentes dicenti: non morituros, sed victuros in aethernum, si obedirent sibi, sic obediendo sacrae authoritati matris Ecclesiae contra nostram propriam rationem Deum Patrem habere mereamur, qui Matrem sine ratione aut contra rationem nobis praescribere tentantem pro Matre agnoscimus, illique per omnia paremus. Cur autem hoc Sal. anno 1567. prodigiosissimo, quo ad ea rerum principia quae in eo posita sunt potius inciderim, quum tamen a quatuor annis ex officina Parisiis prodiit, occupatissimo & iam fere quinquennio toto Zoharis vertendi & Ecphrasi declarandi studio immorienti, adfuit Iuuenis, imo vir singulari rerum cognoscendarum diligentia, literarumque & sacrarum tum Graecarum tum latinarum ornamento clarus & quatenus ex praesenti colloquio conuersationeque constat, Catholicus admodum D. Petrus Costka Borussius natione, Canonicus Varmiensis, tibi admodum notus, qui fecit vt intermissis aliis meis studiis me in tui scripti lectionem conferrem. Hoc vero dum serio & longe quam antea diligentius, quam ante facio, omnia mihi reuera noua & vetera videntur, vt non dubitem de te dicere: Beatum te & illum summum Pontificem Regem & iudicem esse sub eo qui nobis dedit & iussit sancta contentione Regnum siue reges & sacerdotes esse, ex quorum corde illa noua simul & vetera prodeant. Te enim nec animo nec spiritu nec mente superiorem adhuc legi. Caeteri coronas opinionis, electionis humanae & dignitatis

gnitatis fultaeque & ſtipatae authoritatis habeant. Rex, Iudex, Pontifex eris, ſi bene feceris, ſcripſeris, dixeris, cogitaueris, optaueris, dicebat olim cum Moſe puerorum Naenia. Vnus porro locus in tuo opere de Summa Theologiae (ſic enim Petricowienſem collationem veſtram voco) cap. 39. poſt Cyrilli locum ab exemplari Scirleti ſumptum me mouit maxime, vbi quadruplici conſideratione Chriſti corpus ab Eccleſia ſumi ſcribis, vt ſit Nomine, Re, & Effectu tendendo ad nos, quarto autem idem ſpecie differat, quod & plurimum prodeſt, quod quartum niſi fide dicas, vt videris exponere, quid ipſe dicas ibi, non ſatis capio. Si vero meminiſti eius rationis, quam contra Luterum Faber lib. 3. cap. 8. ait ex Sergio Papa Syro natione, mihi videretur multo aptior. Nam triforme eſſe Chriſti corpus ſcribit. Primo vt pars oblata in calice ſit corpus, quod iam ſurrexit, ſecundo: vt ea quae ſumitur ſit ambulans ſuper terram, tertio vt pars in miſſa vſque ad finem pro toto coetu communicandorum remanens (ſic enim erat vſus in primitiua Eccleſia) ſit corpus in ſepulchro, aptior mihi videretur, quia quod de nomine, de re & de effectu dicis, videtur omnibus Eccleſiis eſſe commune, pro qualibet re exprimenda. Rogatum itaque te maxime velim, vt niſi ſim moleſtus, quid de iſto noſtro iudicio ſentias, non graueris ſcribere ad me. Nam licet eo infoelicitatis deuenerim, vt qui amens ſum a S. D. N. Papae Pauli Charaphae Legato vna cum aſſeſſoribus Triumuiris Veneti Senatus iudicatus, & praeterea ſim meis in libris proſcriptus Romae, licet ſemper omnia mea ſcripta Eccleſiae catholicae Romanae ſubieciſſem, tamen potius moriar, quam catholicus reuera eſſe deſinam. Hoc volui ad Charitatis Reuerendiſſimae Dominationis tuae aſylum ſcribere, vt ad me litteras dare non vereatur, & maxime ſi vſquam gentium forſan de me aut meis ſcriptis quicquam quod animos pios apud vos offendat, audiueris. Cum vero in huius anni 1567. ſalutis ſuppetias in noſtra Tzarphath ſiue Tzarephtana prouincia, quam Graeci teſtantur ſtatim poſt diluuium a Maeotide ſiue a Tanai ad Gades vſque Celticae ſiue Gallicae pro-

prouinciae nomine vocatam fuiſſe, ſeſe diuinitus obtulerit ſummopere admirandum miraculum a locali corporis Chriſti praeſentia factum Laumduni, cogitaui, vt qui latiſſime ſub meae Amentiae titulo expoſui & ad Catholicorum bonam partem tota in Gallia, Hiſpania & Italia miſi, etiam me facturum operae precium, ſi (licet praeter miraculi dignitatem cuiuslibet ſummi Regis & ſacerdotis cognitione dignam, in tam exili ſcripto nil ſit alioqui te dignum) ad te mitterem, curante ipſo merito tui admiratore Coſtkaeo veſtro. Licet enim pridem prodiit, forſan nondum ad te venit. Non ignoras autem, Galliae gentes & ſuos reges ſemper hactenus ab omni haereſi alienos, in ſummo diſcrimine fuiſſe tanquam veras Eccleſiae columnas, & hodie quia noſter miſerandus Rex ſeductus dedit locum aduerſariis corporis Chriſti, ipſemet per ſe Chriſtus ſenſibiliter ſeſe manifeſtauit, vt Chriſtianiſſimi Regni & populi Titulo nunquam Gallia fraudetur. Et contigit illud miraculum in eius principis Ditione, qui infoelicem Haereticis Sacramentariis ducatum ad conſpurcanda omnia ſacra dederat. Dixi me expoſuiſſe ſub Amentiae titulo miraculi hiſtoriam, quia qui Poſtelli nomine notus eram interea ex vocabulo ἄνους Anuſii & Syneſii nomen compoſitum vſurpaui, quoad Retractatione e miſſa rurſus in Poſtelli nomen redeam. Nam non propter Catholicos non vſurpaui, ſed propter Haereticos, ne mei cognominis odio lectionem refugerent. Mi Domine obſeruantiſſime conſideranda ſunt admodum ea, quae ſunt in epiſtola miraculo adiuncta de iſta quae nunc inſtare certiſſime videtur, mutatione rerum. Nam eſt omnino neceſſarium, vt euerſa gente Aegyptia tota in ſuperficie terrae, iam bis, ſed ſaltem ſemel de media ſphaerae aquae vnda ſummiſque fluctibus mundi eleuata & reuelata terra det toti generi humano, Chriſti Pontificatu Regno & Iudicio per ſanctos populi paſtores vnito & collecto, tanto maiorem quam fuerit maris rubri tranſitus, fundiue eius reuelatio, quanto maior eſt Aegypto totus orbis terrae habitabilis SOLEMNITATEM & Feſtiuitatem vna cum Galli ſiue fluctibus qui גַּלִּים Gallim dicuntur

tur erepti populi memoria, vt ſic Sabbatiſmus maximus populo Dei relinquatur. Ab Iſraelis gente nos omnes Iſraelificaturus per omnium reſtitutionem Chriſtus naſci voluit, & Pater Materque mundi vna Ieroſolymis crucifigi pro omnibus, vt nunc tandem nos doceret, quare Gomer Meretrix Idololatricaque olim gens, quam Ioſephus teſtatur Celtarum Gallorumue eſſe parentem, ſit ab Hoſea poſita in locum decem tribuum reprobatarum Iſraelis, ita vt filii nepoteſue ipſius Gomer ſint, & ideo dicti ſint, *filii Dei viuentis* quorum conſortio totum mundum aggregari eſt omnino neceſſarium & 36000 locorum ſacrae ſcripturae demonſtrabile. Ideo tuae Chriſtianiſſimae doctrinae aurum ſummâ mundi authoritate ſine vllis infulis fultum ſcripſi eſſe ipſi תרסי Tzarphat ſiue Galliae impactum. Vale Menſe Iulio anno Sal. 1567.

Tuus ex animo

Guilielmus Poſtellus, qui & *P. Anuſio Syneſius.*

ANNOTATIO.

De anno & loco, quo Gvilielmus Poſtellus in lucem editus eſt, longe diſſentiunt ſcriptores. Natalis Alexander hiſtoriae eccleſiaſticae tomo VIII. p. m. 169. Barentoni, vico Normanniae, natum dicit. Vti dextre iudicandi facultate tota ſua vita caruiſſe videtur; ita ſtupendae imaginationis, memoriae etiam ac ingenii raris viribus polluit. Quocirca Raemundus de origine haereſium libro II. capite 15. refert, Lutetiae breui linguarum Latinae, Graecae et Hebraicae perfectam cognitionem adeptum eſſe, tanta diſcendi celeritate, vt libros non legere, ſed devorare videretur. Obiit tandem, cuſtodiae liberae ab aula Gallica addictus, in monaſterio S. Martini a campis, pene centenarius. Quoniam Thomae Ittigii Lipſiae anno 1704. edita diſſertatio hiſtorico-theologica de Gvilielmo Poſtello in omnium manibus eſt, ac comprehendit, quicquid de eius vita et portentoſis erroribus colligi potuit; nolumus eius nugis deſcribendis immorari. Beza epiſtolarum theologicarum prima p. 21. omnium haereſium cloacam nominat. De vita eius ſingularia notavit Papadopolus to. II. hiſtoriae gymnaſii Patavini p. 239.

CCXXVII.

Maldonatus Hoſio.

Quaeſtionem agitari inter eccleſiae Romanae doctores, an miniſtri Calviniani vere baptizare poſſint? Rogare ſe Hoſii ſententiam.

Iam diu mihi redditae fuerunt tuae litterae, Illuſtriſſime Domine, quibus quo minus ante reſponderim, non impediuit, niſi valde fallor, obliuio beneficii vlla erga me tui, aut officii erga te mei, ſed ſingularis quaedam obſeruantia, quam dignitatis & nominis tui recordatio ingenerat animo meo ſic, nihil vt magis verear, quam ne nimium ſaepe ſcribendo vel contemnere amplitudinem tuam puter, vel lectione mearum litterarum abducam a curis magis neceſſariis. Quod ipſum ſi nunc facio minus fortaſſis opportune, non tam meam debes accuſare audaciam, quam diligentiam Petri Koskae, qui, vt ſcriberem, quotidianis pene precibus efflagitauit, dicens, ſi ſecus faceret, ſuum tibi officium probatum non iri. Oſtendi, vt mihi mandaueras, Illuſtriſſime Domine, Simoni Vigoraeo litteras tuas, egitque tibi per me gratias plurimis & ampliſſimis verbis. Is nunc agit extra vrbem in regia quadam ſuburbana, quo ſe ideo recepit paucis abhinc diebus, vt commentaretur reſponſionem ad miniſtros, quibuſcum ſuperiore anno diſputatum eſt. Claudius Sanctius vir optimus & doctiſſimus, in ſimili eſt argumento. Credo iam eſſe ſub prelo librum illius quendam, quo reſpondet Theodoro Bezae. Verſatur hic inter multos viros doctos quaeſtio grauis de baptiſmo: an miniſtri Caluiniani vere baptizent? afferunturque in vtramque partem magnae rationes. Scio eſſe multos, qui tuam hac de re ſententiam audire cupiant. Ego vero cupio maxime. Nam initio octobris neceſſario mihi de hac quaeſtione agendum eſt in publicis praelectionibus. Oro atque obſecro te, Illuſtriſſime D. tum publico multorum nomine, tum vehementer

menter priuatim meo, vt ſi commodo tuo fieri poterit, quid ſentias, breuiter ſcribas. Sic enim exiſtima tuum iudicium vnius plus ponderis quam multorum argumenta apud omnes habiturum eſſe. Sunt certe nunc, ſi vnquam alias fuerunt, hic multa, quae ſcribi poſſint, ſed credo me cura atque diligentia Petri Koskae eſſe liberatum. Ego mihi procul videre videor neſcio quid, quod ipſe audies. Non enim poterit tantus orbis rerum conuerti ſine ſonitu. Doctor Emondus rector collegii noſtri ipſumque collegium totum plurimum te ſalutat, & tibi ſe eſſe commendatum optat. Vale in Chriſto Illuſtriſſime D. & diu eccleſiae illius te conſerua. Pariſiis 4. Kal. Iulii 1567.

Illuſtriſſimae D. T.

ſeruus indigniſſimus

Ioannes Maldonatus.

ANNOTATIO.

Magno eccleſiae Romanae dedecori eſt, quod monachi hodie, contra vnanimia Stephani papae, et antiquorum pontificum decreta, ab evangelicis baptizatos infantes rebaptizant. Quod Maldonatus hic quaerit, ipſi novitatis amantes, & a tota deſciſcentes eccleſia veteri, tanquam Romae definitum ſumunt. Egregie autem defendit Stephanum papam Ludovicus Thomaſſinus tomo I. diſſertationum ad concilia, ſecunda diſſertatione, a p. 20. vſque ad p. 60. Audiamus de hac novitate recentem veritatis teſtem, Natalem Alexandrum, in Pariſienſi facultate theologica doctorem Dominicanum, theologiae dogmaticae to. I. p. 264. vbi ſcribit: *Ab haereticis, praeſertim Lutheranis & Calviniſtis, ſub legitima verborum forma in publico coetu baptizati, ſub conditione baptizari non debent. Baptizandos enim etiam ſub conditione non eſſe, Pius V. reſpondit; idque ſecundum eius breve prohibitum eſt a ſynodis Ebroicenſi 1576. Rothomagenſi 1581. &c. Id conſonum omnino eſt veteri diſciplinae, cuius teſtis eſt S. Gregorius L. IX. ep. 61. ex quo cap.* ab antiqua, *& cap.* hi vero, *diſtinctione IV. de conſecratione &c.* Lege etiam Baluzium notis ad Vincentium Lirinenſem p. m. 445.

CCXXVIII.

Rotundus Hoſio.

Auguſtanam confeſſionem accuſat, variaque religionis cauſa inter Polonos geſta recenſet.

Commendo me & obſequendi ſtudium R. D. veſtrae, quam vt Dominus Deus diutiſſime ſeruet ſanam & incolumem, precor.

Pergratae mihi acciderunt R. D. veſtrae litterae, quas ad me puero ſuo, quamuis (vti ſcribit) nihil ſcribentem dedit. Nec enim tam mihi moleſtum eſt, reprehendi intermiſſum meum ſcribendi officium, quam iucundum, requiri illud a R. D. veſtra, homine tanta dignitate praedito, tantiſque negotiis, in proiecta praeſertim aetate, occupato. Nihil quidem me ad R. D. V. ſcripſiſſe, iam dudum & fateor & culpam agnoſco: verum cum nihil haberem, quod ſcriberem, quodque tantum virum inanibus litteris interpellare nefas eſſe putarem, interturbare illius & otium & negotium non ſum auſus. De Magnifico D. Chotkowicz, Praefecto Samagitiae, ſcire ex me R. D. veſtra cupit, quam is de religione chriſtiana opinionem ſequatur, cui ſe miſiſſe confeſſionis ſuae librum ſignificat, ſperans, non alienum eum ab Eccleſiae ſana doctrina eſſe. Et quidem vtinam ita hanc ipſam catholicae eccleſiae doctrinam amplecti alacriter velit, vti ſuorum diſſenſiones execrari, probriſque & maledictis, vt eſt homo vehemens, inſectari ſolet. Verum, quod pleriſque hoc tempore, perculſis ſuorum defectione ac diſſenſione accidere videmus, vt ſuorum inconſtantem de religione ſententiam, quorum opinionibus diuturno tempore imbuti ſunt, deteſtentur quidem, a noſtris tamen inueterato odio abhorreant; idem illi accidiſſe video. Eſt enim is quoque Sacramentariorum impietate dementatus. Superiore autumno, cum Stocliſcis in Praefectura mea, Vilnenſem peſtilentiam vitans, degerem, ex itinere, quod Liublino

blino in Samagitiam habebat, ad me diuertit: erant autem tunc mecum duo viri docti, alter Bernardinus, alter Dominicanus, vterque insignes Vilnae concionatores: ii inter coenandum, iniecta de aliquot controuersis fidei nostrae articulis mentione, Doctorem eius Georgium Vegelium Zuinglianum, qui tunc cum illo erat, ita confutauerunt, vt quid contra diceret, non haberet. Postridie cum iam oppido excessisset, puerum ad me misit, rogans, vt alterutrum istorum concionatorum comitem illi mitterem in Liuoniam, qui illi exercituique eius a sacris concionibus esset. Verum quod ipse mecum ea de re nihil egisset, quodque homines religiosi, inconsultis suis, quibus parere habent necesse, nefas de se quicquam statuere putauerunt, non misi. Reuersus itaque Vilnam proximis Maii diebus, forte fortuna, ad mensam, cum grauiter in aliquot Zuinglianos, vt vocant, ministros, prioribus opinionibus nouas indies adiicientes, qui mensae accumbebant, inueheretur, ad me conuersus: si, inquit, tu mihi alterutrum illorum duorum monachorum Stocliscis misisses, iamdudum factus fuissem papista: ita ab istis veteratoribus nostris, quotidie nouas fides excogitantibus, abhorreo. Respondi ego, illos tunc id facere non potuisse, homines non suo arbitrio viuentes: si autem nunc vel alterum vel vtrumque, vel plures etiam monachos habere doctores suos vellet, curaturum me, vt tot habeat, quot postularet. Arrisit ille, & se quidem neutiquam adduci posse, vt papista fieret, verum confessionem Augustanam sibi cordi esse respondit. Eam ego omnium malorum Ecclesiae ceu fontem dixi, & aciem cunei a R. D. vestra iudicari, quae initio non magnam ligni fissuram factura videatur: qua tamen impacta, reliqua crassities totum lignum diffindit: vbi ille non inhonorifica R. D. Vestrae mentione facta, mox in laudes Lutheri proruit, illum primum dolos & fraudes, vt ille dicebat, Papae animaduertisse, qui alterius speciei nobis vsum ademit, homines mortuos colendos loco Dei instituit, purgatorium lucri sui suorumque causa finxit, & quae a Lutheranis dici solent. Respondi illi pro loco & tempore, ne mutientibus quidem

dem illis, quos inſectari coepit, miniſtris, obſtrepente interdum Vegelio. Veſtra certe R. D. optimo conſilio vſa librum illi confeſſionis ſuae miſit, quem ſi diligenter legere voluerit, vti lecturum, tanquam peculiariter ſibi a R. D. veſtra deſtinatum, non diffido: & ſi crebro litteris R. D. V. ad deſerendos deſertores iſtos excitabitur; ſpero eum autoritate illius non Zuinglianorum ſolum ſed & Lutheranorum errores ac diſſidia animaduerſurum & deſtituturum. Atque vtinam aliquis hunc librum in Polonam linguam vertendum ſibi ſumat, vti quidam ſibi, me autore, vir bonus & catholicus Albertus Przetoczki, eos libros, quos R. D. veſtra in Brentium pro Petro a Soto ſcripſit, vertendos ſuſcepit: ac propediem typis excudendos curabit. Exorabo fortaſſe hominem, vt & confeſſionem vertat, ſi forte hucuſque a nemine verſa eſt.

De Palatini Vilnenſis filio ex Italia reuerſo conſtans hic fama eſt: ipſe enim eum nondum vidi: catholicum eſſe factum, optimaque indole praeditum adoleſcentem, minari, ſe hos Gaſtoldica domo exturbaturum, qui autore patre ſuo, peſtifera dogmata Vilnae diſſeminant, ſi ea poſt familiae herciſcundae iudicium ſua facta fuerit. Quin & quae Domino Mielieczki Palatini Podoliae filio nupſit, eiuſdem D. Palatini Vilnenſis maxima natu filia, catholica eſſe facta dicitur, in mariti catholici ex Lutherano facti gratiam. Tres quoque reliquae natu minores in domo inſignis matronae dominae Voinicenſis educantur, & eandem, quam domina Voinicenſis profitetur, catholicam ſcilicet doctrinam profitentur. Ita viri illius, in quod toto conatu incumbebat ſtudium, in illius ipſius liberis ecce quomodo euaneſcit? Vt vera illa ſit Gamalielis ſententia, quae ex Deo non ſunt, non fore diuturna. Cenſeo itaque illi a R. D. V. eſſe gratulandum, confirmandi eius in tam pio inſtituto cauſa.

De Grodnenſibus noſtris rebus Reuerendiſſima D. V. ex aliorum ſcriptis cognoſcet: pauca tamen ea, quae biduo hoc, quo hic ſum, cognoſcere potui, a me quoque accipiat.

Cum

Cum Moſchis de pace vereor vt certi aliquid conſtitui poſſit, quod nulla ad eam rem idonea mandata habeant, praeter litteras fidei, & quoddam valde anguſtis conclufum finibus mandatum, vt videlicet tota Liuonia praeſidiis noſtrorum deductis hoſtis poteſtati tradatur, vt omni Polocenſi tractu hoſti cedamus ad Breſinam vſque amnem, qui Vilna bidui itinere abeſt, vt captiui & profugi omnes ei reſtituantur. Sed cum heſterno die omnes eae conditiones ita eſſent improbatae, vt niſi aequiora aliqua tolerabilioraque mandata ſibi oſtenderent finibus quamprimum excederent: in hodiernum diem ſunt reiecti. Quid deinceps adferent, incertum eſt. Pridie quam huc veniſſem, Ducis Romani Sanduſconis, qui campeſtris, vt vocamus, Dux belli eſt, in ſenatu recitatae ſunt litterae, quibus ſignificat, fuſa eſſe a ſe decem ſeptem Moſchorum millia, qui in ditionibus noſtris, arcem, materia e Moſchouia aduecta, exaedificare coeperant. Ducem belli clarum, Srebrni dictum, caeſum, Kolitouum & Palieczki, collegas eius inſignes & ipſos viuos captos: recitatae ſunt litterae Ducis Moſchorum ad hunc ipſum Srebrnum ſcriptae, & inter eius ſupellectilem inter praedam repertae, quibus mandat, vt non obſtante hac legatione, ad omnem occaſionem eſſet intentus, qua noſtra noſtroſque carpere, depopularique poſſit. Iſta eſt barbari huius fides, vnde apparet, vix ſperari pacem poſſe.

Sed detineo Reuerendiſſimam D. veſtram diutius, quam eius occupationes ferunt. Itaque finem facio, meque ac obſequia mea Reuerendiſſimae D. veſtrae commendo, Deum precatus, vt illam diutiſſime ſanam ac incolumem conſeruet, & iis, quos pro eccleſia Dei lucubrando ſuſtinet labores, confirmet ad extremam vſque ſenectam. Datum Grodnae III. Nonas Auguſti. Anno Domini MDLXVII.

ANNOTATIO.

Autor huius epiſtolae, praetor Vilnenſis, de dignitate ordinis eccleſiaſtici in Poloniarum regno ad Andream Volanum ſcripſit: quod opuſculum Cracoviae

viae anno 1582. prodiiſſe dicitur in Hoppii ſchediaſmate de ſcriptoribus hiſtoriae Polonicae, Dlugoſſi hiſtoriae praemiſſo, p. 123. Extat epiſtola Hoſii ad Rotundum in olim editis numero 260.

CCXXIX.

Caniſius Hoſio.

Cardinales, Auguſtanum et Conſtantienſem, ſynodum Tridentinam recepiſſe: alios malle ſpectatores, quam actores eſſe.

Valetudine aduerſa ſuperioribus menſibus laboraui. Acceſſerunt poſtea peregrinationes meae Moguntiam & Argentinam vſque: haerendum etiam fuit Herbipoli & Oeniponti aliquantiſper. Praetereo reliquas occupationes, quae non ſinunt vno me in loco diu verſari: eiuſque rei teſtem fide dignum citare poſſem Illuſtriſſimum Dominum Card. Auguſtanum & alios viros bonos, ſi longiore quidem defenſione mihi opus eſſet apud humaniſſimum ſimul & ampliſſimum mihi patronum Dominum meum Cardinalem Warmienſem. Eum nunc inprimis oro & obſecro, vt ſilentium hoc meum & in ſcribendo tarditatem boni conſulat, ſuaque veteri & ſaepe mihi probata beneuolentia me quamuis abſentem & tacentem proſequi pergat. Quid autem ego de Germania noſtra ſcribam, ignoro, niſi quod mali proficiant in peius, & bonorum eccleſiae catholicae miniſtrorum penuria id faciat, vt orthodoxi religionis ſuae cauſam aegre conſeruent atque defendant. Habemus interim Dei benignitate duos & praecipuos illos catholicorum heroës, Dominum Ferdinandum Archiducem Oeniponti nunc imperantem, & Dominum Albertum Bauariae ducem: vtrumque ſane dignum, quem amplitudinis tuae litterae aliquando commendent, & in hoc praeclaro ſuae pietatis inſtituto confirment. Bono Citardo, cui de calice tanta cura fuit, nullum adhuc in cathedra Caeſarea ſucceſſiſſe videmus,

&

& ſi catholici nonnulli adhuc expetantur. Auguſtana Synodus a ſuo Praeſule tam laborioſe quam ſumptuoſe menſe Iunio celebrata, felicem habuit exitum. Nam & ſynodus Tridentina illic admiſſa, & reformatio quaedam inſtituta, multaque alia praeclare tum deliberata, tum conſtituta fuerunt. In eodem labore verſatur & nunc Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Conſtantienſis. Reliqui fortaſſe ſpectatores quam actores eſſe malunt: adeo nullus ad ſynodum celebrandam accingit ſeſe, reclamet licet Pontifex maximus, cuius conſiliis & mandatis vere apoſtolicis vtinam obtemperaretur. Caeterum de aduerſariis nihil fere poſſum adferre. Witembergenſes ab Electore & Principe ſuo Saxone iuſſi reſponderunt, quid de Brentiana vbiquitate ſentirent: & germanice reſponderunt, cum Principe Wirtembergenſi hoc agendum eſſe, vt Brentianum & Schmidelianum dogma, quod in ſuas eccleſias & ſcholas ipſi non poſſent inducere, non ſerperet latius, quia ſubtilitate magis, quam veritatis pondere niteretur, & neque Scripturae ſano ſenſui, neque Lutheri magiſterio ſatis conſentaneum eſſet. Ita pulchre inter Witembergenſes & Wirtembergenſes theologos conuenit cum in aliis, tum in hoc genere controuerſiarum. Pergit interim graſſari Caluiniſmus, cum nihil fere ſit promptius, quam Eccleſiae catholicae deſertorem Lutheranum alterius etiam ſectarii religionem amplecti, & in errorem deteriorem prolabi. Illud interim non poſſumus non grauiter deplorare, catholicos noſtros tot modis afflictos & oppugnatos nihil ſerio cogitare de placanda ira Dei, quae nobis extrema minatur, & de reformatione cleri, qui nec ſuos ferre morbos poteſt, nec vlla vult remedia ſibi applicari: & de coniungendis demum animis ad praelia Domini contra Philiſtaeos gerenda ſuſtinendaque. Sed nouit pietas tua, recte cum illis agi non poſſe, qui ſuae viſitationis tempus non agnoſcunt, & non redeunt ad Dominum percutientem in his grauiſſimis plagis, quarum ipſi nobis autores & confirmatores eſſe videmur. Det meliora Deus.

De collegio Braunsbergenſi rogo & moneo, vt tua dignitas

illud ſibi commendatum eſſe ſinat, eiuſque primordia paulatim ad meliorem progreſſum, duce Chriſto, prouehat; nec grauiter interim ferat, primis annis optatum deeſſe ſucceſſum, hoc praeſertim loco & tempore turbulento. Scio a noſtris maioribus iſthuc fuiſſe perſcriptum, vt M. Petrus Phal alio mitteretur, vbi rectius ille & loqui, & intelligi poſſet, rebuſque noſtrae ſocietatis ſuam operam daret. Hoc inſtitutum graues profecto cauſas habet, vt ſperem, amplitudinem tuam aegre laturam non eſſe, quod Praepoſiti noſtri pro ratione ſocietatis huius rite adminiſtrandae, proque diſciplina eius legitime conſeruanda, ſuum ius in noſtros exerceant, illoſque libere vocent, mittant ac remittant, ſicut ipſi ad maiorem Dei gloriam & commune ſocietatis noſtrae bonum conducere arbitrantur. Qua in re ſapientiſſimum Praeſulem admonere mihi neceſſe non eſt, quem rogo tantum enixe, vt maiores noſtri ſentiant, hoc ſibi in gubernandis noſtris apud Celſitudinem tuam licere, quod alibi paſſim licet citra exceptionem, quodque aliquando non tam eorum voluntas, quam praeſens neceſſitas aut maioris vtilitatis ratio vel inuitos facere cogit. Scripſi ad Dominum Cromerum, ſimulque miſi depictam Lutheri anatomiam, quae Celſitudini tuae quoque commonſtraretur, ſi fortaſſe hoc ſpectaculo non perperam inuento oblectabitur. Deum immortalem rogo, vt amplitudinis tuae conatus in ſui nominis gloriam & ad communem eccleſiae vtilitatem proſperare dignetur. Expectant & optant plerique, vt Reuerendiſſimus Dominus Warmienſis non ſolum in epiſcopatu, ſed etiam in Cardinalatu rem catholicam ſcribendo illuſtret ac augeat. Idem & ego cuperem ſane vehementer propter communem Eccleſiae & lectorum vtilitatem. Ingolſtadii pridie natiuitatis beatiſſimae virginis matris. 1567.

CCXXX.

Balthaſar Hosloninus Hoſio.

Deſcribit iter ſuum per Poloniam, doletque de cleri moribus et negligentia, ac de conceſſo calice.

Sani ac ſalui 11. Feb. Vratislauiam, Deo laus, peruenimus, comitante nos vbique fama nominis I. D. T. vix enim quiſquam erat, quo diuertimus, quin cognoſceret, nos ab I. D. T. venire, eoque nomine magnam nobis humanitatem exhibuerunt; taceo reliqua, Gnieno - - - & Poſnania teſtes eſſe poſſunt. Quam enim in iis locis benignitatem non ſumus experti? Profecto magnifica domina Palatina ſua pietate, non dico me confudit, ſed plane mortificauit. Poſnaniae, quamuis epiſcopum non reperiremus, perbenigne tamen ab Herbeſto ſuſcepti & tractati ſumus. Nihil dico de doctore Stephano, nihil de ſcriba ciuitatis: nota ſunt illa, quae noſtris bona exhibere ſolent. Verum totius ciuitatis magnam in nos propenſionem aduerti. Cum enim currum conſcendere extra portam vellemus, comitati ſunt nos pueri, viri, foeminae. Alius panem, alius pecuniam offerebat: de panibus quantum neceſſe erat, accepimus, reliqua renuimus. In ea ciuitate ſunt duae ſynagogae Satanae, Valdenſium, cui praeeſt Oſtorodus, Lutheranorum, cui praeeſt Lucas a Gorka. Quae dum inter ſe litigant, pacem Eccleſia ſortita eſt, eſtque plurimum diſſenſione illorum in fide confirmata. D. Varſſenitius plurimum exemplo ſuo hinc & inde concionatur, maxime tamen Poſnaniae, qui poſtquam ex vrbe ad illos redierit, ſpero quamplurimos ad idem faciendum pertrahet. Reuerendiſſimus Poſnanienſis moratur in Chiauzim. Litteras Illuſtriſſimae D. T. per Herbeſtum tranſmittendas curaui.

Vratislauiae indies res catholica peius habere videtur, cum propter malam vitam ſacerdotum, tum propter paſtorum negligentiam. Hiſce diebus vnus ſacerdotum vxorem duxit, alteri

gemelli allati ſunt, alius ex alto ruens ceruicem fregit. R. D. Euſtachius eſt in magnis laboribus & anguſtiis conſtitutus. Epiſcopus enim, cum ſemper Niſſae agat, omnia negotia illi imponit, itaque alter nomen, alter habet rem. De epiſcopo Culmenſi initio dicendum erat, verum tanquam rem magis ſeriam & Illuſtriſſimae D. T. magis propinquam in poſtremum locum reſeruare volui. Veni Lubauiam vltima Ianuarii: ſequenti die, qui fuit dominicus, epiſcopus decumbebat aeger, forte ex pridiana potatione; parochus ſe male valere dicebat, quare non fuit habita concio illo die, nec Polonica, nec Germanica. Quod ſi haec in praeſentia mea facta ſunt, timeo, ne in abſentia maiora fiant. Inſpexi, quantum licuit, totum epiſcopatum, & vndique video ruinas. Nemo enim eſt, qui reaedificet. Capitaneus in Prodnice diligens eſt Zizaniorum propagator. Miniſter ipſius, vt mihi parochus in Mſſanow retulit, circuit villas & oppida, & hortatur presbyteros, vt ducant vxores. Confirmaui hominem, & quantum per temporis breuitatem licuit, inſtruxi, vt ad argumenta - - - reſpondere poſſet, alioſque etiam doceret. Cogitaui, quomodo poſſet inſtaurari & recuperari epiſcopatus ille. Venit tandem in mentem, nulla alia id ratione fieri poſſe, quam ſi Coadiutor illi adiungatur. Ille enim epiſcopus magis eſt inutilis eccleſiae, quam vllus decrepitus. Quodſi res differatur ad annum vnum aut alterum, vereor, an poſtmodum curari poſſit. Rogo itaque Illuſtriſſimam D. T. ob reuerentiam, quam Saluatori ſuo debet, vt pro amore patriae, vt pro ſalute animarum, vt pro talentis ſibi concreditis faciat omnem diligentiam, quo poſſit epiſcopatus ille iuuari. Si perſona quaeritur, ego Cromerum optimum fore iudico, neque, credo, Sereniſſimus rex repugnabit, ſedes apoſtolica, vt ſpero, obuiis vlnis excipiet. Quid igitur impedit, quo minus fiat? De diligentia D. T. I. non dubito, magis vero de voluntate Cromeri; verum monendus eſt & excitandus, vt ſubtrahat quieti ſuae, talenta tradat nummulariis, tollat hanc crucem ſuper humeros ſuos, & quandoquidem alia ratione noluit, hac ratione Ieſuita fiat. Quod ſi obtine-

obtinemus, iam, credo, mente concipit, quantum de noſtrae Pruſſiae profectu ſperare debeamus. D.T. Illuſtriſſima fidelem habebit collegam, & accedente D. Karnikowsky funiculus triplex difficile rumpetur. Hortatus ſum etiam per litteras D. Melchiorem, vt ſtudeat redhabere conuentum Elbingenſem, quod etiam credo D. T. I. feciſſe. Egi eadem de re cum Priori Poſnanienſi & aliis monachis eiuſdem ordinis; reſponderunt, facile ſe poſſe recuperare monaſterium, neque perſonas deeſſe, verum victum vnde haberent, ſe ignorare. Dixi ego, Deum non defuturum, quandoquidem & patri Petro non petenti iam eleemoſynas miſerint non contemnendas. Habuerunt illi conuentum in Breſkie Cuiauien. in quo Doctor Melchior iterum Prouincialis eſt renuntiatus. Imperator adhuc eſt Viennae, nec Pragam ante paſcha videbit. Induciae nondum ſunt confectae cum Turca, & vix futurae ſperantur ob quamplurimos Turcas ad quandam arcem occiſos. De hac re & de anatomia Lutheri D. Euſtachius in ſuis pluribus aget. Achatium Plemiensky, filium domini Kowalawsky diligenter hic inquiſiui, ſed inuenire non potui. Credo iam illum rediiſſe in Pruſſiam. Nihilominus petii D. Euſtachium, vt diligentius inquireret, atque in fide, ſi inueniretur, confortaret. Cras ſuadente domino Euſtachio, proficiſcor Niſſam ad epiſcopum, viſurus, qualiſnam ſit paſtor. Multi enim ex ſacerdotibus fiunt mariti. Calix conceſſus plus detrimenti quam commodi attulit. Petunt enim eum iam ſibi concedi abſque vlla conditione. Orationibus & ſanctis ſacrificiis Illuſtriſſimae D. V. me quam humillime commendo. Vratislauia 13. Febr. 1568.

CCXXXI.

Cardinalis Sirletus Hoſio.

Mittit quaedam patrum Graecorum manuſcripta.

Poſt meum ad vrbem reditum nunc primum ſcribo ad Illuſtriſſimam Dominationem veſtram, cui gratias ago de vn-

gue & anulo certe magnas, ſed longe maiores, de tui in me animi & amoris ſignificatione. Mitto & ipſe viciſſim ſermonem Methodii martyris εἰς τὴν ὑπαπάντησιν τῦ κυρίυ, & Cyrilli, Alexandrini patriarchae, in eundem diem feſtum beatae virginis, quos ſermones deſcriptos ex codice mirae vetuſtatis mecum attuli ex Calabria, & quia non ſunt in manibus omnium, & habent multa, ſane egregia, quae nobis vſui eſſe poſſunt contra haereticam peruerſitatem, ad Dominationem veſtram Ill. miſi. Accepi nudius tertius literas D. V. Reuerendiſſimae, quas cum primum licuerit, oſtendam ſanctiſſimo Domino noſtro, & curabo rem diligentiſſime, & primo quoque tempore ſcribam, quicquid cum eius Sanctitate egero. Interea nolui Reuerendum dominum Porticum ſine literis meis ad eam venire, eſt enim mihi amiciſſimus ex multis annis, eſt optimis moribus, iuris humani & pontificii atque canonum notitiam habet non vulgarem, quibus rebus motus ſanctiſſimus Dominus noſter mittit nuncium in Poloniam. Mihi gratiſſimum facies, ſi meo etiam nomine charum habebis. Vale in Domino Card. optime, & honeſtiſſimum iuuenem, Stanislaum, meis verbis ſalutabis, de quo etiam agam cum ſanctiſſimo Domino Romae XV. Martii MDLXVIII.

ANNOTATIO.

Gvilielmus Sirletus, in Calabriae oppido, Stili, hanc lucem primum vidit anno 1514. patre ignobili, Thoma, qui aetatis annum centeſimum quintum attigiſſe fertur. Cum Neapoli linguae Latinae ac Graecae ita operam dediſſet, vt magiſtros ſuos longe ſuperaret; matheſin ac theologiam ex fontibus Graecis aviditſime hauſit. Fortunae bonis deſtitutus, vnico ſacrorum bibliorum volumine ſecum allato, Romam ſe contulit, ibique in cardinalis Marcelli Cervini familia vixit, donec eum Paulus IV. Carafis praeceptorem daret, & protonotarium apoſtolicum de numero participantium crearet. Etiam Pius IV. ſororis filium, Carolum Borromeum, Sirleti fidei commiſit, quem conſtat ſingulis hebdomatibus doctorum virorum coetus in palatio pontificio coëgiſſe, quos *noctes Vaticanas* appellaret. Poſtea Borromeus, vt erat gratus, & praeceptorum ſuorum ſalutis cupidus, ita eum Pio commendavit, vt purpura invitum exornaret. Obiit Romae aetatis anno 71. Chriſti 1585.

CCXXXII.

Stanislaus Clodzinsky Hosio.

Multa donata esse, vt Iesuitis Vilnae collegium construeretur.

Illustrissime ac Reuerendissime Cardinalis domine, domine & patrone colendissime. Mea summa erga te obseruantia atque pietas fecit, vt ad te in praesentia scriberem, tibique significarem, me illud negotium de fundando collegio Iesuitarum in ciuitate Vilnensi cum Reuerendissimo Episcopo Vilnensi ita, vti mandasti, ad eum iam perduxisse finem, vt iam me praesente domum lapideam a Nicolao Gasiniski, homine mihi amicissimo, decem millibus florenorum emerit, decem alia millia pro emendis bonis immobilibus testamento suo iam condito, omnem praeterea suppellectilem argenteam, quae quatuor millibus florenorum constat, & ea, quae ad instruendam ornandamque dictam domum spectant, ac necessaria sunt, assignauerit, nihilque magis a Deo optimo Max. optat, quam vt hoc collegium quam primum in illa vrbe videre possit. Quae omnia, tum etiam quantum studii ac diligentiae in perficiendo eo negotio egomet nauauerim, planius ex ipsius literis cognosces. Caeterum confisus tuae erga me benignitati te summis precibus oro ac obsecro, vt quamprimum ad summum Pontificem, ad Cardinalem Alexandrinum, ad Serletum, ad Comendonum, literas tuas des, quibus ab eis petas, vt ratum habeat Pontifex, quod eius mandato Nuncius Canonicatum Cracouiensem, mense Nouembri, post Simonem Lugowski, Praepositum Miechouiensem factum, contulerit, neque mihi negotium facessere permittat, nam non tantum, cum Episcopo Cracouiensi, bonorum omnium oppugnatore, qui nepotem suum intrudere conatur, sed etiam cum Andrea Patricio, qui dicit se prouisionem a summo Pontifice, simul & praesentationem regiam ad dictum Canonicatum habere, litigandum esset, ego tamen

men Dei optimi Max. benignitate in collegium canonicorum cooptatus ſum, poſſeſſio tantum bonorum nondum conceſſa, Regia Maieſtas meo negotio fauere videtur, ac me ius ſuum tueri iuſſit. Quare ſi etiam tua diligens Romae commendatio acceſſerit, facile aduerſariorum conatui reſiſtere potero. Reuerendus Martinus Cromerus, & Nuncius, viri mei amantiſſimi, me hortantur, vt Cracouiam quam primum veniam, ſed tam cito a ſacra Regia Maieſtate veniam diſcedendi petere non licet, amici omnes de hoc negotio me bene ſperare iubent, caetera Deus opt. Max. gubernabit. Noui nihil hic habemus, praeterquam Andream Prerembium, virum omni genere ornatiſſimum, magno ſui apud nos relicto deſiderio, ex hac vita deceſſiſſe. Sacra regia Maieſtas leuiter podagra laborat. De Comitiis Polonis nihil adhuc certi, cum Lituanica primo habebuntur. De tuo negotio cum Elbingenſibus diligenter cum Reuerendiſſimo Epiſcopo Plocenſi egi, qui dixit, ſe iam omnia, vti optaſti, confeciſſe. Bene vale Cardinalis ac patrone benigniſſime, meque vti facis, tua ſemper in fide ac patrocinio habeto, hoc te ſummis precibus oro ac obſecro. Cniſſino XXVI. Marcii MDLXVIII.

CCXXXIII.

Cardinalis Simoneta Hoſio.

Reſpondet ad Hoſii querimoniam de aula Romana ſibi parum gratificante.

Haud ego equidem paruo nuper dolore affectus ſum, cum legerem litteras D. T. Illuſtriſſimae, quibus conqueritur, nullam hic eorum facultatum, ſeu Indultorum, quae illi iampridem fuerunt conceſſa, rationem haberi; ſed Canonicatus & praebendas eccleſiae ſuae hominibus ignotis, ac fortaſſe etiam rudibus & indignis conferri &c. Hoc ego plane haud poſſum non aegre

aegre ferre, quia vereor, ne D. T. R. in eam fortaſſe inciderit opinionem, vt, dum longius hinc abeſt, illius abſentis & virtutis & dignitatis aut parua admodum, aut nulla prorſus ſeruetur memoria. Quod, meo quidem iudicio, minime verum eſt, namque eius eximiae virtutes & merita vt plane cognita & perſpecta ſunt Romae, ita ab omnibus ſemper probantur & efferuntur. Imprimiſque ſanctiſſimus D. N. prae ſe fert, illam paterne diligere, quia receptis pridem literis ſupra memoratis, cum eius Sanctitatem conueniſſem, eamque, vt alias quoque, rogaſſem, vt Illuſtriſſimae T. D. dignitatis, ſimulque poteſtatis ei olim conceſſae, beneficia eccleſiaſtica in ſua dioeceſi conferendi, memor eſſe vellet; ipſa ſua Sanctitas humaniter reſpondit, hoc aequiſſimum eſſe; ſtatimque commiſit eius Datario, vt hoc ipſum omnino poſthac curaret ac perficeret. Praeterea, me admonente, iuſſit quoque ſuperioribus diebus idem ſanctiſſimus, vt in diplomate pontificio earum facultatum, quas D. Vincentio Portico, nouo eius iſtic internuntio, conceſſit, vt moris eſt, omnes omnium beneficiorum dioeceſis Varmienſis collationes exciperentur, vtpote quae ſoli D. T. Reuerendiſſimae ſunt reſeruatae. Idque ita factum fuit. Reuerendiſſimus etiam Datarius aſſeruit mihi, ſe nullum vnquam canonicatum, vel quoduis aliud beneficium ſacerdotiumue eiusdem dioeceſis cuipiam contuliſſe. Et ſi quis forſitan aliquando petierit, petitionem non admiſiſſe, ſed ad D. T. Illuſtriſſimam remiſiſſe. Quod non ita pridem accidit de quodam canonicatu & praebenda Varmienſi, cuius nomen hiſce literis includetur. Verum de iſta, ceteriſque rebus ſuis D. T. pleniorem notitiam ex literis Georgii Poloni eſt perceptura. Quae vero illa perſcripſit de Elbingenſi cauſa, deque catholicorum concurſu, qui fit ad parochialem illam eccleſiam, opera ſtudioque illius Miniſtri, gratiſſima mihi certe acciderunt; & ſimul tecum cuncta ſpero, quae a te exoptantur, miſericordiae parentem Deum tibi conceſſurum. Miniſtro generali Ieſuitarum haud potui obtinere, ne iſtinc auocaretur eximius ille vir, quem tantopere laudat Illuſtriſſima D. V. Verum gratificatus eſt nobis de mit-

tendo in eius locum P. Henricum Dionyſium, qui iampridem diſceſſit, vt iſtuc pergeret, quemque D. T. Reuerendiſſima altero diſcedente, requiſiuit. Hoc itaque finem ſcribendi faciens, me illi ex animo aſſidue commendo. Roma tertia die Aprilis anni MDLXVIII.

CCXXXIV.

Alanus Copus Hoſio.

Promittit ſecundam dialogorum ſuorum editionem.

Si litteris tuis vel ſerius reſpondeo, quam pro dignitatis tuae & officii mei ratione; vel aliter quam forte exſpectaras: id certe nulla mea culpa contigiſſe, velim tibi perſuadeas. Nam nec reſpondere, priuſquam, quid reſpondendum eſſet, ſtatuiſſem; nec ſtatuere ſine iuſta & matura deliberatione potueram: niſi voluiſſem oratione aut dubia tecum ludere, quod fuiſſet ſummae improbitatis, aut plana & perſpicua illuc inconſiderate deſcendere, vnde poſtea pedem referre oporteret, quod non minoris fuiſſet leuitatis & inconſtantiae. Atque haec quidem, cur tam ſero; nunc quid ſequutus fuerim in reſpondendo, audies. Honeſtam ſane illam, vel potius honorificam conditionem, qua primum abs te in Pruſſiam humaniſſime ſum inuitatus, voluiſſe tum quidem libenter me, partim mea ſponte, partim optimi ſimul atque doctiſſimi Sanderi tui hortatu, accipere, ſed rebus nonnullis impeditum non potuiſſe, cum tibi aliquo modo ſignificaſſem: nihil profecto minus futurum ſum arbitratus, quam vt ea de re denuo mecum ageretur. At quantum opinione aberrauerim, poſteriores litterae tuae abunde oſtendunt, quae hoc ipſum anguſtius vrgent, & neſcio qua maiore perſuadendi vi inſtructae, eo me perpulerunt, quo propter nonnulla, quae obiiciebantur, impedimenta, deduci me initio potuiſſe haud facile putaſſem.

Sed

Sed & Sanderus vt dignitatis tuae ſtudioſiſſimus, ita quoque amantiſſimus mei, etiamſi ante ſemper huc me impellere non deſiterit; nunc tamen in id maiore contentione incubuit, vel ob eam, vt opinor, potiſſimum cauſam, quod meae ſiue procraſtinationis, ſiue recuſationis (ſi quae foret) culpam omnem, cuius ipſe nullo modo conſcius eſſet, in ſe immerito conferendam, vel potius iam eſſe collatam cerneret. His igitur ſtimulis incitatus, omnia mea ſtudia & cogitationes eo conuerti, vt proximam inirem rationem, qua, difficultatibus quibuſcunque ſuperatis, poſſem cupiditati tuae morem gerere. De qua adeo non deſperabam, vt iam de itinere ſiue equo, ſiue curru, ſiue nauigio commodius conficiendo, & de ſocio etiam itineris (nam non audebam me viae tam longae ſolum committere) adſciſcendo diligenter cogitare coeperim. Verum cum e portu in altum ventis quaſi ſecundis ſoluiſſe, & ſcopulos aliquot praeteruectus, non infeliciter promouiſſe viderer; ecce alii adhuc nonnulli curſum meum retardaturi ſupererant, e quibus cum diu multumque luctando enauigare non potuerim, coactus ſum, ne naufragium facerem, retrorſum, vt cum poëta lyrico loquar, vela dare, atque iterare curſus relictos. De ſpe igitur hoc irrito conatu deiectus, & quando in ſimilem, vel, quod magis opto, firmiorem ſim venturus, adhuc incertus, quid aliud reſpondeam, non inuenio, quam mihi integrum non eſſe, quemadmodum cuperem, mandata hic tua exſequi; & proinde nihil eſſe, cur meum aduentum diutius exſpectes. Hoc ſi praeter opinionem tuam reſponſum accipias, noli quaeſo id aegrius ferre. Nam eſt & illud quidem multo maxime praeter voluntatem meam; nec ſine cauſſa, cum ego inde ſim deſideraturus multa, quibus me ornare voluiſti, beneficia. Tibi vero quid hinc vel tantilli incommodi obuenturum ſit, non video; niſi forte cariturus ſis aliqua interdum materia, in qua liberalitatem tuam exerceas; quae tamen nuſquam tibi deeſſe poterit. Hoc igitur meae infelicitatis eſſe duco, quod a te viro plane diuino, quem maxime omnium videre iamdiu cupio, in familiaritatem interiorem vltro accerſitus, nequeam ta-

men in conſpectum tui venire. Quod ſi nullo vnquam tempore futurum ſit, vt te videam, feram quidem, vt potero, hoc infortunium meum; ſed vereor, ne minus fortiter, niſi id litterarum, lucubrationumque tuarum ſubſidio & ſolatio minuatur, potiorem tui partem mihi quotidie repraeſentantium. Gratias vero vtinam eas tibi referre, facultatis meae foret, quas cupio & debeo, ago certe habeoque, quas poſſum, maximas, non ſolum pro magna hac & incredibili erga me humanitate tua, ſed pro omnibus etiam, quae in me conferre ſtatueras, beneficiis, ſi in familiarium tuorum numerum fuiſſem adſcriptus. Illa namque vniuerſa pro collatis iam acceptiſque habeo, quia quo minus eorum particeps fierem, nihil ex parte tua, imo nec ex mea defuit, niſi quod e difficultatibus, quibus tanquam ſepimentis ſum circumuallatus, nequeam emergere. Quanti autem hanc animi tui in me propenſionem aeſtimem, quamque grata memoria eam proſequar, tum forte plenius intelliges, quando id publico aliquo monumento teſtatum videris. De quo vt nihil temere polliceri audeo, ita, ſi Deus votis annuerit, quam cito non dicam, ſed eius tamen efficiendi occaſionem me nacturum confido. Si qua interim in re operam tibi vtilem praeſtare his in locis potero; nemo quidem erit, quem inuenies ad omnia paratiorem, quam me. Quid cum illis pecuniis actum ſit, de quibus tibi vltimis litteris gratias egeram, nihil aliud ſcio, quam eas nondum ad manus Sanderi noſtri peruenisſe. Quod te celare nolui, ne forte eius ignoratione & tibi & nobis perirent. Verum vt ad praefationem Adriani pontificis veniam, quam benigne mecum communicandam cenſuiſti, quia id mea vehementer intereſſe poſſet meditantis ſecundam dialogorum editionem, quo nomine admodum mihi grata fuit: eam quidem ante vidi minus mendoſe, vna cum reliquo opere aliqua ex parte mutilo, impreſſam tomo tertio conciliorum, quae ſunt Coloniae diligentia & labore Laurentii Surii, viri doctrina & religione praeſtantis, iam recens edita. Atque huius quidem opuſculi, librum Pſeudocarolinum refutantis, fragmenta multa exſtant in ſyntagmate Iuonis; quem-

admo-

admodum videre in promtu erit cuiuis conſulere volenti loca capite decimo nono dialogi quarti indicata. Vbi non negatur opus illud, quod ſub Caroli Magni nomine contra ſecundam ſynodum Nicenam circumfertur, illis temporibus, & ad eum ſcriptum fuiſſe, ſed ipſum eius auctorem exſtitiſſe. Quae ſententia validiſſime confirmatur refutatione illa Hadriani. Cur ad te hoc tempore Sanderus non ſcribat, illud in cauſa eſt, quod domo plus minus menſem abfuerit, multum occupatus in procurandis quibuſdam virginum ſacrarum noſtratium negotiis, nec niſi poſt paſcha eſt reuerſurus. Tilmannus Bredenbachius nuper edidit librum, quem inſcripſit anthyperaſpiſten aduerſus conuicia & calumnias Iacobi Andreae Smidelini. In eo opere frequens ac honorifica fit tui mentio, & depelluntur ſycophantiae, quas in tuam catholicae fidei propugnationem Smidelinus temere & inſolenter effudit. Res hic ſunt aliquanto meliore loco, quam dudum fuerunt: in Gallia autem in ancipiti omnia pendent, & lente quidem procedunt ex parte regia, nec tamen ſatis bene ſuccedunt. Verendum igitur eſt, ne cunctando reprimatur potius, quam in integrum reſtituatur religio. Multus nunc vbique ſermo eſt de foedere valde iniquo cum haereticis & perditis hominibus icto; quod falſum eſſe ſpero & opto. Deus opt. max. eccleſiam ſuam defendat ab hoſte cum externo tum domeſtico, & te vna cum omnibus tui ſimilibus, quos zelus domus Dei, vt Scripturae verbis vtar, comedit, quam diutiſſime ſaluum & incolumem conſeruet. Louanio pridie Non. April. 1568.

CCXXXV.

Alanus Copus Hoſio.

Regis Philippi et Albani induſtria vigere eccleſiae Romanae ſacra in prouinciis Hiſpanorum Germanicis.

Coniecturam facio ex literis, quas ad Sanderum, hominem ſane amabiliſſimum, dediſti, meas in manus tuas nondum

peruenisse; sed iam plane confido, eas tibi traditas esse. Qua spe fretus, non necesse puto, quae illic descripta sunt, eadem hic inutiliter & moleste tibi repetere. Existimo autem, me in iis, etiamsi exspectationi tuae de aduentu meo non responderim; quia tamen id quodam modo inuitus feceram, sic iudicio tuo grauissimo vtcunque satisfecisse, vt verendum mihi non sit, ne eo nomine in aliquam animi tui offensionem incurrerim. Quod vt facilius mihi persuadeam, literae illae me tuae mouent, vel, vt significantius dicam, impellunt; quarum praescripto voluisti, vt, siue proficiscendi ad te consilium caperem, siue itinere desisterem, liberalitatis tuae fructus aut ad impensas in via faciendas, aut ad studia mea, vbicunque essem, fouenda redundarent. In quo & voluntati tuae & commodo sane meo perquam opportune iam est satisfactum. Nam ad summam pecuniarum litteris istis consignatam accessit & illa prior, ante annum abs te mihi destinata, quam propter diuturniorem temporis moram intercidisse opinabar. Hinc igitur factum est, vt vno eodemque tempore duplex abs te beneficium acceperim. In quo eximia naturae tuae bonitas, & excellens animi magnitudo mirifice se ostendit, qui perinde atque benignitatis tuae fontes nullis regionibus circumscribi, sed omnibus non modo domesticis, verum etiam exteris semper patere velles, sic beneficium beneficio appendis, vt antecedenti consequens, & priori nouum atque recentius anteuertat. De vtroque certe tanto plures, maioresque tibi gratias debeo, quanto pauciores & minores referre valeo; quantoque minus alterutrum istorum beneficiorum me esse meritum vlla ex parte possum agnoscere. At quantas queo tamen, in praesenti ago habeoque, & in posterum sum semper acturus atque habiturus maximas. Quod si diuini numinis indulgentia vnquam mihi concedatur, vt qua nunc sum gratiarum referendarum voluntate, ea aliquando facultate esse possim, non despero, quin ita me sim comparaturus, vt facile appareat, me si forte non omnem, at aliquam saltem partem tuorum meritorum semper voluisse consequi. Nunc vero in testimonium meae

tibi

tibi deuotiſſimae voluntatis, hoc vnum poſſum profiteri, me toto pectore & intimis ſenſibus omnino eſſe tuum; quod cupio eſſe tibi perſuaſiſſimum. Dialogi mendis quibuſdam ſublatis, paullo auctiores praelum iam cupide exſpectant; ſed vereor, ne typographus velit moras longiores nectere, priuſquam operi imprimendo manus admoueat, eo quod prioris editionis circiter quadringenta, vt ſcribit, exemplaria habeat nondum diuendita. Sanderus quoque tuus aliquid iam latine meditatur, breui, vt ſpero, ad maximam Dei gloriam, reipublicae chriſtianae vtilitatem, ſuamque ipſius laudem diuulgandum. His in locis religio catholica Philippi regis poſt Deum beneficio, & Ducis Albani in vicem eius remp. hic merito gerentis vigilantia atque induſtria, frementibus licet haereticis & fruſtra reclamantibus, viget; maius indies (vt optamus & ſperamus) incrementum acceptura. Quod faxit Deus opt. max. & ſancta Pii V. ſingulorumque eccleſiae procerum, & tua inprimis, atque omnium denique opponentium ſeſe murum pro domo Iſraël, & praeliantium praelia Domini aduerſus ſpurios iſtos, ſuperbos & maledicos Philiſtaeos inſtituta feliciter promoueat atque conſummet. Vale Louanii pridie.

CCXXXVI.

Carolus, cardinalis Lotharingus, Hoſio.

Turpem cum Hugonotis pacem factam.

Iamdiu tempus & occaſionem ad te ſcribendi aucupabar, cum Reuerendiſſimus Cardinalis Clareuallenſis literas tuas mihi perlegit; quae cum tuae erga illum beneuolentiae perhonorificam teſtificationem; tum vtriuſque noſtrum de eo iudicium & contentionem quandam oſtendebant. Equidem non dubito, quin ea inter vos neceſſitudo, & pietatis pari coniunctione, &

rerum

rerum optimarum communi ſtudio contracta intercedat, vt vix aut temporis longinquitate, & locorum interuallo minui, aut cuiuſquam amore poſſit ſuperari. Sed tamen ego idem praeſtantiſſimis ingenii & doctrinae ornamentis tibi longe inferior, primas beneuolentiae, quae mihi multis nominibus merito debentur, nemini ſum facile conceſſurus. Etenim antequam Reuerendiſſimus Clareuallenſis in tui cognitionem veniſſet, eam mecum familiaritatem inierat, vt nullius theologi eruditionem & ſapientiam pluris facerem; pietatem vero & ſapientiam omnibus anteferrem. Quod ſi amicitias ex temporis longinquitate & diuturnitate aeſtimamus, nemo opinor inficias ibit, quin & tibi & iis omnibus, qui mecum de ſuo & meo in Reuerendiſſimum Clareuallenſem amore contendent, ſim palmam praerepturus. Sed omiſſa iſta contentione, quae nihil propterea rixarum aut diſſidii paritura eſt, aliquid de nobis & de noſtro hoc perturbatiſſimo regno dicamus, vt noſtrum ad te ſcribendi morem, temporum & tumultuum gallicorum iniuria intermiſſum, aliquando repetamus. Graue & periculoſum bellum ſemeſtre iſtic geſtum eſt (ſi quidem bellum, non potius latrocinium vocari debeat nefaria perduellium ſeditio, qua regnum hoc antea florentiſſimum pene concidit) Nonnihil in eo bello a quibuſdam turpiter peccatum eſt, vnde turpior pacificatio ineunda, vel etiam accipienda fuit. Sed tamen ſic res iam componuntur, & ea a rege chriſtianiſſimo & regina eius matre rerum bene gerendarum conſilia ſumuntur, vt in quietis & ſalutis ſpem non dubiam boni omnes veniamus. Vbique perduelles aut arma ponere iubentur, aut vrbium ingreſſu prohibentur: catholicorum militum, in locis maxime laborantibus praeſidia diſtribuuntur: leges ſanctiſſimae feruntur: denique omnia remedia tentantur, quibus ſalutem aegrotanti ac penitus afflicto huic regno poſſe adferri exiſtimamus. Ego autem in aulam ante ſex aut amplius menſes pertractus, in ea tamdiu verſari ac me continere conſtitui, dum mihi religionem catholicam iuuandi ac promouendi ſpes aliqua affulſerit. Quod ſi eam tandem priſtino ſuo ſplendori & dignitati reſtitutam videre

contigerit, tum me a publicis negotiis ad meum munus & ad honeſtum otium reuocabo. Idque vt mihi breui eueniat, & tu quam diutiſſime valeas, Deum opt. max. precor. Madritii Cal. Auguſti MDLXVIII.

Illuſtriſſimae et reuerendiſſimae D. V.

humilis ſeruitor,

C. cardinalis de Lotharingia.

ANNOTATIO.

Carolus Gviſianus, Lotharingus, dotibus naturae praeſtantiſſimus vir, Ioinvillae anno 1524. natus, obiit Avenione anno ſalutis 1574. aetatis ſuae 50. Paulus III. cardinalitium ei decus contulit anno 1547. A Galliarum rege ad concilium Tridentinum miſſus, inde et Oeniponten ad Caeſarem Ferdinandum I. et Romam ad Pium IV. excurrebat, rediens autem menſe Novembri Tridentum, acclamatione ſua finem imponebat concilio. Saepe ei pugnandum fuit cum Hugonotis. In colloquio Poſſiacenſi anno 1561. menſe Septembri habito Bezae colaphum impegit, ſi Oldoino to. III. de vitis pontificum, col. 727. fides habenda eſt. Qualem ſe in concilio finiendo Lotharingus geſſerit, prolixe notatum eſt Nicolao Pſalmaeo, Virdunenſi epiſcopo, in Hugonis monumentis antiquitatis p. 409. Hic eſt ille Pſalmaeus, cuius mentionem facit Baluzius notis ad Gallandii vitam Petri Caſtellani p. 162. his verbis: *Cum anno 1562. Nicolaus Pſaulmeus, vt eſt apud Pallavicinum libro XI. capite 8. in concilio graviter diſſereret adverſus abuſus ſacerdotiorum ac Rotae Romanae, tum etiam adverſus mores corruptos aulae Romanae, & Sebaſtianus Vanzius, Epiſcopus Vrbevetanus, id aegre ferens, eis, qui iuxta ſe aſſidebant, dixiſſet*, Gallus cantat; *Daneſius ex tempore confidentia bonae cauſae reſpondit:* Vtinam illo gallicinio Petrus ad reſipiſcentiam & fletum excitetur.

Ceterum de cardinalis Lotharingi animo in evangelicos haec iuvat adſcribere, quae dicto loco habet Oldoinus: *Nec defuerunt, qui Cardinalem accuſarunt, ac ſi cum Auguſtanis in fide conſenſiſſet. Nam Cardinalis, ac Dux Guiſius, fratres certiores facti Condaeum, & Admiralium cum Germanis clandeſtinam ſocietatem cotiſſe; vt eam interrumperent, cum Chriſtophoro Duce Vuirtembergico, & nonnullis aliis Germanis Principibus ad Tabernas Alſatiae, Argentinenſis Epiſcopi oppidum, convenerunt. Vbi de religione ita inter eos actum eſt,*

vt, cum ſecum Vuirtembergicus Dux Ioannem Brentium, & Iacobum Andream, acerrimos Auguſtanae confeſſionis contra Zuinglianos, & Calvinianos propugnatores, docere conatus ſit Cardinalis, vt doctus, & eloquens erat, Catholicos cum Auguſtanis magis, quam Auguſtanos cum Zuinglianis, & Calvinianis, in praecipuis religionis capitibus convenire; adeo vt non exigua inter ipſos concordiae ſpes relinqueretur; cum multa concederet Cardinalis, vt Germanos a Calvinianis ſeiungeret, & a Gallia in eorum auxilium iuvanda avocaret, quae alioqui non conceſſiſſet. Hunc enim illius conventus ſcopum fuiſſe, Belcarius, Epiſcopus Metenſis, qui interfuit, ſcribit: cum alioqui hoc colloquium maximis Romae, Tridenti, & in ipſa Gallia ſuſpicionibus materiem ſubminiſtrarit. Nec defuerunt, qui Cardinalem ſerio cum Germanis coniunctionem in religione expetiuiſſe, & ſicut Calvinianam doctrinam penitus oderat, ita Auguſtanae potius in Gallia locum eſſe cuperet.

CCXXXVII.

Bilia Hoſio.

Electorem Saxoniae nequaquam inclinare ad ſacra Romana: ſe omnibus viribus reſiſtere Auguſtanae confeſſionis in Auſtria exercitio.

Tam mihi gratae acciderunt literae D. veſtrae Illuſtriſſimae ſcriptae XIX. Iulii, quam ſunt pleniſſimae humanitatis & integritatis ſuae. In iis, quod mihi pollicetur liberaliſſime ſtudium & patrocinium ſuum, video quam debeam optimae voluntati D. veſtrae Illuſtriſſimae. Cui re ipſa potius grati animi & ſeruitii mei ſigna aliqua praebere cupio, quam meritae gratiarum actioni parem me eſſe intelligo.

Quod de Principe Electore Saxoniae audiſſe ſcribit D. V. Illuſtriſſima inclinare eum ad fidem catholicam, poſſum iam ego pro compertiſſimo ſignificare, eum, qui haec nunciauerit, non vera retuliſſe. Fueram ipſe quoque ob falſos huiuſmodi rumores aliquando in ea opinione, vt reſipiſceret. Verum nunc habeo

beo exploratiſſimum: Principem illum tam male ſentire de vera fide & religione, quam ſenſit ſemper. Cuius rei teſtimonium habeo Decani Budiſſinenſis, viri catholici & eruditi, qui in finibus illis Saxoniae contra haereticos pugnat continenter. Is de inueterata ipſius Ducis perfidia ſcripſit ad me ſuperioribus diebus, deque eius perſecutione, quam etiam molitur catholicis hominibus, vt redigat Alſatiam ad Auguſtanam confeſſionem. De eadem re certiorem feci S. D. Noſtrum, qui etiam exiſtimauerat, hominem illum aliqua poenitentia duci anteactae vitae.

De Vilhelmo Cleuicio Sacramentario poſſum confirmare D. V. Illuſtriſſimae, mandatum eſſe a Maieſtate Caeſarea, vt capiatur & in carcerem trudatur; ſed is adhuc detentus non eſt, vel quod facile legatur, vel quod miniſtrorum culpa mandatum negligatur. Sicuti nunc multae res negliguntur, atque adeo conſuluntur, quae labefactent & maximo ſint detrimento fidei catholicae. Cuius generis eſt, quod nunc ego laboro vehementiſſime, ne in conuentu hoc Auſtriaco concedatur, aut permiſſa eſſe videatur confeſſio Auguſtana; quam petunt enixe Prouinciales. Ego vero inſto, & quam vehementiſſime poſſum, me oppono illorum petitioni, & ſtudiis nonnullorum, in quibus ſi eſſet vera fides, non laboraremus. Nos ea potiſſimum inſiſtimus ratione, quae adducitur a D. V. Illuſtriſſima in eiſdem literis: non deteriore loco res eſſe Sacramentariorum & aliorum haereticorum, quam eorum, qui ſequuntur Auguſtanam confeſſionem. Omnino omni ope atque opera curamus, ne fiat contra ius & autoritatem, quae ſola eſt ſummi Pontificis, decernendi de religione, conceſſio tam pernicioſa. Quem exitum res habitura ſit, dubitamus: denique, quiſquis erit, faciam, vt ſciat D. veſtra Illuſtriſſima. Cui omnia mea ſtudia atque officia dico, eroque ſemper & pro merito ſuae perſonae & pro mea in ſe obſeruantia eidem addictiſſimus. Viennae V. Cal. Septembr. MDLXVIII.

Illuſtriſſimae & Reuerendiſſimae D. V.

humillimus ſeruitor
Melchior Bilia, Nuncius.

ANNOTATIO.

Ad Melchiorem Biliam, nuntium apoſtolicum apud Caeſarem, aliquot Hoſii epiſtolae extant in editis. Scripſerat Hoſius, Auguſtum, Saxoniae electorem, inclinare ad ſacra Romana. Sed rumorem falſum fuiſſe hic narrat Bilia. Tamen Roma anno 1572. denuo excitat Hoſius Biliam epiſtola inter editas 42. vt autoritate Caeſarea electorem permouendum curet ad concionatores catholicos audiendos. Epiſtolae V. Cal. Iunii anno 1569. ad Hoſium data haec ſubſcripſit Bilia: *Melchior Bilia, comes Sironi, Proth. & Nuncius apoſtolicus.*

CCXXXIIX.

Paulus Zaiexczkowski Hoſio.

De pontificis dolore, quem percepiſſet ex Maximiliani Caeſaris indulgentia, evangelicis in Auſtria A. C. exercitium concedentis: de Hiſpanarum regis bello in Flandros.

Poſt ſeruitutis meae perpetuae demiſſiſſimam commendationem. Nuntium illud imperatoris ad pontificem, quod ſuperioribus literis tanquam obſcurum & incertum Illuſtr. Celſ. veſtrae perſcripſeram, de permittenda per totam Auſtriam Auguſtana confeſſione, ſermonibus omnium, inprimis illuſtriſſimorum Cardinalium, ſummique pontificis conſiliis hac in re inſtitutis confirmatum eſt. Illuſtriſſ. Cardin. Comendonus ad Caeſarem eccleſiam catholicam defenſurus mittitur. Subita profectio illi demandata eſt: ne quippiam, quod opportuno tempore confici poſſet, expeditione tardiore negligeretur. Magnopere nunc pontifex hac Imperatoris petitione moleſtiſſima conflictatus eſſe dicitur. II. menſis huius Cardinalium collegium congregauerat, apud quos eum eiulatu miſerabili temporum iniurias vitaeque ſuae infelicitatem queſtus eſt: crebrius imperatoris temeritatem incuſans, qui praeter temporalium rerum ſolicitudinem ſpiritualium quoque curam ac liberiorem quandam diſpenſationem ſibi vendicat.

dicat. Quid autem hac occaſione commodiſſima egerit apud pontificem Illuſtriſſ. Cardinalis, ex aliis literis Illuſtriſſ. Celſ. veſtra cognoſcet. Noui hoc tempore propemodum nihil hinc ſcribi poteſt. Gallia dicebatur in armis eſſe, quamprimnm Germaniae nouos tumultus exaudiuiſſet: ſed rumor hic autorem certum non habet. Germaniae quoque Principum exercitus, quem contra Ducem de Alba conſcripſerant, diſſolui diſſiparique nuntiatur. Fama eſt, quam complures neque obſcuri viri confirmant, regem Philippum ad ſingulos Germaniae Principes literas dediſſe, quibus aequiſſimam ſuſcepti contra Flandros belli cauſam exponit, ſimul admonens, ne, ſi rebelles Flandros contra ius & aequum, adiuuent, ſuos quoque ſubditos violare fidem, legibus non parere, iuſſa dominorum contemnere, docuiſſe videantur. His literis permoti Principes incoepto bello abſiſtere creduntur. Quanquam non deſint, qui Germaniam arma cepiſſe in 40. millibus hominum affirment: ſed oratio fidem non obtinet.

Illuſtriſſimus Cardinalis Auguſtanus ſalutationem diligentiſſimam & obſequiorum commendationem Illuſtriſſ. Celſ. veſtrae me ſcribere ſuo nomine mandauit. Cum ſummo deſiderio Illuſtriſſ. Celſ. veſtrae literas expectat. Quod ſupereſt, Illuſtriſſ. Celſ. veſtrae me ſeruitutemque perpetuam humillime commendo. Quam vt omnipotens Deus incolumem diutiſſime conſeruet, ſupplex oro. Roma 25. Septembris anni 1568.

CCXXXIX.

Io. Maldonatus Hoſio.

Multa in vtramque partem diſputans concludit, a Calviniſtis baptizatos ne quidem ſub conditione eſſe rebaptizandos.

Quintus menſis agitur, Illuſtriſſime Domine, ex quo poſtremas veſtrae D. literas accepi. Quod ante non ſcripſe-

rim ad Illuſtriſſimam D. V. non eſt factum obliuione vlla officii mei, ſed timore quodam ruſtico fortaſſis, ſed tamen iuſto & pleno reuerentiae, ne meis nugis grauiſſimas occupationes interpellarem Reuerendiſſimae D. V. Intellexi ex literis veſtris nondum ad D. V. peruenisſe famam eius rei, quae magna nunc contentione partium in Gallia & Germania diſputatur. Mirari enim dicit ſe R. D. V. proponi ſibi nunc quaeſtionem, de qua & eccleſia iam diu ſuam ſententiam dixerit, & I. D. V. eccleſiam ſequuta multo ante ſcripſerit in ſuis libris. Catholici vero de eccleſiae decreto non dubitant, ſed an locum habeat in Caluiniſtarum baptiſmo, multi viri huius temporis & catholiciſſimi & doctiſſimi diſſentiunt. Ego de hac re partim aliorum doctorum hortatu, partim ſponte mea Illuſtriſſimam D. V. conſului, cum mihi hoc anno ea de re in noſtris ſcholis neceſſario diſputandum eſſet. Verum quando D. V. I. quaeſtionem a me nimis fortaſſe obſcure propoſitam tum, cum mihi maxime opus erat, non explicauit: conſtitui, quae ea de quaeſtione dixi, R. D. V. ſcribere, vt quem obſcure dubitantem non docuit, aperte fortaſſis errantem dedoceat. Cum ergo ad hanc quaeſtionem peruenisſem, primum in medium eas rationes adduxi, quas ipſe audiueram ab iis, qui negant, Caluiniſtas vere baptizare, quibus addidi alias, quaſcunque ego ad confirmandam eam partem excogitare potui, deinde meam ſententiam propoſui, & argumentis probaui. Primum ergo argumentum eorum, qui Caluiniſtas baptizare negant, eſt, quod falſam habeant de ipſa eſſentia baptiſmi ſententiam. Putant enim, haec verba: ego te baptizo, non eſſe formam baptiſmi. Non enim aliam ob cauſam Paulianiſtae non baptizabant, niſi quod, vt D. Auguſtinus ſuſpicatur, baptiſmi formam ſua falſa opinione deprauabant. Secundum, quod non credant, baptiſmo peccata remitti, quod eſt penitus euertere naturam baptiſmi. Pelagiani etſi negabant, per baptiſmum deleri peccatum originale, tamen vim baptiſmi non delebant, quin concedebant, baptiſmum natura ſua peccata remittere, ſi quae ſint. Ideo vere baptizare putabantur.

Ter-

Tertium, quod non ſolum animo ſentiant, ſed verbis etiam profiteantur, nolle ſe per baptiſmum, quem tribuunt, peccata remittere. Quod tantundem valere videtur, ac ſi dicant, nolle ſe baptizare. Quartum, quod aperte dicant nolle ſe facere, cum baptiſmum conferunt, quod facit eccleſia Romana. Vnde illi argumentantur: Sola eccleſia Romana eſt vera eccleſia & catholica: Caluiniſtae negant, ſe velle facere, quod facit eccleſia Romana. Igitur negant, ſe velle facere, quod facit vera & catholica eccleſia. Qui negat, ſe facere velle, quod facit eccleſia catholica, non baptizat. Caluiniſtae ergo non baptizant. Quintum, quod viri doctiſſimi ita ſentiant, & omnes concionatores, qui in Gallia de hac re verba fecerunt, hactenus ad populum ita docuerint, quibus ſane credendum eſt, ſpiritum ſanctum adeſſe: vt merito hic eſſe videatur ſenſus totius eccleſiae Gallicanae, quem Germanicae ſequutae ſunt. Scripſit enim vir doctiſſimus Germanus doctor & multarum eccleſiarum nomine librum, cui titulum fecit - - - in quo negat, Caluiniſtas dare verum baptiſmum. Vidi etiam ego hoc anno cenſuram cuiuſdam doctoris Germani, viri admodum catholici & eruditi, in librum quendam Franciſci Turiani noſtri, vbi eum reprehendebat, quod affirmaret, vere baptizare Caluiniſtas. His ego adiunxi: cum materia & forma Sacramenti ſeruatur, totam Sacramenti perfectionem & auctoritatem pendere ex auctoritate & intentione miniſtri. Quod ad auctoritatem attinet, iam olim eccleſiam definiuiſſe, omnes homines, etiam haereticos, auctoritatem habere baptiſmi conferendi, auctoritatem, inquam, non ordinis & officii, ſed poteſtatis. De intentione vero, quam vnuſquiſque, qualem velit, habere poteſt, nihil dum ſpecialiter eccleſiam decreuiſſe, ſed tantum ſtatuiſſe, neceſſe eſſe, vt miniſter baptiſmi velit facere generaliter, quod Chriſtus inſtituit, quodque eccleſia catholica facit, quaecunque ea tandem ſit. Itaque ſi oſtendero, Caluiniſtas eam intentionem non habere, cum baptizant, perſpicuum erit, eos non baptizare. Id vero argumentis oſtendo. 1. nemo poteſt duas intentiones contrarias habere, Caluiniſtae habent intentionem con-

contrariam intentioni faciendi, quod facit eccleſia catholica, quia habent intentionem non faciendi, quod facit eccleſia Romana, quia non poſſunt habere intentionem faciendi, quod facit eccleſia catholica. 2. Peius eſt, habere intentionem contrariam intentioni verae, quam nullam omnino habere intentionem, ſicut peius eſt habere errorem verae ſcientiae contrarium, quam nullam habere ſcientiam. Qui autem nullam habet intentionem, defectu intentionis non baptizat: ergo qui habet intentionem contrariam intentioni verae, defectu intentionis minus baptizabit. Dicet aliquis: poſſe ſimul eſſe duas intentiones contrarias, aut quae contrariae eſſe videantur, cum altera generalis eſt, altera ſpecialis: ſicut ſcientia generalis & error ſpecialis eiuſdem rei poſſunt eſſe ſimul, vt qui in Memnonis apud Platonem diſputatione recte ſentit, generaliter, omnem duernionem eſſe parem, ſed errat ſpecialiter, cum duernionem, quem Socrates tenebat manu, ignorat parem eſſe, quia putat, non eſſe duernionem. Et Ariſtoteles eum mercatorem, qui in magna tempeſtate, vt vitam ſeruet, merces eiicit in mare, duas intentiones habere dicit, alteram non proiiciendi merces, ſi aliter fieri poſſet, alteram proiiciendi, quia aliter fieri non poteſt. Nihil ergo vetat, quo minus is, qui baptizat, habeat duas intentiones contrarias, vnam generalem, faciendi, quod eccleſia catholica facit, alteram ſpecialem, non faciendi, quod eccleſia Romana catholica facit. Ego vero hinc magis argumentum confirmo. Nam quemadmodum in cognitione mentis, quae ſyllogiſmo quodam theoretico ſemper comparatur, concluſio ſequitur particularem potius propoſitionem, quam vniuerſalem, potius falſam quam veram: ſic in actione voluntatis, quae ſemper fit ſyllogiſmo quodam practico, effectus ſequitur potius intentionem ſpecialem, quam generalem, vt ex illo Ariſtotelis exemplo perſpicitur. Cum ergo miniſter Caluiniſta duas habeat intentiones, alteram veram, alteram falſam, & vera ſit generalis, falſa ſpecialis: baptiſmus potius erit falſus, quam verus. Haec ſunt argumenta, quae in hanc partem propoſui. Verum contrariam ſen-

ten-

tentiam eſſe iudicaui veriorem, & antiquis eccleſiae decretis magis conſentaneam. Primum quia, cum eccleſia abſolute & generaliter definiuit, haereticos dare verum baptiſmum, non potuit ignorare, nullum eſſe haereticum, qui, cum baptizat, non id velit facere, quod ſua eccleſia facit, quam falſo quidem, tamen catholicam eſſe putat. Non ignorabat, nullum eſſe haereticum, qui, cum baptizat, velit facere, quod eccleſia Romana facit, quam falſo quidem, tamen haereticam eſſe putat, praeſertim ſi de ipſo baptiſmo aliter, quam Romana eccleſia ſentiat. Haec, inquam, omnia eccleſia non ignorabat, abſolute tamen diffiniuit, haereticorum baptiſmum eſſe verum. Intelligebat igitur eos haereticos, qui eo modo eaque intentione baptizarent, qua Caluiniſtae baptizant, vere proprieque baptizare, modo vellent facere generaliter, quod Chriſtus inſtituit, & quod eccleſia catholica facit.

Secundo, quia, ſi error Caluiniſtarum impedimento eſſet, quo minus eorum verus eſſet baptiſmus, multo magis Arianorum & Sabellianorum error impedimento fuiſſet olim. Nam Caluiniſtae tantum habent falſam opinionem de effectu baptiſmi, Ariani vero & Sabelliani habebant opinionem falſam de ipſa forma, nimirum male ſentiebant de Trinitate, cuius nomine (vt D. Auguſtinus inquit) baptiſmus conſecratur. Adde, ſi vis, Caluiniſtas in eo etiam errare, quod non credant, haec verba: ego te baptizo &c. eſſe formam, vt nos dicimus, huius ſacramenti. Illud quidem certe negari nullo modo poteſt, quod ex omnibus eorum adminiſtrandorum Sacramentorum formulis apertiſſime probatur, recitare illos haec verba, cum baptizant. Igitur ſicut eccleſia Arianos & Sabellianos vere baptizare iudicauit, quia, etſi de forma male ſentiebant, tamen formam adhibebant: ita nos Caluiniſtas male de forma ſentientes, tamen formam adhibentes, iudicare debemus vere baptizare.

Tertio, ſi qua eſſet cauſa, cur Caluiniſtarum baptiſmus verus non eſſet, vna e tribus eſſet, vt auctores ipſi contrariae opinionis defenſores ſentiunt: aut quod non habeant eam intentionem, quam verus requirit baptiſmus, aut quod materiam & for-

mam non adhibeant, aut quod de vi & efficientia baptiſmi non recte ſentiant, ac propterea, cum baptizant, dicant, ſe nolle remittere peccata. At nulla ex his tribus eſt, nulla ergo omnino eſt. Primum quidem habent intentionem, qualem baptiſmus requirit. Nam ſi non haberent, aut ideo non haberent, quod habere videantur intentionem particularem, vt illi argumentantur, contrariam intentioni generali faciendi quod Chriſtus inſtituit, & quod facit eccleſia catholica, quam generalem intentionem ſatis eſſe, niſi aliunde impediatur, eccleſia definiuit. Intentio autem intentioni duobus modis eſſe poteſt contraria, aut formaliter, vt, ſi quis diceret: volo facere, quod facit eccleſia catholica, nolo facere, quod facit eccleſia catholica: aut materialiter, vt cum aliquis dicit: volo facere, quod facit eccleſia catholica, nolo facere, quod facit eccleſia Romana. Hae ſiquidem duae voluntates & intentiones non formaliter contrariae ſunt, ſed materialiter, quia miniſter errat in materia, dum putat eccleſiam Romanam non eſſe catholicam. Quemadmodum hae duae propoſitiones: omnis numerus denarius eſt par, &: non omnis numerus denarius eſt par, formaliter opponuntur, ideoque neceſſario vna alteram tollit. Hae autem duae: omnis numerus denarius eſt par: iſte numerus, quem manu tenes, non eſt par, formaliter non ſunt oppoſitae, licet materialiter forſitan opponantur, quia forte numerus, quem manu tenes, eſt denarius, quamuis is, qui propoſitiones pronuntiauit, putauerit non eſſe denarium, ideoque negauerit, eſſe parem. Sicut ergo, qui duas propoſitiones formaliter oppoſitas pronuntiat, per vnam alteram tollit: ſic qui duas habet intentiones formaliter contrarias, per vnam ita alteram impedit, vt ex illa effectus ſequi non queat: & ſicut, qui duas propoſitiones materialiter tantum oppoſitas pronuntiat, non ita tollit per vnam veritatem alterius, quin ſemper credat, alteram eſſe veram. (Nam qui putans numerum denarium, quem manu tenes, non eſſe denarium, negat eſſe parem, non ideo non credit, omnem denarium numerum eſſe parem: ita qui duas intentiones tantum

ma-

materialiter oppoſitas habet, non ſic per vnam alteram impedit, quin ſemper effectus ſequatur intentionem generalem.) Nam ſicut ille, qui negat, eum numerum, quem alter tenet, eſſe parem, non abſolute negat, ſed hac conditione, ſi non eſt denarius, ſed ſeptenarius, vt eius fert opinio: ſic, qui non vult facere, quod facit eccleſia Romana, ſed quod Gebennenſis, non abſolute negat, ſed hac conditione, ſi Gebennenſis eccleſia catholica, Romana haeretica eſt, vt ipſe arbitratur. Quare plus valet ad effectum intentio generalis faciendi, quod eccleſia catholica facit, quae abſoluta eſt ac ſine vlla conditione, quam ſpecialis, quae conditionem falſam coniunctam habet. Quod autem ſecunda illa cauſa non ſit, ex eorum formulis manifeſtum eſt. Adhibent enim in adminiſtratione huius ſacramenti materiam & formam, quam ſi non adhiberent, ſine controuerſia non baptizarent, quam quia adhibent, ſine controuerſia baptizant. Dicet tamen aliquis, pronuntiare quidem illos ea verba, quae nos formam baptiſmi vocamus, tamen non credere, eſſe formam baptiſmi. Reſpondeo, nihil intereſſe, quid ipſi ſentiant, quia illa verba non ſunt forma baptiſmi propter opinionem baptizantis, ſed propter inſtitutionem Chriſti. Quare ſicut baptizaret, qui non crederet, aquam eſſe materiam baptiſmi, modo baptizandi haberet intentionem, & aquam infunderet & verba recitaret: ita miniſter Caluiniſta baptizat, qui non credit, illa verba eſſe formam baptiſmi, modo intentionem neceſſariam habeat, & aquam infundat & verba pronuntiet: quod quia omnes Caluiniſtae faciunt, omnes credendi ſunt baptizare. Videamus, an tertia cauſa locum habeat. Profecto ſi falſa de forma baptiſmi opinio baptizantis nihil impedit, quo minus vere baptizet; multo minus falſa de effectu baptiſmi opinio baptizantis impediet, tanto, inquam, minus, quanto ad eſſentiam baptiſmi minus pertinet effectus, quam forma atque materia. Quod hoc ſimili confirmari poteſt. Sicut effectus baptiſmi eſt, ſoluere baptizatum, id eſt, remittere illi peccata: ita effectus iuramenti eſt, ligare & obſtringere iurantem. Theologi autem omnes docent, ſi quis iuret,

habens intentionem vere iurandi, ſed ſimul habens intentionem non obligandi ſe per iuramentum, eum nihilo minus ſe obligare, quia obligatio iuramenti non pendet ex opinione aut ex intentione iurantis, ſed ex ipſa iuramenti natura. Ergo & qui baptizat, habens intentionem vere baptizandi, quam certe habent Caluiniſtae, licet non habeant intentionem remittendi peccata, vere baptizat & vere peccata remittit. Quod ſi auctoritate perſonarum aeſtimanda res eſt, negare non poſſum, multos eſſe & graues & doctos viros, qui partem alteram tueantur, ſed ego eccleſiam ſequor, quocumque me illius pondus inclinat. Haec mihi omnium auctorum inſtar eſt. Accedit, quod haec mea ſententia ſuos habet defenſores, & quidem neque paucos nec indoctos. Haec argumenta pluris apud me ſunt, quam ea, quae in partem contrariam attuli ſuperius. Quae omnia tum, cum in ſcholis meis publice diſputarem, ſatis mihi videor refutaſſe atque diſſoluiſſe: ſed nunc ideo ſolutiones praetermitto, quia non iam cum auditoribus meis, vt eos doceam, ſed cum viro grauiſſimo atque doctiſſimo, vt ab eo diſcam, mihi res eſt. Cui non explicare vtriuſque partis, ſed numerare oportet argumenta. Sunt qui hac conditione pacem a me petant, cum ſibi his rationibus victi eſſe videantur, vt illis ſaltem concedam, ſub conditione baptizandos eſſe eos, quos a Caluiniſtis baptizatos eſſe conſtat. Ego vero ne hanc quidem conditionem illis concedo. Cur enim, inquam, conditionem adhibeatis? Quia, inquiunt, de baptiſmo dubitamus. Cur vero dubitatis, de quo eccleſia docet non eſſe dubitandum? At res redditur ambigua magnorum virorum diſceptatione. Iſto quidem modo ſemper haeretici ſuo quodam iure exigerent a nobis, vt aliquid earum rerum, in quibus a nobis diſſentiunt, ipſis concederemus. Quod ipſi altercando res alioqui compertas dubias reddidiſſe videantur. Haec ſunt Illuſtriſſime Domine, quae mihi, vt ad te ſcriberem, occurrerunt. Quaeſo D. V. R. vt ſi quando ea humanitate, qua ſaepe iam ad me ſcripſit, aliqua de re ſcriptura ſit, hac de re maxime ſcribat. Nomen eius auctoris, quem ſupra citaui, in mentem

tem non venit, neque librum ad manum habui. Caeteris de rebus ſcio virum nobilem & diligentem Petrum Coſcam R. D. veſtram facturum eſſe certiorem. Chriſtus Dominus D. V. Illuſtriſſimam diu incolumem conſeruet, & ſua ſanctiſſima gratia & donis diuinis ſuis locupletet. Amen Pariſiis tertio Nonas Octobris 1568.

CCXL.

Bilia Hoſio.

Se Auguſtanae confeſſionis conceſſioni, ab Auſtriacis deſideratae, omni ſtudio in Caeſaris aula intercedere.

Cum ſcripſiſſem ſuperioribus diebus D. veſtrae Illuſtriſſimae de petitione hic facta Confeſſionis Auguſtanae, pro cuius conceſſione vrgent hi prouinciales nunc Caeſaream Maieſtatem, ſane in tempore non multo poſt ad me venerunt de hac confeſſione litterae ſuae, cum ſcriptis quoque in eodem argumento. Viſa mihi propemodum eſt D. V. Illuſtriſſima diuinare ea, quae apud nos hoc tempore tractarentur. Neque opportune magis poteram huiuſmodi ſcripta Caeſareae Maieſtati praeſentare, neque, vt ſpero, maiore cum vtilitate catholicae veritatis. Oſtendam igitur quamprimum, & exemplum Caeſari tradam, alterum quoque mittam Sanctiſſ. D. noſtro. D. V. Illuſtriſſimae nomine Maieſtatem ſuam diligentiſſime ſalutabo. Vtinam haec ſua optima mens & labores ſuſcepti pro vera fide aliquid huic cauſae noſtrae hic etiam afferant adiumenti. Res eodem loco ſunt, quo erant, cum ſuperiores litteras ad eam ſcriberem. Laboratur vehementer. Neque ego induſtriae, vigilantiae, aut vllis debitis & opportunis officiis parco. Clamo, omnibus conſpirationibus in ea re me oppono, quantum ingenio, quantum viribus aſſequi poſſum, id omne in diſturbanda conceſſione hac pono. Cum vero integra negotiatio ad diem ſancti Martini differa-

feratur, nihil videmus interea prouideri poſſe, quod non caueatur. Res ſita cum ſit in vnius Caeſaris poteſtate, id vnum dat nobis praecipue curandum, vt bonae ſuae Maieſtatis menti auxiliemur, ne a perfidis & impiis hominibus labefactetur. Atque in eo quicquid promoueri poteſt, cum intelligat Sanctiſſimus D. noſter ſuis litteris & monitis, meiſque aſſiduis officiis praeſtari poſſe, fortaſſe Illuſtriſſimum Cardinalem Commendonum, qui huic legationi deſtinabatur, amplius mittere ſuperſedebit. Praeſertim cum multae magnaeque cauſae ſint, quae Sanctitatem ſuam a miſſione legati valeant diſſuadere. Atque illa praecipue, quod hae tot dierum & menſium futurae ſint tractationes, vt maiore fortaſſe feſtinatione non egeant, curandumque potius ſit, vt Babylonicum illud aedificium, quod ſtruere atque erigere conantur haeretici homines, aut operis intermiſſione corrumpatur, aut longiſſime differendo, vetuſtate ipſa conteratur. Faxit Deus, vt confuſione, qua coeperunt ſtructores ipſi occaecari, deſeratur. Neque haec ſpes nos deficit, vt iam antea D. veſtrae Illuſtriſſimae ſcripſeramus. Confirmet eam nobis ipſa re Ieſus Chriſtus Dominus noſter, & ſeruet diutiſſime incolumem D. V. Illuſtriſſimam.

De bello, quod nunc in Belgarum finibus geritur, nihil fere noui, quod ſcribamus, habemus: niſi fuiſſe hic legatos ab Electoribus omnibus, & ab aliis Principibus Imperii, qui petierunt a Caeſare, vt negotium ſuſciperet ſibi componendi tumultus illos, qui fere omnem Germaniam commouerent: curaretque, vt arma ab exercitibus ponantur, & res Flandriae quieſcant. Quod pollicita eſt Maieſtas Caeſarea, ſe curaturam, ob eamque cauſam Sereniſſimum fratrem ſuum Archiducem Carolum in Hiſpanias mittere decreuit, qui ſe illi itineri committet XXV. huius menſis, vt animum regis catholici molliat, inducatque ad res Flandriae componendas. Mittit etiam interea Caeſar Commiſſarios ſuos vna cum Commiſſariis Principum Germanorum ad exercitus, qui prouideant, vt pars vtraque ab armis diſcedat. Conuenient hi omnes Commiſſarii in Treuiris ad diem ſancti Martini.

ni. Inde in vtraque caſtra coniunctim pergent. Spes eſt, milites & duces ipſos mandata Caeſaris non obtrectaturos. Quod reliquum eſt, D. V. Illuſtriſſimae me meaque omnia ſeruitia humiliter offero & officioſiſſime commendo. Viennae XVII. Kal. Nouemb. MDLXVIII.

CCXLI.

Alanus Copus Hoſio.

Biblia Complutenſia comparata cum iis, quae Philippi regis ſumtibus Ariae Montani ſtudio imprimeret Plantinus, minuta viſum iri.

Literae tuae Kalendis Auguſti mirifico animi candore & beneuolentia conſcriptae, ingenti me gaudio tripliciter perfuderunt. Primum autem, quod meam in reſpondendo tarditatem non reprehenderis; deinde vero, quod exſpectationi tuae de aduentu meo non eſſe ſatisfactum tam aequo animo tuleris: poſtremo quidem, quod de praeclara tua erga me animi propenſione nihil inde deceſſiſſe teſtatus fueris. Quae ego ſingula pro ſingularibus beneficiis accipio, eiſque ſic afficior, vt hinc me hominem plane fortunatum exiſtimem. Tibi igitur hoc nomine & de pecuniis, quas mihi iampridem numeratas fuiſſe ante ſignificaui, gratias immenſas ago. Sanderus vero tuus Martham quidem, vt ſcribis, agit, ſed ita tamen, vt Mariae partes, quas potiores eſſe nouit, nequaquam deſerat. In cuius rei argumentum prodibit breui, vt ſpero, volumen ab eo in defenſionem religionis contra Heshuſium elucubratum, quod typographus iam habet excudendum. Plantinus regis Philippi ſumtibus coepit elegantiſſimis characteribus imprimere ſacroſancta Biblia Hebraice, Chaldaice, Graece & latine. Regale ſane opus & Philippi magnificentia dignum. Complutenſis enim editio, quae per ſe quidem

dem praeclara admodum eſt, ſi cum hac comparetur, videbitur mediocris, vel potius minuta. Nam praeter egregiam literarum formam & varietatem, qua haec longe praecellit, nonnulla in illa deſiderata, in hac adiicientur, & quae ibi depraua ta ſunt, hic in integrum reſtituentur. Ne quid autem erroris rerum vel idiomatum imperitia obrepat, huic editioni praefectus eſt Benedictus Arias Montanus, Theologus omnibus literis inſigniter excultus, & plurimarum linguarum cognitione excellens; cui Rex ex Hiſpania Antverpiam huius rei gratia miſſo eam prouinciam delegauit. Sed cum Mars nunc in his regionibus incipiat fremere, & interturbare omnia, verendum eſt, ne in tanto armorum ſtrepitu ingratum Muſis ſilentium imponatur; & tam praeclarum opus aliqua ſaltem ex parte retardetur. In armis enim ſunt Dux Albanus, & princeps Aurengiae, ille vt tueatur prouincias regis Philippi, hic vt Albanum de ſtatu deiiciat. Vterque exercitum numeroſum magnis equitum & peditum copiis inſtructum habet; ſed Albanus vt aequitate cauſae, ita apparatu bellico, & rei militaris peritia, rerumque geſtarum gloria ſuperior habetur. Alter in alterius conſpectu eſt, captaturus opportunitatem rei bene gerendae. Sed lente hactenus proceditur. Nunc haerent in agro Tongrenſi ad decimum octauum circiter milliare Italicum hinc diſſito. Varii vtrinque rumores feruntur, ſed plerumque incerti atque fabuloſi. Velitares aliquot pugnae commiſſae ſunt, in quibus mille quingenti hoſtium ceciderunt, ſed ex noſtris pauciſſimi deſiderati. Aurengius fertur laborare inopia pecuniarum atque frumenti, & proinde leuioris armaturae equites emittere ad corradenda vndique omnia, vi, furto, rapina, ſacrilegio. Non parcunt iſti emiſſarii, ne ipſis quidem aris: quicquid illis occurrit, in lucrum cedit. Sed dum recurrunt, nonnunquam intercepti poenas iuſtas luunt: quemadmodum nuper manus non parua eiuſmodi praedonum fuit interfecta, & centum viginti plauſtra onuſta partim alimentis, partim templorum ſpoliis ex eorum manibus erepta. De rerum exitu ſumus, pro eo atque debemus, ſoliciti;

& vi-

viuimus in ſpe contra ſpem: quae in tam iuſta, honeſta & pia iuſa non videtur nos confuſura, niſi peccatis noſtris, quae innmera ſunt & ingentia, huc vrgentibus, & vindictam diuinam flagitantibus. Deus igitur optimus maximus omnibus votis & ecibus orandus atque obteſtandus eſt, vt ex infinita miſericora ſua Eccleſiae iam fluctuanti, & omnibus Satanae machinis vnque oppugnatae propitius adeſſe velit, & nos miſeros peccatos clementer reſpicere in vmbra alarum ſuarum ſperantes, doec tranſeat iniquitas. Vale XIII. Kalend. Nouemb. Anno D. 68. Louanio.

CCXLII.

Miskovski Hoſio.

Se neutiquam conſpirare cum Gedanenſibus.

Heri famulus Illuſtriſſimae P. veſtrae ad nos venit, ego autem tantum temporis hodie non habui, vt literas Illuſtriſnae P. veſtrae poſſem legere regiae Maieſtati. Dixi tamen mmatim, quid iis contineretur, & quid de bonis Tolkmitenſiis ab Illuſtriſſima P. veſtra peteretur. De quo ipſo ne reſponm quidem a Maieſtate eius tale habui, quale res ipſa deſiderabat videbatur. Id adeo inde factum eſt, quod dominus Radoſki indies vel potius in horas hic expectetur, qui de his & de nnibus, quae iſtic acta ſunt per ipſum, faciet regiam Maieſtam certiorem. Quicquid eius factum eſt, ſcio ante comitia cidi non poſſe. Neque enim haec cauſa Capituli Illuſtriſſimae veſtrae ſingularis eſt; ſunt multae ac propemodum infinitae iſdem generis, quarum altera ſine altera nec cognoſci nec iucari, neque in hanc aut in illam partem decidi poteſt. In cotiis Illuſtriſſima P. veſtra cauſae non deerit. Ego quod poteporro, id omne ſtudioſe faciam atque diligenter. Sed ne illa

quidem, de qua Illuſtriſſima P. veſtra quaerit, Elbingenſium cauſa ad feſtum Martini cognoſcetur, prolatis, & vt vocant, limitatis cauſis omnibus ad feriam vſque ſecundam poſt feſtum purificationis. De commiſſariis noſtris iſtuc deſignatis celatam ſe eſſe, nec mirari debet Illuſtriſſima P. veſtra, nec dolere. Ego quoque, qui hic adfui, & qui in aula quartas an ſextas tenere videor, de rebus eiuſmodi celatus ſum: ſi modo celari eſt, quod noſſe non cupias, id ignorare. Antea vulgo audiebam, nauigio Wladislauiam diſcedere principem commiſſionis, quem ego initio, vt priuatum, ad praedia ſua ire exiſtimabam. Tum neſcio quid de legatione Gedanenſi ſuſurrari eſt coeptum, ex quo ego coniiciebam, aliquod liberae legationis genus impetraturum illum eſſe, vt cum Gedanum in dioeceſin ſuam iturus eſſet, veniret non ſolum vt epiſcopus, ſed etiam vt regiae Maieſtatis legatus. Ecce autem, cum poſtridie fere nauigium conſcenſurus iam eſſet, vt diſcederet, orto ſermone, caſu an de induſtria neſcio, in ſenatu de Gedanenſibus, inprimis autem de affectis per eos extremo ſupplicio aliquot ſpeculatoribus maris, menſibus paulo ſuperioribus, rogamur derepente ſententias, ex quibus commiſſio illa non nata quidem (iam tum enim fabricata fuiſſe dicitur) ſed tamen eſt confirmata. Eam ego ne hactenus quidem vidi, niſi quod eam a Pruſſis accuſari vt inuſitatam, vt horribilem, vt intempeſtiuam, vt legibus & conſtitutionibus contrariam; a noſtris contra, vt legitimam, vt neceſſariam defendi audio. Sed ipſam, vt dixi, non vidi. Factum id ſtudio bonorum virorum quorundam, & mihi amiciſſimorum, a quibus etiam conſpirationis, ſi diis placet, cum Gedanenſibus tacite inſimulor, quaſi ii in rebellione neſcio qua & conſilium meum ſequantur, & nitantur auctoritate: quam rem ne in mentem quidem venire mihi vnquam ſum paſſus. Sed ſpero, & innocentiam meam palam fore & fructum eorum legationis: quae vtinam reip. bene vertat. Quanquam cum Ieſcas iſtos reſpicio, quorum conſiliis inprimis geri haec videntur, magnopere metuam, ne aliquid dent mali, homines fide fracta, religione ſuſpecta, improbitate

bitate certa, ad Ziſcas illos Boemos cum nomine, tum factis etiam proxime accedentes: qui monaſteria etiam occupare, iuſtis erepta poſſeſſoribus velle dicuntur. A quorum conſiliis & abeſſe me, & ab initio abfuiſſe, maiorem indies fructum capio. Ex iis enim, quae Elbingae acta eſſe, ex famulo Illuſtriſſimae P. veſtrae didici, cauſam adhuc habeo nullam, cur me velim eorum conſiliorum auctorem, aut ſaltem participem perhiberi. Exemplum Gedanenſium literarum ad Illuſtriſſimam P. veſtram vidi, reſponſi exemplum ab illa non vidi. Interim Germanica ſcripta, quae ad me miſit, referri mihi iuſſi. Audita ſunt hic aliquanto ante eadem iſta: quae tamen omnia noſtri pro inanibus terriculamentis ducunt. Hic literas veſtras comitiales ſcribimus. Conuentus vobis ad IIII. Decembris Thorunii indicitur, quo peracto, ad comitia regni noſtri Lublinum veniatis ad XXIII. eiuſdem menſis diem. Praeterea noui eſt nihil. Bene valere Illuſtriſſimam P. veſtram cupio, eique obſequium meum commendo. Datum Varſouiae die quarta menſis Nouembris. Anno domini MDLXVIII.

Illuſtriſſimae P. V.

addictiſſimus ſeruitor

P. Miskowski.

CCXLIII.

Lombardus Hoſio.

Poſt multa literaria enarrata gaudet, Pium IV. concilii Tridentini theoretica curaſſe, Pium V. curare practica.

Diu eſt, hoc eſt, a primo Pii V. pontificatus anno, quod non habui literas a D. V. Illuſtriſſima, & quid in cauſa ſit, ignoro. Quapropter rogo D. V. Illuſtriſſimam ne, vt ſolita

eſt, tam iuſto deſiderio fraudet: & vt literarum lectione abſentiae triſtitiam mulcere quoquo modo valeam. Scribo nunc D. V. Illuſtriſſimae modo nacta occaſione Domini Laurentii Beli, qui anno 66 ſcripſit literas ad D. V. Illuſtriſſimam & queritur non habuiſſe reſponſum, imo ſummus pontifex interrogauit eum, num habuiſſet reſponſum? Itaque rogo & obſecro, vt dignetur ad illum rurſus ſcribere. Torrenſis ingreſſus eſt collegium Ieſu Romae, & ſe commendat D. V. Illuſtriſſimae quamplurimum. Die epiphaniae ſe obtulit domino cum tribus magis in holocauſtum. Aggreſſus eſt duos tractatus contra centuriatores. Alterum, quod epiſtolae Clementis, Anacleti, Fabiani & cum citant apoſtolorum traditionem, (quod) non mentiantur: alterum, quod earum epiſtolarum doctrina ſit Scripturis ſanctis conformis. Et hos tractatus citius in lucem praeſtabit. Manutius incumbit Breuiario nouo, & Miſſale edetur in lucem in paſchate. Marianus Reatinus, Hieronymi ſcholiaſtes, incumbit Bibliis, vt editio vulgata emendatior prodeat. Magiſter ſacri palatii vacat typographiae omnium operum D. Thomae, quae Romae imprimuntur. Illuſtriſſimus Sirletus aegrotauit menſibus ſuperioribus vſque ad mortem: nunc conualeſcit, & vere diſcedet ex vrbe verſus Scyllareum. Cardinalis Bobienſis ſeu Caſtilioneus aegrotat iamiam moriturus. Vitellius iterum, ſed videtur ſalutaris morbus. Quatuor Cardinalium mortem, vt puto, audiuit: nimirum Arae coeli, Simonettae, Saluiati & Saraceni. Quis eſt homo, qui non guſtabit mortem? Paſcha etiam & Vicecomes annis ſuperioribus defuncti ſunt. Id ſupereſt, Reuerendiſſime Domine, vt vigilemus omnes. Sic docet veritas in Evangelio, ſic experientia καθ' ἡμέραν teſtatur. Caeſar Ferrantius eſt vnus ex familiaribus Papae, & gerit vices Magiſtri ſacri palatii, dum in Capella Paulina legit pſalmos poenitentiales a prandio. Certe gaudere debemus ſub tanto paſtore, qui curat, quae Dei ſunt. Roma ſiquidem ſatis diuerſa ab illa, quae delitiis affluebat vanitatis, nunc vere ſpirat odorem ſanctitatis: & Hermenettus noctu diuque (is enim eſt oculus pontificis) inuigilat, vt diſciplina eccleſia-

cleſiaſtica vigeat, vt clerici & epiſcopi agnoſcant partes ſuas, vt familia Cardinalium ſobrie, caſte & iuſte viuat: & laudetur Deus, quod quarto, ſub quo abſolutum eſt concilii θεωρητόν, ſucceſſerit quintus, qui abſoluit τὸ πρακτικόν. Iul. Pogianus poſt diem - - - - - - - obiit: ſe ſemel illis comitem praebuit. Is enim verterat olim Chryſoſtomum περὶ τῆς παρθενίας. Et Card. Carafa curabit propemodum Nazianzeni apologeticum in lucem edi. Salmaronus Neapoli degit, & anno ſuperiore legit quinque capita Geneſeos. Hoc anno leget vſque ad paſcha mortem dominicam, & deinde reſurrectionem ſuper verbis Ioannis: egreſſus trans torrentem &c. Reuerendiſſimus Aſſafenſis Romae eſt in eccleſia ſancti Sylueſtri cum clericis regularibus: & mox erit futurus vicarius D. N. in eccleſia S. Ioannis Lateranenſis. Haec ſunt, quae habui vt ſcriberem D. V. Illuſtriſſimae, rogo vt curet bene valere in Domino, & me, vt facit, amet. Ex vrbe, domo Card. Sirleti, die S. Martini τῇ ἐπισκόπῳ γαλλικῇ M. D. LXVIII.

CCXLIV.

Card. Commendonus Hoſio.

Deum Caeſaris animum mutaſſe, nolentis iam Auguſtanae confeſſionis exercitium concedere; Corruptis cleri moribus, difficilem eſſe reformationem.

Ita fui occupatus hiſce diebus, ita vero oppreſſus dolore & metu inſtantis pene rerum omnium ruinae, vt quid iam amplius facerem, prorſus neſcirem. Aderant ab haereticis euocati ex media Saxonia Lutherani homines. Caeſar de ſuis quibuſdam negotium dederat, vt cum his conuenirent: de ritibus, qui colendi, de ſacris ceremoniis, quae tenendae, quaeue reiiciendae eſſent, pro arbitrio ſtatuerent, nouum ſcilicet religionis mon-

ſtrum conflarent, rem, cuius vel cogitatione terreor. Ad haec inſtabat Caeſaris diſceſſus, ad habendum Lintii ſuperioris Auſtriae conuentum, in quo eadem illis populis polliceretur, quae Viennae his detulerat, deque ea ſententia dimoueri ipſe non poterat, hoc conſilium vtile fore catholicae religioni, & permiſſa Confeſſione Auguſtana facile expulſas iri reliquas haereticorum ſectas. Nihil vnquam acerbius, nihil perditius tractaui. Quae mearum partium fuere, quantum potui diligentia & aſſiduitate conniti, nihil equidem praetermiſi, & in Caeſare admonendo deterrendoque ab incepto plane fui liber. Sed demum quotidianis ſacrificiis & obſecrationibus, & aliorum piorum hominum de hoc a me rogatorum precibus placatus eſt Deus, & Caeſari meliorem mentem dedit. Cum enim illum eſſem obteſtatus, vt de re non humana conſilium a Deo expoſceret, eius numen opemque in tantae rei deliberatione imploraret. Nudius quartus venienti mihi ad ipſum, feciſſe ſe, quod hortatus eſſem, dixit, & quod conſilium optimo animo atque vtile putans ſuſceperat, idem, quando ſic ſibi monſtraret Deus, pari quoque animo depoſuiſſe. Haec verba factis ante comprobauerat. Nam Saxones, qui colloquii ſpe huc erant accerſiti, miſſos fecit, & vocatos ad ſe Prouinciales ſuos domum redire iuſſit: id ego totum continuo Sanctiſſimo D. N. per diſpoſitos equos ſignificaui, de quo D. quoque V. Illuſtriſſimam participem habere volui. Benedictus Deus, qui tantam ab eccleſia tempeſtatem pro ſumma ſua clementia auertit. Dominationis veſtrae Illuſtriſſimae epiſtolam 28 octobris ad regis oratorem miſſam legi, & mihi illam ſcriptam putaui. Reſtat mihi negotium reformationis, difficile & hoc, tanta temporum prauitate, & tam corruptis cleri moribus. Sed ſperandum in ſpem contra ſpem. Certe vna haec eſt medicina huius morbi propria. De hoc quoque quid agetur, faciam D. V. Illuſtriſſimam certiorem, quam ego vt Reuerendo D. Cremero, ſi apud ſe eſt, ſalutem dicat a me plurimam. Viennae die XX. Nouembris 1568.

ANNO-

ANNOTATIO.

Ioannes Franciſcus Commendonus, cuius maiores Germani fuiſſe dicuntur, natus eſt Venetiis anno 1523. Cardinalem creavit Pius IV. anno 1565. Obiit iem ſuum Romae anno 1584. Vixit annos 61. novem menſes, dies octo, vir itra controverſiam praeſtantiſſimus, natusque legationibus obeundis. Vitam ius poſt alios deſcripſit Antonius Maria Gratianus, cuius vltima editio Patavii ano 1685. typis Frambotti prodiit.

CCXLV.

Paulus Zaiexckowski Hoſio.

Cardinalium quorundam obitum notum facit, et noua alia narrat.

Poſt perpetuae ſeruitutis meae humillimam commendationem Remittit aliquantum fortuna ex hoſtili ſuo aduerſus eccleſiam catholicam animo: armaque haereticorum infeſtiſſima, noſtris deſideriis inflectit. Nam quo die ſcripſeram ego Illuſtriſſimae Celſitudini veſtrae, catholicorum conatus anguſtiis plurimis conſtrictos fuiſſe: eodem (13. huius) adueniente nocte Flandria nuntium iucundum in vrbem attulit; ſupra 3000. milia haereticorum iſthic cecidiſſe certo creditur. Inſuper Vraniae Princeps, qui deſperatorum hominum multitudine fretus prouinciam totam ſibi pollicebatur, ac aliquot iam territoria hoſtiliter diripuerat, animo concidiſſe tantum dicitur, vt retro, quo venit, ſi tuto poſſet, abiturus vltro putetur. Habuit quoque literas Illuſtriſſimus Card. Au. de filio Ducis Albenſis, quod ante dies hos paucos cum iuſto exercitu pecuniaque non exigua in Flandriam peruenit.

Gallia per tot annos haereticorum furore vaſtata, diruta, feeque deleta, fortiter haereticis reſiſtere perfertur. Nam 18. huius allatum eſt huc nuntium de caeſis ad millia tria haereticis, qui

qui ex multis prouinciis collecti, cum ſeſe Goudenſis Ducis exercitui adiungere cuperent, ab exercitu regis, omnes tranſitus impediente (quemadmodum ante ſcripſeram) excepti ſunt. Audent multi, certum illorum numerum nominare, quod ego quoque in literis Illuſtriſſimi Cardinalis legi, affirmantque, 35 ordines illorum ſub ſignis militaribus fuiſſe, ad haec equitum aliquot turmas. Haec omnia deleta, fugata, diſperſa, ſigna militaria ad regem relata eſſe, nuntiantur. Nec id quidem temere dubitari poteſt. Nam vt primum hoc nuntium ad oratorem regis perlatum eſt: ipſa nocte iam media ſummo Pontifici referre illud properauit. Res igitur nunc catholicae reſpiraſſe creduntur: quae vt portum quietis perpetuae habere poſſint, orationibus hominum piorum id ab omnipotenti Deo ſummus pontifex impetrari cenſuit. Itaque perſcribens orationum modum abſolutum indulgentiarum in totum orbem perferri mandauit: quarum & ego exemplum Ill. Celſ. veſtrae mitto. Vrbis noua propemodum alia nulla ſunt, quam virorum clarorum immaturi obitus. Hac ſeptimana Cardinales duo Caſtillion. 15 huius, Vitellocius 18 noctis circiter hora I. in domino quieuerunt. Adminiſtratio theſauri (dignitas ampla) poſt Cardinalem Vitellocium ad Illuſtriſſimum Cardinalem Alexandrinum fauore pontificis peruenisſe dicitur. Sed is, quod retinere onus hoc non cogitet, Illuſtriſſimis Cardinalibus Sfortio & Vrſino curam ſtudioſam peperiſſe videtur, dum vterque, vt a Cardinali Alexandrino habere poſſit pretio ſolito grandius, maximopere contendit. Reuerendiſſimus Dominus Michael Comes de Turre epiſcopus Carnadenſis ante dies aliquot in vrbem venit, ac apud Illuſtriſſimum Cardinalem Auguſtanum diuertit. Hunc ego Illuſtriſſimae Celſitudinis veſtrae nomine viſitaui, quod ita fieri Ill. Card. Auguſt. mandauerat: eratque haec illi ſalutatio gratiſſima. Commendari voluit meis litteris obſequia ſua Ill. Celſ. veſtrae, quod ſuis etiam facere decreuerat, niſi multis occupationibus impeditus fuiſſet. Altera ſeptimana Ill. Celſ. veſtrae ſcribet. Ego non diuino, ſed homines multi futurum illum Cardinalem ad feſtum natiuitatis Domini

mini credunt. Mitto praeterea Ill. Celſ. veſtrae litteras, quae ad me datae ſunt a Reuerendiſſ. Domino Laurentio. Quod ſupereſt, ſeruitutem meam perpetuam Ill. Celſ. veſtrae clementiae ſummiſſiſſime commendo. Quam vt omnipotens Deus incolumem diutiſſime conſeruare dignetur, ſupplex oro.

Illuſtriſſimi Domini Cardinales Auguſtanus & Sirletus obſequentem ſalutationem Ill. Celſ. veſtrae me ſcribere mandauerunt. Roma d. 20. Nouembris anni 1568.

CCXLVI.

Patricius Hoſio.

Quicquid feciſſet, iuſſu regis feciſſe.

Graui procella percuſſus ſum litterarum Illuſtriſſimae P. V. quod quanto meo merito acciderit, ipſi Illuſtriſſimae P. V. aeſtimandum relinquo. Quid enim peccaui, niſi quod reddendis Maieſtati regiae ipſius litteris, morem illi geſſi, & quod de his, quae tunc ibi fiebant & dicebantur, pro mea erga illam obſeruantia, certiorem illam feci. Ego vero vereor, ne id etiam, quod nuper ad illam exemplum cuiuſdam epiſtolae miſerim, quae de finibus controuerſis, nomine regiae Maieſtatis, ad ipſam eſt perſcripta, in aliquam ipſius reprehenſionem incurrat: quod ipſum tamen ab eadem mea erga illam obſeruantia profectum fuit. Quae ſi reprehenſionem meretur, haud ſcio, quidnam ſit, quod vllam commendationem mereri videatur. Sed ego, qui accuſanti Illuſtriſſimae P. V. excuſare me ipſum non audeo, excuſatione interim nulla vtar, nec factum meum contra illam tuebor aut defendam, rationes tantum, quibus adductus id fecerim, breuiter exponam. Primum omnium feci iuſſu & mandato Reuerendiſſimi domini mei, qui mihi negotium reddendarum & ſermone meo proſequendarum Illuſtriſſimae P. V.

litterarum diligenter admodum per litteras ſuas commendabat. Deinde feci etiam iuſſu & mandato regiae Maieſtatis, quae cum me cauſam Illuſtriſſimae P. V. tam diligenter apud ſe tueri animaduerteret, ſuam quoque apud Illuſtriſſimam P. V. agi per me voluit: id quod ego mihi tamen admodum modeſte faciendum eſſe exiſtimaui, vti epiſtola ipſa mea luculenter atteſtatur. Poſtremo vero etiamſi nullum cuiuſquam mandatum intercederet, meae tamen profecto obſeruantiae erga Illuſtriſſimam P. V. eſſe iudicabam, vt in abſentia Reuerendiſſimi domini & partes Illuſtriſſimae P. V. quoad poſſem tuerer, & quid aut quantum profecerim, ad illam perſcriberem. His igitur cauſis adductus feci, quae feci. Nunc quod mortuum & ſepultum Chriſtum attinet, quod ſcripſi, ſcripſi non quaſi denuo aut mori aut ſepeliri Chriſtum vellem, quem potius viuum regnare in animis omnium fidelium votis omnibus & ſuppliciis ardentiſſime concupiſco, ſed quod id ad mitigandum dolorem Illuſtriſſimae P. V. ſi quem tamen forte ex edicto ſummi praetoris prohibitorio concepiſſet, pertinere aliquo modo exiſtimarem, ſi meminiſſet, his eiuſmodi edictis non tam obſcurari quam illuſtrari gloriam filii Dei, inuitis etiam, vt ipſa ſcribit, omnibus inferorum portis; non minus ſane, quam triduum illud, quo Chriſtus extinctus & cum veſtigio ipſo ſublatus de medio eſſe videbatur, gloriam ipſius & illuſtrauerit & per totum terrarum orbem diffuderit. Itaque Illuſtriſſimam P. veſtram non tam, vt Chriſtum ſepultum adhuc eſſe pateretur, inuitabam, quam vt interea, dum is in ſumma iſta religionis & temporum noſtrorum perturbatione ſepelitur, glorioſam ipſius reſurrectionem laeto animo expectaret, triduumque hoc (quid ſunt aliud enim viginti anni in conſpectu Domini, niſi tanquam dies heſterna, quae praeteriit?) dominum ſuſtineret, quantum ratio illius temporis ferebat, admonebam. Etenim hodieque noſtris iſtis temporibus & eſurire Chriſtum & ſitire & algere & vinctum eſſe & pati &, quanquam ſemel ex mortuis reſurgens amplius reuera non moritur, quotidie tamen in membris ſuis quodammodo mori, eundemque exurgere

urgere & de hoſtibus opima ſpolia referentem triumphare, ex ſacris litteris didiceram: vt nulla plane verecundia prohiberer, eiuſmodi ſepulturae & reſurrectionis eius facere apud Illuſtriſſimam P. V. mentionem: quae mihi omnia non ex aulicae neſcio cuius theologiae ſcriniis, vt nonnulli interpretantur, ſed ex intimis & Illuſtriſſimae paternitatis veſtrae notiſſimis ſacrarum ſcripturarum penetralibus, deprompta videbantur. De quibus tamen aliud eſſe hoc tempore Illuſtriſſimae P. veſtrae iudicium, ſane ſum demiratus. Sed quicquid eius eſt, quod ad me ſcribit hoc tempore Illuſtriſſima P. veſtra, aequi boni facio, quam ſcio ſermones illos regiae Maieſtatis, inambulationes illas, flammas illas non ſenſiſſe, quas ſenſerunt ii, qui ad Illuſtriſſimam P. veſtram de ſepultura & reſurrectione Chriſti perſcripſerunt. Tu ſi hic ſis aliter ſentias. Commendo obſequia mea Illuſtriſſimae P. veſtrae, quam optime valere cupio. Datum Poltouia 17. Decembr. 1568.

CCXLVII.

Auguſtanus Hoſio.

Laetatur Lublinenſium comitiorum felici exitu.

Me Illuſtriſſimae D. veſtrae litterae ſemper mirifice delectant, non ſolum, quia grauiſſimis verbis, ſententiis ac rebus pleniſſimae ſunt, ſed etiam, quia ſui erga me amoris magnitudinem, non ignotam illam mihi quidem, ſed tamen non propterea minus gratam iocundamque declarant. Vel quas proxime duas epiſtolas ad me dedit, quam grauiter, quam prudenter ſcriptae ſunt, quamque omnibus erga me beneuolentiae notis inſignes? Quarum quod in altera quae die ſecunda Ianuarii Heelsbergae data eſt, ſcribit, me ſingulari quodam erga ſe amore adductum, plus ei tribuere, quam quantum agnoſcere poſſit,

in eo modeſtiam & animi ſui moderationem recognoſco, qui dum debitas virtuti ſuae laudes non agnoſcit, maiorem quandam ſibi humilitatis laudem comparare ſtudet. Cauſas, quibus ſe impediri ſcribit, quo minus ad vrbem veniat, etſi maxime iuſtas eſſe video, non ideo tamen eius rei deſiderium meum imminuitur, ſed quotidie potius augetur: non eam quidem tantummodo ob cauſam, quod quae difficilius obtineri poſſunt, ea ardentius deſiderare ſolemus; ſed etiam, quia intelligo, quantopere conſilium & opera ſua ſummo Pontifici vtilis eſſe poſſit. Illud quoque ſuſpicor, propter iſtius regni mores tanta peruerſae religionis corruptela deprauatos Illuſtriſſimam D. veſtram ordinis ampliſſimi dignitatem in iſtis locis difficilius tueri. Quae vero cauſae quam multae, quam graues eam impulerint, vt ad iſtius regni comitia iſto anni tempore difficillimo, aetateque & valetudine tam affecta, ſibi omnino proficiſcendum eſſe ſtatueret, magno cum dolore cognoui, cui tamen nonnihil aſperſum eſt voluptatis, ex eo, quod de ſucceſſu rerum in Auſtria, de regis voluntate ad ſe allatum eſſe ſcribit; quibus rebus ſe ſperare ait, aliquanto minus in iſtis locis catholicae religioni periculorum imminere. Qua in re elogium illud charitatis, quod eſt apud apoſtolum Paulum, Illuſtriſſimae Dominationis veſtrae factum comprobauit. Quid enim non ſperet, quid non ſuſtineat charitas, quae ſupra aetatem, ſupra etiam vires, in homine affectae aetatis poteſt, ipſo deſiderii ardore, quaſi facibus quibuſdam admotis, frigeſcentes ſpiritus accendere, ſic vt neque laborem itineris, neque hyemis aſperitatem metuat. Quod autem mihi gratias agit, quod eius ſaepe memoriam renouem apud S. D. N. pro comperto habeat Illuſtriſſima D. veſtra, nullo me quam hoc officio fungi libentius, quippe qui in eadem re duobus, quibus maxime cupio ac debeo, vehementer me gratificari ſentio, D. V. I. quae a me hoc poſtulat, & ipſi S. D. N. cui eam quoque rem gratiſſimam accidere non ſemel perſpexi. Quid enim dicam mihi? cui nihil gratius, nihil iocundius eſſe poteſt, quam cum ei operam quantulamcunque meam nauare licet. Sed (quantum video) neque meis neque vllius apud S. D. N.

D. N. indiget officiis. Eam enim habet Sanctitas ſua de Illuſtriſſima D. V. opinionem multis illius & egregiis virtutibus ſuſceptam, vt neque de ea honorificentius ſentire neque amantius loqui poſſit. Atque vtinam ipſa, haec, quae ſcribo, praeſens potius cognoſceret. Non enim ſolum in Pio V. Paulum ipſum (vt ait) ſpirantem videret, ſed etiam in illius vultu paternae erga ſe indicia beneuolentiae expreſſa cerneret. Caniſius noſter Roma iam profectus eſt, Deique verbum magno cum fructu Auguſtae praedicat. Andream Triceſium, quem nobilem adoleſcentem ad vrbem venturum fuiſſe ſcribit, quemque mihi ſuis litteris commendat, libentiſſime vidi, cui libenter commendatione ſua adductus, quaecunque potui, officia, praeſtiti, ſemperque praeſtabo. Venio nunc ad alteram breuiorem epiſtolam, ſecunda Martii die Lublini ſcriptam, in qua quod queritur, ſe iam diu nullas meas litteras accepiſſe, ſciat Illuſtriſſima D. V. me omnibus eius ſemper litteris reſpondiſſe: quod autem mihi gratias agit, quod virum mihi a ſe commendatum propriis manibus epiſcopum conſecrauerim, ego vero id libenter feci, tum quia ipſum virum bonum & catholicae religionis ſtudioſum cognoui, tum etiam teſtimonio ſuo adductus, cui fidem eam tribuo, quam debeo. Magna vero animi laetitia ex eadem epiſtola dupliciter affectus ſum, & quod Illuſtriſſimam D. V. Lublinum ad comitia regni incolumem perueniſſe cognoui, & quod in eis comitiis nihil earum rerum, quas timuerat, non modo actum iri, ſed ne cogitari quidem ſcribit. Qua de re omnipotenti Deo gratias ago, qui quos caſtigare peccantes tot tantorumque malorum peſte voluit, eos procul dubio tanquam bonus paſtor tacendo occidere noluit. Illuſtriſſimam D. veſtram diu bene valere opto. Datum Romae IIII. Calend. Aprilis MDLXIX.

CCXLVIII.

Bilia Hoſio.

Maximilianum II. non admiſſurum haereticorum petitiones.

Cum litteris D. V. Illuſtriſſimae datis 19 huius menſis illas quoque accepi, quae ſcribuntur ſibi a Reuerendiſſimo Nuntio Hiſpaniarum. Fuit gratum intelligere perſpectiſſimam & laudatiſſimam voluntatem regis catholici erga religionem catholicam, hoc eſt digniſſimam ſuo nomine. Oſtendam litteras eaſdem Caeſari, cum primum mihi poteſtas erit Maieſtatem ſuam conueniendi, & D. veſtrae Illuſtriſſimae ſtatim remittam. Non eſt ab re huiuſmodi teſtimoniis Caeſareae ſuae Maieſtati confirmare de conſtanti religioſiſſimi regis pietate, quam & crebris ſoleo vſurpare ſermonibus cum ipſa, & eius exemplum ad imitandum proponere. Ad quae Caeſaris haec ſunt reſponſa; eademque nec inficior in multis me rebus etiam videre, & ipſa re vera experiri. Diuerſo in ſtatu res eſſe catholici regis, qui populos ſuos habet, praeter Belgas aliquos, qui nunc ſeditionem excitarunt, ab omni labe haereſum intactos; ac ſuae Maieſtatis, quae populos regit corruptiſſimos, cuique multa ſunt ferenda ab haereticis, vt paucos catholicos, qui in ſua ditione ſunt & imperio, cuſtodiat & conſeruet. Haec mihi ſaepe Caeſar repetiuit; qui quam perſtet in ſententia de non admittendis petitionibus haereticorum, qui in hac ciuitate conuenerunt, & de non tangendis rebus religionis, iam ante perſcripſi ad D. V. Illuſtriſſimam. Quam cum ex aliis intelligam breui eſſe Romam profecturam, ſane gaudeo vehementer. Non quin iudicem inuito animo diſtrahi eandem a dioeceſi ſua, in qua proficit tantum, & tantopere elaborat (cui tamen de integerrimo praefecto, iam ſcio, prouidebit, dum aberit) ſed quod maiorum operum perfectrix ad vtilitatem vniuerſae eccleſiae apud Sanctiſſimum D. N. tam di-

gna

gna & tam ſancta perſona erit. Ea quoque de cauſa non poſſum non confiteri, me ſuum ad vrbem aduentum non parum gaudere; quod patronum habebo apud Sanctitatem ſuam optatiſſimum, cuius patrocinio vtar in omnibus meis opportunitatibus liberaliſſimo. Hoc vnum rogo D. V. Illuſtriſſimam, quod etiam in animo iam habere eandem optimo iure poſſum exiſtimare; vt, quando iter hac, aut vbi vbi erit aula Caeſarea, ſibi facere contigerit, dignetur recta ad me diuertere. Erit domi ſuae, vt ego, & mea omnia ſuae ſeruituti addicta ſunt. Cupio meum honeſtari hoſpitium ſua praeſentia, & hoc cumulatiſſimo perfundi gaudio, vt D. V. Illuſtriſſimam recipiam. De rebus religionis noui quid ſcribam nihil habeo. Eodem enim loco ſunt, quo eſſe ſignificaueram ſuperioribus diebus. Speramus breui Caeſarem conſilia haereticorum diſſoluturum. Confirmat etiam; ſi erit hinc diſceſſurus, omnino aliquem ſe ciuitati praefecturum, dignitate & autoritate ampliſſimum, & fortaſſe Sereniſſimum ipſum Archiducem Carolum, qui populos contineat in officio. Quod reliquum eſt, commendo me reuerenter D. veſtrae Illuſtriſſimae & Reuerendiſſimae pro cuius incolumitate & felicitate Deum humiliter oro. Viennae V Calend. Iunii MDLXIX.

CCXLIX.

Card. Commendonus Hoſio.

Pontificem ſingulariter amare Hoſium: quaedam de Barenſi negotio.

Ex D. V. Illuſtriſſimae litteris decima nona Maii datis, quibus de ſuo aduentu in Italiam me facit certiorem, cepi animo tantam laetitiam, vt profecto maiorem multis annis non ſenſerim. Dabitur demum mihi exoptata facultas praeſenti obſequio, cultu, obſeruantia, paternae in me & perpetuae D. V. Illuſtriſſimae

mae benignitati gratiam referendi. Deum precor, vt illam adducat incolumem. De venia impetranda a S. D. N. non equidem ſum ſolicitus, gratiſſimum erit & ipſi Sanctitati ſuae, videre D. V. Illuſtriſſimam quam & plurimi facit, & vehementer ſane amat. Ego acceptis D. V. Illuſtriſſimae litteris ſcripſi ſubito hac de re ad Sanctitatem ſuam diligentiſſime, & cum reſponſum accepero, faciam continuo D. V. Illuſtriſſimam certiorem. Romae mihi ſunt in Palatio aedes ſatis commodae; habeo praeterea conductam Campegiorum domum, quae haud abeſta Vaticano, amplam ſane & capacem. Et haec & Palatinae aedes Illuſtriſſimae D. V. parabuntur; atque aedibus quidem omnino vt vtatur D. V. Illuſtriſſima ſuadeo, quo propius ſit S. D. N. & commodius adire Sanctitatem ſuam, cum opus fuerit, poſſit. Ego eius aduentum Veronae expectabo vſque ad menſem Octobrem, & ei comes ad vrbem ibo, quam magnopere rogo, vt diſceſſum maturet, ne eius iter aut in autumni pluuias, aut in hyemis frigora incidat; & operam det, vt iter faciat quam commodiſſime & valetudini diligenter inſeruiat. Cromerum noſtrum video epiſcopum, qua re tantum laetor, quantum & meum in D. V. Illuſtriſſimae eccleſiam ſtudium, & amor in Cromerum poſtulat, cuius hoc honore virtus ornabitur. Quid ego D.V. Illuſtriſſimae meam & meorum operam deferam? ipſam rogo, vt me, meiſque & rebus & hominibus ſic vtatur vt ſuis. Rogo D. Cursborſcium, vt mihi de omnibus rebus ſignificet, & ſeptimanam praetermittat nullam, quin ad me ſcribat. Legi D. V. Illuſtriſſimae epiſtolam ad Tomicium, in qua me ſubaccuſat de litterarum negligentia. Poſt reditum meum in Italiam & ipſe incommodiſſime valui, & Antonius meus periculoſiſſime laborauit, & tota pene familia aegra fuit, & quod ſcriberem D.V. Illuſtriſſimae magnopere non habebam, ad quam tamen litteras dedi, ſimul ac illis difficultatibus emerſimus, & ante mandaueram Tomicio, vt illam de meo & aduentu & ſtatu faceret certiorem. Huius adoleſcentis patrem velim videret D.V. Illuſtriſſima antequam diſcederet, deque eo reducendo ad eccleſiam agat, & vt filium Pata-

uii diutius adhuc esse permittat. Nam qui hunc adolescentem summa virtutis indole pro filio habeam, eius & studiis & rationibus magnopere arbitror expedire, vt ne puer in patriam reuertatur. Haec quoque digna res est, quae curae sit Illustrissimae D. V. in qua praeclarissimi adolescentis salus agitur. Deus D. V. Illustrissimam seruet & adducat nobis valentem & incolumem. Patauii V. Iunii MDLXIX.

Illustrissimae & Reuerendissimae D. V.

humillimus seruus

Cardinalis Comendonus.

De Barensi negotio accepi his diebus litteras a Sereniſſimo rege, quibus ita queritur de D. Barzio oratore suo, vt me subaccuset, qui auctor fuerim Maiestati suae, hunc potissimum in hanc legationem mittendi. Id ego tum petii a Maiestate sua, & quod mihi a pontifice omnibus pene litteris mandabatur, & quod Barzium ea nobilitate animi, ea religionis laude idoneum illi muneri gerendo iudicaui; & capio summum dolorem, ipsum diligentia sua commendationi nostrae non respondisse. De mea vero voluntate erga regem & in hoc ipso negotio, & in omnibus rebus, quae ad Maiestatem suam pertinent, neque dubitare Maiestatem suam arbitror, & eam D. V. Illustrissimae sic probabo, cum Romam venerit, vt studio & diligentia mihi antelatura sit neminem. Quod & Maiestati suae nuper ego scripsi & D. V. Illustrissimam rogo, vt idem ei prorsus confirmet.

CCL.

Hoſius epiſcopo Wladislauienſi.

Varia non parvi momenti capita religionis tractat, ac de domeſticis proteſtantium contradictionibus prolixe agit.

Legi non ſine magno dolore meo longiorem epiſtolam Reuerendiſſimae D. veſtrae; quae mihi tamen tanto gratior accidit, quanto copioſius & apertius perſcripſit omnia, quaecunque cognitu fuerunt neceſſaria. Video, quod reſpicit nos adhuc oculis miſericordiae ſuae Deus, & ad poenitentiam vocat; quam ſi pro peccatis noſtris egerimus, bona ſpes tenet animum meum, quod auertet iram ſuam a nobis; & ſi conuerti voluerimus, eius, quae nunc agi coepta eſt tragoedia, meliorem opinione multorum exitum concedet. Mihi vero dubium non eſt, quod iam inde a multis annis, ea conſilia coqui coeperunt, quae proximis ſuperioribus comitiis in lucem prodierunt. Sed eſt, quod immortales agamus Deo gratias, quod eum tamen, quem ſpe iam deuoraverant inimici crucis Chriſti, progreſſum eorum & exitum non habuerunt. Merito quidem nobis Deus iraſcitur; ſed quae eſt illius immenſa bonitas, non eſt illi viſum, adhuc in ira ſua continere miſericordiam ſuam. Suſtulit e medio, quo nullus fuit vnquam in patria noſtra peſtilentior, haereticorum anteſignanum; quo ſublato plurimum de viribus eorum eſt imminutum. Primus ille fuit, qui regiae Maieſtati, priuſquam etiam accederet ad regni gubernacula, neſcio quas prauas opiniones inſtillare conatus eſt: neque defuerunt rixae quaedam & diſcordiae, quae ſuis turbulentis concionibus animum illius Maieſtatis a fide catholica & orthodoxa dimouere, & in Islebienſis Antichriſti caſtra pertrahere, ſummo labore contenderent. Annus iam agitur fortaſſe 15. cum in comitiis Varſauienſibus tale quid, quale nuper in eodem loco tentatum eſt. Dicebatur tum Cracouia Laſcus aduentare, & erat in finibus Maſouiae Petrus Pau-

Paulus Vergerius in oppido Ducis Działdow, iamiam aduolaturus ipſe quoque. Non dubito quin teneat memoria Reuerendiſſima D. V. quod conueneramus in vnum epiſcopi cum clero, qui tum praeſentes eramus; & quamuis viſum fuerat, vt ego pleraque regiae Mai. dicerem in ſenatu; mutato tamen poſtea conſilio, ſeorſum aliquot epiſcopi conueneramus ad Maieſtatem regiam, & omnium nomine verba facit Dominus Zebrzydowski epiſcopus Cracouienſis, qui certe praeclare tum ſuo munere functus eſt ac dixit: (libet enim illius verbis vti) E ſuperiore loco veniunt iſta conſilia, quae tractantur in loco, ſiue, vt ipſe dicebat, in circulo inferiore a Nuntiis, dum priſcam fidem euerti & nouum euangelium recipi poſtulant: quin & hoc, inquit, ex eodem loco procedit, quod Laskus, quod Vergerius, quod Lyſmaninus, quod caeterae peſtes eiusdem generis ad comitia venire dicuntur. Nam eſſe vocatos aiunt, vt nouam nobis religionem conſtituant. Negabat Princeps ſe conſcio talia fieri, cui credere nos oportuit. Sed circumferebatur eodem tempore quaedam epiſtola Pauli Vergerii, qua Maieſtatem regiam hortabatur, vt relicto Chriſtianiſmo, quem ipſe Papiſmum vocabat, amplecteretur Lutheraniſmum, quod Euangelium appellabat; ſimul offerebat ſe, quod cum Lyppomano, qui tum erat nuntius apoſtolicus, diſputare vellet, ipſa regia Maieſtate iudice, de quibuſdam articulis, quos in ſuis prolegomenis aſſeruerat Brentius; quod legitimi iudices in cauſa religionis eſſent Principes, & quiuis etiam e populo, non autem epiſcopi: quod nulla praeterquam Scripturarum autoritas valere deberet; quod nihil traditionibus tribuendum ſit: quod Eccleſia non ſit ea, quae fuit hactenus exiſtimata iam inde a 500 annis, quam catholicam & apoſtolicam vocamus, cui praeeſt Romanus Pontifex; ſed ea, quam hoc noſtro tempore Martinus Lutherus erexit. Ac terebatur libellus hic manibus multorum & auide legebatur; quin & in ſenatu D. Luthomirski ſententiam quandam protulit, quam ad verbum in eo libello ſcriptam reperi, cum Heilsbergam rediiſſem. Nam quoad Varſauiae fui, nihil praeter Vergerii praefatio-

fationem videram; neque ſciebam tum de prolegomenis Brentii. Sed cum Regiomonte libros quoſdam haereticos adferri mihi iuſſiſſem, adiuncta fuerunt illis etiam haec prolegomena, & quidem dono mihi data: quae mihi non paruum laborem attulerunt, cuius me tamen poenituit nunquam. Atque vtinam qui tam auide legunt prolegomena Brentii, non fuiſſent grauati noſtram quoque confutationem, ſemotis affectibus, legere: fortaſſe minus Vergerii conſilio tribuiſſent. Quid autem in illis comitiis Petricouienſibus anni 65? Putatne Reuerendiſſima D. V. quod praeter ſcientiam & voluntatem regiae Maieſtatis eundem in locum, vbi praeſens aderat regia Maieſtas vna cum ſenatu populoque regni vniuerſo, vna cum Nuntio apoſtolico & oratore Caeſareae Maieſtatis, conuenerunt variarum ſectarum haeretici, & publice diſputarunt de rebus quibuſdam, quas horret animus dicere? Nam & illud in diſceptationem vocabatur, num Chriſtus eſſet verus Deus & Dei filius: & praefuerunt ei diſputationi Palatinus Lublinenſis, in cuius aedibus habita fuit, & defunctus ille Cracouienſis, qui tum erat Caſtellanus Sendomirienſis; & non illibenter blaſphemas illas voces audiebant. Ego vero metuebam, ne terra nobis dehiſceret, neque me tenere potui, quin ſcriberem Regiae Maieſtati, maluiſſe me, quod diſputaretur: num Sigiſmundus Auguſtus eſſet verus rex, qui talia pateretur: quam, num Chriſtus ſit verus Deus & Dei filius. Denuntiaui ſimul, niſi deſiſterent ab iſtis blaſphemiis, autoritate Maieſtatis illius compulſi, quod mihi decretum eſſet, ex iſtis comitiis fugere, nec expectare, dum fulmen ſuum de coelo Deus demitteret, & tam de facientibus, quam de conſentientibus iuſtum ſupplicium ſumeret, fortaſſis autem etiam iuſtos cum impiis perderet. In ſumma: nullum vnquam vel in Polonia vel in Lithuania conuenticulum habitum fuiſſe puto, praeter ſcientiam & voluntatem principis & fuit procul dubio ſpes haereticis oſtenſa, modo conuenirent in vnam aliquam fidiculam, & in ea ſola luderent, non difficulter eis conceſſam iri. Felicis memoriae Dominus Samuel epiſcopus Cracouienſis multum apud Maieſtatem regiam gratia & autoritate valuit:

luit: eo viuo, quod quidem ego ſciam, non fuit huc audaciae progreſſum, vt de noua fidicula, quam approbaret regia Maieſtas, cogitaretur. Sed ſimul vt ille vita functus eſt, cum vix dum etiam extremum ſpiritum efflaſſet, quid Pincouiae factum fuerit, Reuerendiſſima D. veſtra non ignorat. Ex eo tempore coeperunt iſta coqui conſilia. Sumptum eſt autem exordium a terris Pruſſiae. Anno 65 fuerunt habita Marieburgi comitia. Poſtulabat regia Maieſtas iuxta morem tum obſeruatum pecuniarium ſubſidium. Ecce autem nuntii noſtri inſtinctu Palatini Marieburgenſis defuncti, Poloniſare & ipſi coeperunt, ac longe aliis de rebus, quam de quibus propoſitio fuit facta, ſermonem iniecerunt. Priuſquam enim in aliquod pecuniarium ſubſidium conſentirent, permitti ſibi legitimum ſacramentorum vſum & neſcio quod purum Dei verbum poſtularunt. Multum eo tempore fuit a me laboratum: verum ita diſceſſum eſt a comitiis, nullum vt ſubſidium pecuniarium decerneretur. Fuerunt autem habita comitia menſe Maio: ſubſequuta ſunt alia profeſto D. Michaëlis. Ad ea quoque venit Nuntius regius cum pulcherrima inſtructione. Narrabat enim, regiam Maieſtatem nunquam eſſe facturam, vt ab auita religione diſcederet, & vllam aliam permitteret. Itaque ne de religione diſceptarent in comitiis, verum de rebus a Nuntio propoſitis deliberationem ſuſciperent. Paritum eſt e veſtigio, & conſenſerunt omnes in pecuniam, quam cupiebat regia Maieſtas. Fortaſſis autem vtrorumque comitiorum acta Reuerendiſſimae D. veſtrae mittam, cum Romam rediero. Nam ad manum hic non habeo. Fueram tum in optimam ſpem erectus; qua plenus poſt habita Graudentina comitia, veneram ad comitia Varſauienſia. Videbam autem in illis circa plurima ſatagere Gedanenſes, & muſſitabatur neſcio quid conceſſum illis iri, ſi minus totam Auguſtanam confeſſionem, ſaltem calicis communionem. Egi cum regia Maieſtate ea de re. Negauit ſe vel cogitare quidem tale quid. Reuerſus igitur ſum ad eccleſiam meam plenus magna ſpe, nihil in religione mutatum iri, cum praeſertim in receſſu comitiorum illo-

rum ſcriptum fuerit, eum pro hoſte patriae & perturbatore publicae pacis habendum eſſe, qui poſt illa comitia aliquam eccleſiam occupare, nouaſque ceremonias in ea inſtituere auſus eſſet. Ecce autem vix duo menſes interceſſerunt, cum Gedani, Elbingae, Torunii Dominica Oculi noua facta ſunt omnia, idque vno & eodem die in omnibus illis tribus ciuitatibus, ſic tamen, vt Gedani duae tantum minores eccleſiae, Torunii vero & Elbingae vna, per Satanae miniſtros occuparetur. Parochialem autem & alias maiores eccleſias non ſibi vendicarunt, niſi ipſo die ſanctorum omnium, quo tempore vocauit ad ſe parochum & officialem Ferberius, & ei mandauit, vt in die ſanctorum omnium, ac caeteris deinceps diebus ſacra ſua abſolueret ante diem. Nam ſimul vt illuxiſſet, futurum, vt evangelica miſſa cantaretur, & Papiſticae deinceps nullus locus daretur. Sic initium Sataniſmi factum eſt in terris Pruſſiae, quanto cum animi mei dolore, Reuerendiſſima D. veſtra, quae curarum & ſolicitudinum mearum fuit conſcia, quas pro virili ſua leuare conata eſt, memoria tenet procul dubio. Scripſeram ad aulam ſemel & iterum, nihil mihi prorſus reſpondebatur, nec audiebatur quidquam, quod haec autoritate Principis facta fuiſſent, de qua tres fere totos annos celabar. Cum autem Nuntium agerem Pontificis apud Caeſarem, tum primum ea de re ſcriptum aliquid ad me fuit. Videt itaque Reuerendiſſima D. V. quod pridem iſta meditata ſunt, & a Pruſſiae ciuitatibus exordium factum eſt; & aliud publice decretum, quin etiam typis mandatum, impreſſo regio quoque ſigillo, fuit in illis comitiis ; aliud in ſecreto conſilio concluſum, quod in Pruſſia paulo poſt exequutioni mandatum, publicum autem illud ludibrio fuit habitum. Nam cum veniſſent Vilnam Gedanenſes poſt abiectam religionem chriſtianam & mutatos eccleſiae ritus, non ſolum pro hoſtibus patriae & perturbatoribus pacis publicae non ſunt habiti, verum etiam tanto honore fuerunt affecti, quanto prius nunquam. Cuius rei non dubito quin recentem habeat Reuerendiſſima D. V. memoriam. Sed eſt quod agamus Deo gratias, quod in ſuperioribus comitiis, quae proxime Varſauiae

ſauiae habita praeceſſerunt, inter eos, qui diſceſſerunt a chriſtiana fide, & neſcio quam Auguſtanam perfidiam (nam fides niſi vna ſit, fides dici non meretur) excogitarunt, tanta eſt exorta diſſenſio, vt maiore mutuo quam Chriſtianorum, quos Papiſtas vocant, odio flagrare viderentur: qui ſi conuenire potuiſſent in vnam aliquam perfidiam, non eſt dubium, quod eius approbationem ab eo, qui nullam habet vel approbandae vel reiiciendae doctrinae fidei poteſtatem, pridem non difficulter obtinuiſſent. Inde tot conuenticula, & poſtremum illud Sendomiri: -- in quo defuncti illius haereticorum anteſignani autoritate prius approbata fuit quorundam calculo neſcio quae Bezana perfidia, quae Cracouiae typis mandata fuerat (vulgari lingua recte dici poſſet Bieſowa wiara) quam lecta vel ſaltem viſa fuiſſet; per tumultum res acta eſt, vt ſpecies aliqua conſenſus obtrudi poſſet, quem tamen fuiſſe nullum conſtat, niſi quod ad tempus conſenſus fingebatur, qui regiae Maieſtati poſſet obtrudi, quo facilius fuco quodam illi facto, approbationem illius obtinere poſſent. Vix vlla fuiſſe credo comitia, in quibus tale quid hoſtes Evangelii non tentarent apud Maieſtatem Regiam, a 20 his annis, niſi quod reſponſum hoc procul dubio tulerunt, prius vt conuenirent in vnam fidem, vel perfidiam potius. Poſt illa comitia Varſauienſia, quorum priore loco memini, cum quidam ſubditus meus, vir nobilis, Palatini Marieburgenſis defuncti gener, admonitus a me fuiſſet, vt ne permitteret, coniugem ſuam in communione Sacramenti eychariſtiae a caeteris diſſidere: facturum alioqui me, vt eum praefectura mouerem. Poſt vnum & alterum menſem venit ad me, maiorem in modum precatus eſt, ſaltem vt eum paterer in praefectura ad proxima vſque regni comitia. Nam e ſocero ſuo ſe didiciſſe, quod regia Maieſtas omnino deliberatum haberet in proximis comitiis de religione certi quid ſtatuere. Quicquid autem in illis comitiis decretum foret, ſe libenter acquieturum. Reſponſum hoc a me tulit, me contrarium ex ore Maieſtatis regiae cognouiſſe. Diſertis verbis illam pronuntiaſſe, quod ea, quae ſunt Pontificis,

vſur-

vſurpare ſibi nollet, nec quicquam in his, quae ad religionem pertinent, innouare cogitaret: huic illius Maieſtatis verbo credere me; quin & hoc addidi: Si, quod vt credam adduci non poſſum, Maieſtas illius aduerſus receptam in Eccleſia Dei fidei doctrinam, aut aduerſus ritus per eam approbatos, aliquid ſtatueret, me non admiſſurum eiuſmodi ſtatuta in Eccleſiam ditionemque meam. Prius eo loco quo ſum, prius fortunis omnibus, prius & vita me ceſſurum, quam vt ad eiuſmodi ſtatuta conſentirem. Cum eſſet apud me per duos fere menſes Clefeldius, quo tempore iuri Culmenſi reuidendo nauabamus operam, conſtanter affirmauit ipſe quoque, quod regia Maieſtas omnino pollicita fuerit, ſe recepturam Confeſſionem Auguſtanam, & propterea Vilnae nouum templum aedificauerat, vt ibi praedicaretur evangelium non ſecundum Matthaeum, vel Marcum, Lucam & Ioannem, ſed ſecundum Lutherum: quin & in comitiis noſtris proximis Elbingenſibus cum eſſem, venit ad me Breitſchneiderus, ac dixit: Scio quod non aliam ob rem mihi magis es infeſtus, quam quod a te diſſentiam in doctrina religionis, verum ego tibi ſancte promitto, quandoquidem certum eſt, Maieſtatem regiam in his, quae inſtant, comitiis Lublinenſibus, aliquid in cauſa religionis conſtituere velle, me, quaecunque conſtituta fuerint, alacriter ea recepturum. Ego vero: Certum eſt, inquam, quod nihil tale Maieſtas eius faciet: quae non ſemel mihi ſancte promiſit, quod quae ſunt Pontificis, ea ſibi nolit arrogare, nec de mutanda religione quicquam cogitet. Verum ego proficiſcar, inquam, ad illa comitia; quam ibi fidiculam condere velitis, viſurus. Vnum adhuc addam. Fuit apud me paulo ante comitia Elbingenſia Abbas Oliuenſis Loka. Magno cum dolore mihi renuntiauit, quod a ſuis propinquis admonitus fuiſſet, vt cum aduerſario ſuo de Abbatia amice tranſigeret. Nam ſic omnino velle Maieſtatem Regiam. Simul autem & hoc eum ſcire debere, quod in his, quae inſtant, comitiis, Maieſtas eius omnino Papatui, hoc eſt, chriſtianae fidei remittere nuntium & Auguſtanam confuſionem recipere cogitet.

gitet. Quamobrem accommodaret ſe ad Maieſtatis illius voluntatem, nec in Pontifice Romano quicquam praeſidii ſibi fore ſperaret, quamlibet iuſtam cauſam haberet. Ex his omnibus facile colligere licet, quod pridem iſta cudebantur, quae ſuperioribus comitiis in lucem prodierunt, niſi quod ſectariorum conſenſus in vnam perfidiam, deinde prior vt aliquid ea de re ſtatueret Caeſarea Maieſtas, expectabatur: & in proximis comitiis Lublinenſibus haec omnia fere, quae nunc ſcribo, renuntiata per me fuerunt Regiae Maieſtati. Dixi paſſim in Pruſſia ſpargi, quod noua quaedam fidicula in his comitiis condi deberet, hanc potiſſimum ob cauſam ad ea me profectum eſſe, quod qualis ea futura eſſet, cognoſcere, ſimul & haereticorum impia conſilia, quoad poſſem, impedire vellem. Nam niſi fuiſſet haec opinio multorum animis impreſſa, quae me quoque nonnihil dubitare de conſtantia Maieſtatis illius faceret, non facile potuiſſem adduci, vt propter alias cauſas in hac tam affecta & aetate & valetudine mea, tam parum opportuno tempore, magno cum vitae meae diſcrimine, tam periculoſum iter ſuſciperem. Reſpondit mihi Maieſtas eius: Me non debere credere vulgi ſermonibus: nihil tale ſibi in mentem veniſſe vnquam: ſe conſtanter in confeſſione fidei catholicae, quam a maioribus ſuis accepit, ad extremum vſque ſpiritum ſuum permanſuram. Ex quibus illius verbis non mediocrem conſolationem acceperam: ſimul exhibui Maieſtati illius quorundam Flaccianorum confeſſionem, quam recens ediderant in ditione Caeſaris, in qua Confeſſionem Auguſtanam, quam profitentur, qui ſunt ſub Electore principe Saxoniae, vocant ocream quandam ſiue calceum Polonum, vocant & pallium, quo teguntur omnes haereſes, non ſolum Synergiſtarum, Maioriſtarum, Adiaphoriſtarum, & ſi quae ſunt aliae, quas ipſi Lutherani mirabiliter inter ſe diſſecti profitentur, verum etiam Caluiniſtarum. Nam ſub electore Caluini doctrinam non condemnari, propter Philippi reuerentiam, qui mortuus eſt Caluiniſta, quamuis eam etiam non approbare videantur. Abſit autem, dixi, vt in calceum Polonum credatur apud nos.

Nam neceſſe foret articulum illum tollere: credo ſanctam Eccleſiam catholicam, & eius loco ponere: credo in calceum Polonum. Sic enim fidiculam eorum, qui ſunt ſub Electore, vocant Germani Lutherani, qui nunc appellantur Flacciani. Talis autem fidicula quaedam eſt etiam nunc in Polonia. Nam eodem loco habentur apud nos Caluiniſtae, quo Lutheriſtae; imo paucos Lutheriſtas, omnes fere cernere licet Caluiniſtas, qui mendacii veritatem arguunt, & audent Chriſto dicere: non eſt verum, quod dicis, hoc eſſe corpus tuum. Simul autem oſtendi, quid hi, qui ſunt ſub Electore, ſentiant de Flaccianis, quibus Manichaeorum & aliorum quorundam horrendas haereſes impingunt. Sic ipſi mutuo ſibi ſunt, inquam, haeretici: nec vnquam verius dicunt aliquid, quam cum ſibi mutuo nomen & appellationem haereticorum tribuunt. Haec eſt in eorum ſcriptis veritas certiſſima, quam indubitanter credo. Quid autem opus eſt aliorum ſententiis, quando ſic ipſi de ſe inuicem pronuntiant? Credamus vtrique parti: & poſtea quod Paulus monet, vitandos eſſe haereticos & fugiendos, id, quod eſt in prouerbio, velis remiſque faciamus. Haec me dicentem Regia Maieſtas placide audiuit, delectarique ſermone hoc meo viſa eſt, ſimul & in eam ſpem me erexit: vt eam nunquam eſſe facturam crederem, vt de nouanda religione cogitationem aliquam ſuſciperet. Sed ſicut olim vigilante Iuda dormitarunt apoſtoli; ſic nunc dormitantibus his, qui in apoſtolorum locum ſucceſſerunt, & oſcitantibus, vigilaſſe Chriſti proditores videmus, & in illud nos periculum adduxiſſe, ex quo nondum quidem euaſimus; ſed quod reſpirandi tamen, & quid conſilii capiendum ſit, cogitandi tempus aliquod nobis datum eſt, magnas hoc nomine Deo gratias agere, merito debemus. Nunc ergo quaerit a me Reuerendiſſima D. veſtra, quid conſilii capiendum, & quomodo ſit impiis haereticorum conatibus obuiam eundum? Cum autem ipſa praeſens iſtic adſit, & rerum omnium ſtatum, quin & mores hominum habere melius perſpectos debeat, & quae ſit eos tractandi ratio commodiſſima, non ignoret; nihil eſt, quod a me petat, quod

ipſa

ipſa domi habet. Sed ego tamen quid hac ipſa de re Reuerendiſſimo domino archiepiſcopo, qui idem hoc a me poſtulabat, ſcripſerim, Reuerendiſſimae D. veſtrae tranſmitto. Aliud quod dem conſilii neſcio. Nam quod etiam S. D. noſtri auxilium implorari cupit, vellem expreſſiſſet, qualenam auxilium velit. Solet quidam epiſcopus crebro dicere: quandoquidem in Pontifice nihil eſt praeſidii, neceſſe fore, vt aliis rationibus eccleſiae conſulatur, & haereticorum ferocitas quibuſcumque modis mitigetur. Sed is tamen, quale praeſidium habere vellet a Pontifice, nunquam explicauit. Equidem non dubito, quin S. D. N. ſi qua illi via & ratio oſtenderetur, qua religio reſtaurari & afflictae eccleſiae ſuccurri poſſit, officium a ſe ſuum requiri nunquam eſſet paſſurus. Ego quoque pro eo ſtudio, quo ſemper fui tuendae & conſeruandae catholicae religionis, nihil eſſem curae, diligentiae, laboris praetermiſſurus; vt grauiſſimis hiſce morbis, quibus patria mea laborat, adhiberi remedium, & ab interitu, quem impendere video, ſeruari poſſit.

Quod Reuerendiſſima D. veſtra concilii nationalis meminit, de eo quoque facta fuit mentio, cum eſſem apud Maieſtatem regiam in comitiis Lublinenſibus, cui dixi: Quandoquidem ante paucos annos habitum eſt oecumenicum concilium, ad quod illius Maieſtas Nuntium ſuum miſerat, qui manu ſua decretis concilii ſubſcripſit, nomine Maieſtatis illius, tanquam orator, & eis aſſenſum praebuit: non licere iam de nationali concilio cogitare, & a placitis orbis chriſtiani diſcedere, atque ab illo ſe velle ſeparare. Reputaret ſecum: ſi poſt celebrata regni comitia Palatinus aliquis vel in Cracouienſi, verbi gratia, vel in Sendomirienſi terra, ſeorſum ordinem equeſtrem congregaret, & in eo conuenticulo, quibus de rebus iam decreta Maieſtatis illius interceſſiſſent, in maioribus regni comitiis, de conſenſu omnium ordinum; iudicium de illis fieri vellet, vt vel approbarentur, vel reiicerentur, vel corrigerentur: quemadmodum id eſſet acceptura? Atqui multo grauius commiſſum iri facinus, ſi, cum ipſa ſemel concilii Tridentini decretis per oratorem ſuum

ad illud miſſum, aſſenſerit; deinde & acta omnia concilii per legatum apoſtolicum ſibi nomine ſanctae ſedis apoſtolicae oblata receperit: nunc a totius eccleſiae gremio ſe quodammodo ſeparare & in angulo quodam orbis chriſtiani, de nouo concilio indicendo, cuius rei nullam habet poteſtatem, deque noua fidicula condenda deliberationem ſuſciperet. Viſa eſt Maieſtas illius hoc ſermone meo permoueri: niſi quod crebrius audit haereticos, quam catholicos, cum eorum ſit maior vigilantia. Ex quo fit, vt ſi quam in rectam ſententiam ſit perducta, facile de ea ſe dimoueri patiatur. Mirari ſatis non poſſum, cum toties mihi Maieſtas illius tam aſſeueranter promiſerit, quod neque de nationali concilio, neque de mutanda religione quicquam cogitet, adhuc eam nutare nihilominus, & paulo momento huc illuc impelli, cum tamen & in iſtis proxime praeteritis comitiis & in ſuperioribus aliis non ſemel confeſſa fuerit, quod non ſit ſui muneris, de religione quicquam ſtatuere, multominus concilium ea de cauſa congregare: cum etiam ignorare non poſſit, quo fructu ante annos plus minus decem congregatum fuerit in Gallia concilium, cui praeſidebat puer & foemina, praeclari (ſi Deo placet) in cauſa fidei iudices: quod ſimul vt fuit abſolutum, ſtatim eſt ciuile bellum & quidem horribile conſequutum. Caeterum probatur mihi vehementer, quod apud eos, qui primum inter nuntios locum obtinebant, Reuerendiſſima D. veſtra laborauit, vt ſcriptum illud, quod cum omni aequitate & pietate pugnat, ne reciperent; neque laudare ſatis poſſum, quod a Potworouio dictum fuit. Vtinam autem haberemus multos iſtorum ſimiles, quos in ſua epiſtola nominat Reuerendiſſima D. veſtra: qui tamen omnes deflexerant aliquando de recta via, nec a Lutheri doctrina viſi ſunt abhorrere. Sed eſt ingens Deo gratia, cuius beneficio factum eſt, vt in viam redirent, & in illis comitiis pro religione chriſtiana ſe murum opponerent, contra illius hoſtes. Eſt autem adhuc alius quidam in maiori Polonia vir ex primaria nobilitate, qui multum valet ingenio, in litteris quoque feliciter eſt verſatus, prudens, & omni humanitate perpolitus

Abra-

Abraham Zbaski, qui cum inter haereticos bonam aetatis ſuae partem traduxerit, ſingulari Dei gratia iam emerſit ex eorum tenebris, & claram evangelii lucem aſpicere coepit. Miror autem, quod ab omnibus functionibus publicis abhorret, cum tamen ad eas cumprimis idoneus eſſe videatur. Hunc quoque cenſerem Domino archiepiſcopo & caeteris coëpiſcopis eius omnibus modis eſſe fouendum, & omni benignitatis genere proſequendum, ſimul admonendum, vt & ipſe capeſſat aliquando rempublicam, & in proximis comitiis minoribus eligi ſe Nuntium patiatur; qui ſi conuictus fuerit cum tribus aliis, qui & ipſi etiamſi non omnes aeque docti, prudentia tamen excellere videntur, procul dubio magno nobis vſui futurus eſt. Eſt autem haec nunquam ſatis praedicanda Dei benignitas, quod qui aliquando fuerunt Sauli, & cum eo perſequebantur eccleſiam Dei, eorum corda ſic flexit in illis comitiis, vt eos nunc Paulos & electa miſericordiae vaſa factos videremus, & maiore zelo nunc eccleſiam defendant, quam etiam illi ipſi, quibus gregem ſuum, ſanguine ſuo redemptum Chriſtus paſcendum commiſit. Quam praeclare vero de eccleſia Dei Reuerendiſſima D. veſtra mereretur, ſi modis omnibus contenderet & elaboraret, vt iſtos chriſtianae fidei tam ſtrenuos propugnatores Regia Maieſtas dignitatibus & praefecturis ornaret, quo ſic omnibus fieret manifeſtum, illius Maieſtatem in chriſtianos, quam in Caluinianos maiore ſuae voluntatis inclinatione propendere. Nam quod Sendomirienſi Caſtellanatu nuper auxit haereticorum quendam anteſignanum, exiſtimationi ſuae Maieſtas illius non bene conſuluiſſe videtur, quin & cauſae ſuae Barenſi. Periculum eſt, ne pro haeretico habeatur: quo crimine nullum in his terris deteſtabilius & abominabilius eſſe cenſetur. Sicut reuera nullum eſt, quod magis omnes execrari debeant. Nam ſi congerantur in vnum omnia crimina, quamlibet enormia fuerint, cum vno ſchiſmate vel haereſi collata, feſtuca ſunt cum trabe comparata. Laborandum eſt omnibus epiſcopis, etiamſi quas fieri largitiones oporteret, vt, qui prima loca in conſilio tenent, Chriſtiani ſint,

& non Caluiniani vel Bezani, praecipue vero Palatinus & Captus Cracouienſis, quae munera nulli rectius committi poſſunt, quam Domino Barzy. Sed quale eſt hoc per Deum immortalem, quod non ſolum vt Palatinus & Captus Cracouienſis, Catholici deſignarentur in comitiis, obtineri non potuit; verum & Surrogatus & Vicecaptus dati ſunt haeretici? Iam in deſperationem propemodum nos adigere videtur. Nec enim deſunt, qui talem eſſe iudicant Maieſtatem regiam, quales honoribus & praefecturis auget.

Quod ſcribit Reuerendiſſima D. veſtra de compoſitione facienda inter ſtatus, non ſatis intelligo, quid ſibi velit. Nam ſi de fide compoſitio fieri debet, quando fuerit facta conuentio inter Chriſtum & Belial; fiet conuentio inter Chriſtianos & Lutheranos ſiue Caluinianos. Quoties iſta compoſitio tentata eſt in finitimis nationibus, & ſemper deteriore loco res fuerunt. Vix dum anni duo interceſſerunt, quod habitum eſt Aldemburgi colloquium, cui praeſidebat nouus quidam pontifex, Guilhelmus Saxoniae dux, & Commiſſarii Principis Electoris Auguſti. Fuit colloquium hoc inter Chriſtianos & Lutheranos, nec inter Lutheranos & Zuinglianos aut alterius ſectae homines; ſed inter ipſos Lutheranos, qui Lutheri verbum eodem loco, quo Dei verbum habent; & eſt communis hic apud eos loquendi modus, verbum Dei & Lutheri: Chriſtus & Lutherus: Paulus & Lutherus, vt non modo Paulo, ſed ne Chriſto quidem ipſo Lutherum inferiorem cenſeri velint. Vnam partem vocant Flaccianos, qui ſunt actores; alteram partem Philippianos vel Eberianos, quos illi reos faciunt, & eo nomine grauiter accuſant, quod a verbo Dei & Lutheri diſceſſerint, quodque Confeſſionem Auguſtanam adulterauerint, nonnullis verbis additis, aliis vero detractis, quibuſdam etiam mutatis. Tanta contentione res inter eos acta eſt, vt vtri que alteris facti ſint plus quam haeretici: nec vllam aeque claram & manifeſtam in eo libro, quo colloquium illud deſcribitur, legi veritatem, atque hanc, quod vtraque pars plus eſt quam haeretica. Itaque diſceſſerunt ex eo colloquio magis inter ſe diſſidentes,

tes, & maioribus mutuis odiis ardentes, quam venerant. Si facultatem hanc habet D. veſtra, vellem vt acta illa legeret Aldembergenſis colloquii, & cum aliis nonnullis oſtenderet, tum praecipue regiae Maieſtati, vt videret, quid ipſi, qui ſunt ex profeſſo Lutherani, de confuſione iſta Auguſtana ſentiant: quodque Saxonici theologi non recipiunt eam, quam Electoriales probant; Electoriales contra non recipiunt, quae fuit Caeſari oblata anno 30, quod eam ad Manichaei ſectam inclinare dicunt: nec obſcure ferunt, quod pleraque in ea mutauerint, cuius rei poteſtatem penes Philippum fuiſſe contendunt, quod Flacciani conſtanter negant. Quamobrem vtraque confuſio, & ea, quae fuit Caeſari oblata, anno 30, & ea, quae poſtea a Philippo fuit aucta & emendata, Lutheranorum ipſorum iudicio haeretica eſt. Qui poſſent produci teſtes, vel iudices potius, magis fide digni, non video. Interea tamen ad iſtam confuſionem inclinare plerique dicuntur, quam ipſi haeretici Lutherani vtriuſque partis haereſeos condemnant; & qui Bezanam perfidiam proximis ſuperioribus menſibus excudi Cracouiae curauerunt, gloriantur & ipſi, quod ſint Confuſionis Auguſtanae, quin & Valdenſium ſectam eodem Confuſionis Auguſtanae pallio tegi volunt. Itaque nihil eſt, quod cogitetur de compoſitione in cauſa religionis facienda; cum etiam ipſi Lutherani numquam Caluiniſtas vel Valdenſes dignos cenſuerint, quibuſcum de compoſitione tractarent. Tam horrenda & execrabilis ſemper illis eorum haereſis viſa eſt, quam non ſtylo vel lingua, ſed ſceptro potius magiſtratus refutandam eſſe docuerunt, quin etiam eorum communione ſuis interdixerunt, & eis in ſuae ſectae ciuitatibus receptum dari prohibuerunt: quod etiam Ioannes a Lasko non vno loco queritur, cum per Saxoniam iter feciſſet, hoſpitio ſe quandoque receptum non fuiſſe. Tam abhorrent ab hac peſtilenti ſecta Lutherani: cum interea tales hi vel ipſis Lutheranis tam deteſtabiles in ſenatu regio prima loca propemodum obtineant, & prae caeteris apud Maieſtatem regiam gratia & autoritate valere dicantur. Si vero compoſitio debet fieri de Decimis, equidem non video, cur non potius exequutio

quutio regni ſtatutorum, quam compoſitio fieri debeat, quandoquidem ita clara ſunt de illis ſtatutorum verba, nulla vt eſſe poſſit ambiguitas, nec vllius interpretationis egeant. Deinde vero Decimae quoque ſunt iuris diuini, cum in evangelio expreſſe mandetur, non eſſe illas omittendas. At de iis, quae ſunt iuris diuini, nullam habet non modo ſecularis, ſed nec ſpiritualis poteſtas, ſecus aliquid ſtatuendi poteſtatem. Verumtamen ſi neceſſario faciendum eſſet alterutrum, vt aut de religione aut de decimis compoſitio fieret; mallem de poſteriori, quam de priori: niſi quod ſine magno ordinis veſtri detrimento eiuſmodi compoſitio fieri non poteſt. Ad ſertones enim ſpectare videntur, quos & ipſos paulo poſt dare recuſabunt. Quoties autem promiſit Regia Maieſtas ab aſſere ad aſſerem exequutionem ſe facere velle? At vbi nunc eſt iſta exequutio? Poſteaquam ad Chriſti cauſam, ad S. religionem, ad ea, quae debentur Chriſti miniſtris, iura & priuilegia (quae vt aliorum iura in libro ſtatutorum aeque continentur) ventum eſt; altum ſtertit exequutio. Qua vero de cauſa? quia non placet haereticis. Nam quod haereticis placuit, legis vigorem obtinere ſemper debet. Nulla fere 15 his annis comitia fuerunt, in quibus haeretici, quod voluerunt, non obtinuerint. Bone Deus in quae tempora me ſeruaſti! Stupeo, cum ipſe mecum conſidero, quantus apud nos timor diaboli, quantus Dei ſit contemptus. Huius diuitias bonitatis & patientiae & longanimitatis contemnimus, & ſecundum duritiam noſtram & impoenitens cor theſaurizamus nobis iram in die irae; nec ſalubribus conſiliis, quae per Spiritum eius ſuggeruntur, loci quicquam damus. At illum tanti facimus, vt nihil eſſe tam abſurdum queat, quod, ſi ille per membra ſua faciendum ſiue decernendum ſuggeſſerit, non illico pedibus in ſententiam eius eamus. Sed haec eſt ad interitum via, quem non procul a patria noſtra abeſſe video. Nam & in Galliis ita propemodum euenisſe cernimus; dum qui rerum potiebantur, etiamſi chriſtianiſſimi vocari volebant, quoties tamen ſe Chriſtianos aperte profi-

teri

teri debebant, ita se gerebant, vt nec in hanc nec in illam partem inclinare viderentur: haereticis dignitates & praefecturas mandabant, quod eos offendere nollent, nec hanc opinionem de se concipi vellent, quasi plus Christianis quam Caluinianis fauerent. Inde natum est postea ciuile bellum. Nam cum haeretici praecipuis ciuitatibus praefecti fuissent, & magnam essent rerum omnium potestatem consequuti, sicut antea Pontificem Romanum de cathedra sua deturbare, sic regem quoque, cui iureiurando fidem suam obstrinxerant, de solio suo deiicere conati sunt; & alium in locum eius elegerunt, cui Ludouico 13 nomen dederunt. Iisdem prorsus vestigiis incedunt nostri, & ad interitum praecipites ruunt. Quod si Christum aperte tum rex professus fuisset, & in solo Deo, non autem in istis humanis tantum vel Diabolicis potius praesidiis fiduciam suam positam habuisset, nunquam ad ciuile bellum hoc ventum fuisset. Mirum est autem, quorum exitus non possumus non perhorrescere, quod eorum facta nihilominus imitamur; & nos tum demum tutos fore confidimus, cum omnem Dei timorem abiecerimus, & hoc tantum omni studio laborauerimus, vt ne vel minima aliqua in re Diabolum offendamus. Hoc Duce secura nobis omnia fore confidimus. Quid igitur faciendum est? Deum precemur, vt misereatur nostri, illuminet vultum suum super nos: ab ista nos tanta coecitate liberet: mentis oculos, quos peccata nostra nobis ademerunt, nobis restituat: conuertat nos, & auertat iram suam a nobis.

Caeterum venit mihi in mentem, quod ante duos annos Reuerendissimae D. vestrae suadebam, vt in hoc vnum incumberet, quo in proximis comitiis effici posset, vt Regia Maiestas aperte Christum profiteretur, nec amplius secus de se suspicandi multis causam daret; dum non minus eum esse suum Lutherani vel Zuingliani, quam Christiani gloriantur. Placuisse visum est consilium hoc Reuerendissimae D. V. Verum quod illud hactenus amplexa fuerit, non video. Vrgendus esset certe Princeps,

vt ne claudicaret vtroque pede, ſed aperte fidem ſuam profiteretur. Nam ſemel ſi diceret ſe Chriſtianum eſſe, Chriſtianis parentibus, auis, proauis, prognatum, neque debere quenquam ſibi perſuadere, quod Chriſtianam fidem deſerturus, & quamcunque tandem aliam perfidiam ſit recepturus; iam haec, quae coepta nuper eſt, tragoedia, quem volumus, exitum conſequeretur. Etiamſi non ſtatim initio fieret Statutorum aduerſus haereticos exequutio, quam ad rem vix adduci poſſe Maieſtatem Regiam exiſtimo; ſaltem hoc ſcirent haeretici, quod fruſtra ſunt de ſua perfidia confirmanda ſoliciti: deinde vero nullus eis deinceps aditus ad honores & praefecturas pateret. Credat Reuerendiſſima D. veſtra, quod intra vnum aut alterum annum ad Eccleſiae gremium plurimi redirent, & extinctas haereſes omnes videremus. Quod ſupereſt, opto, Reuerendiſſimam D. veſtram diu eſſe ſaluam & incolumem; cuius me beneuolentiae diligenter etiam atque etiam commendo. Datum ex ſuburbio Romano apud S. Angelum die XIIII. Octobris Anno Domini 1570.

ANNOTATIO.

Huius epiſtolae non habemus avthenticum exemplar; ſed ſive conceptam primum ab Hoſio formulam, ſive copiam ab originaliter concepta formula, autoris iuſſu, Romae deſcriptam, ac eius epiſtolarum voluminibus inſertam. Miſſa eſt ad Stanislaum Karnkowski, ſeu, Carncovium, Vladislavienſem epiſcopum, ad quem plures epiſtolas dedit Hoſius, in editis Coloniae anno 1584. obvias.

Caeterum vt rectam ſententiam de incredibili iteratoque ſaepe et multum Hoſii gaudio, a mutata confeſſione Auguſtana profectum, dicere lectores poſſint; ex actis publicis breviter demonſtrabo, neque Romanam, neque evangelicam eccleſiam variatam editionem vnquam pro Auguſtana confeſſione habuiſſe, cui pax religionis publica ſuperſtructa eſt.

I. Romanam eccleſiam, privato Melanchthonis conſilio mutatam confeſſionem non habuiſſe pro Auguſtana, Carolo V. exhibita, probant 1. *omnes imperii*

imperii receſſus, de quibus calvinianum profeſſorum et miniſtrorum eccleſiae Tigurinae collegium anno 1557. die 15. decembris ad Bezam ſcribebat: *Imperator cum omnibus imperii ordinibus diſſimulavit hucuſque, adeoque ſe diſſimulaturum religionis diverſitatem, ad futurum vſque concilium, promiſit, modo Proteſtantes in iis perſeverent, quae confeſſione oblata profeſſi ſunt, neque vllo modo iis accedant, qui idola deiiciunt, et corporalem Chriſti in coena praeſentiam negant. Extant adhuc eius rei locupletiſſimi teſtes, Receſſus imperii Germanice impreſſi. Quid quod, in conſequentibus comitiis omnibus, ab Auguſtanis illis* (anno 1530.) *ad Reginoburgenſia haec vltima vſque celebratis, ſemper et vnice cautum eſt, vt ſolis Proteſtantibus data videatur pax, alienis a Confeſſione Auguſtana praecluſa, adeoque ſacramentarii nominatim ſint excluſi.* * Prabant II. *omnia colloquia publica*, Caeſaris autoritate inter Romanae eccleſiae et evangelicorum doctores habita. Nimirum non agnovit eccleſia Romana in colloquio inſtituto anno 1541. die XIV. Ianuarii, Wormatiae. Ipſe enim Melanchthon, in actis huius et Ratisbonenſis colloquii Wittebergae 1542. a ſe publicatis, folio 125. fatetur, D. Ioannem Eckium, collocutorem caeſareum, initio ſtatim dixiſſe, exemplar confeſſionis Auguſtanae, a Melanchthone ſibi exhibitum, non eſſe conſentaneum receſſui Hagenoënſi. Nam vi illius oportuiſſe Melanchthonem exemplar nude et vere exhibere ſine vlla mutatione, eodem prorſus modo, quo Caeſari anno 1530. exhibitum fuiſſet. Addit Melanchthon folio 130. ſe reſpondiſſe, in rei ſubſtantia nihil mutatum eſſe, quamvis in poſteriore editione *(Latina nimirum, quam prima vice mutilam anno 1540. typis imprimi curaverat Wittebergae)* mitiora et clariora verba poſuiſſet. Ad calvam hanc excuſationem, vt ipſe Melanchthon folio 138. refert, D. Eckius regeſſit, facile ſe oculari inſpectione oſtenſurum, non modo in verbis, ſed etiam in rebus variatam eſſe confeſſionem; ſed illud ſe facturum, cum diſputando ad articulum X. de ſacra coena perveniſſet,

Colloquio autem poſt paucos dies iuſſu Caeſaris abrupto, vltra articulum de peccato originis non ſunt progreſſi collocutores. **

Non agnovit eccleſia Romana in colloquio Ratisbonenſi anno 1546. Probo id primum teſtimonio Petri Malvendae, caeſarei collocutoris, de quo acta, decreto Caeſaris anno 1547. Lovanii edita, litera D. 3. ſic loquuntur: *Malvendâ libellum Auguſtanae confeſſionis manu tenens (nam haec iubebatur proponi in col-*

* *Epiſtolam Tigurinorum edidi ex autographo bibliothecae Gothanae to. II. de vnione eccleſiaſtica cum reformatis, p. 59.*

** *Acta colloquii huius Wormatienſis habentur etiam in operibus Melanchthonis to. IV. p. 640.*

loquium a Caeſare, et ab articulo iuſtificationis initium fieri, quemadmodum ſupra commemoratum eſt) interrogavit adverſarios, eſſetne haec confeſſio, cui inſiſterent proteſtantes, et quam Caeſari anno 1530. Auguſtae exhibuiſſent? cumque reſpondiſſet Bucerus, eſſe: porro interrogavit: huius igitur confeſſionis, apologiaeque eiuſdem (nam vtrunque oſtendebat) ſententia agnita, ecquid damnatis, inquit, caetera, etiam veſtra ipſorum ſcripta, quaecunque his contrariam ſententiam continent? Hic haerebat Bucerus, et tamen, cum ſe collegiſſet, reſpondit: damnare. Probo deinde ex confeſſione Martini Buceri, collocutoris evangelici, qui acta colloquii edidit anno 1548. hoc titulo: *diſputata Ratisbonae in altero colloquio, anno XLVI.* In his actis p. 24. ait Bucerus: *Exhibuit* (Malvenda) *primum omnium nobis librum confeſſionis noſtrae Auguſtanae, et eius, quae Auguſtae primum oblata eſt, non eius, quae poſtea eſt aliquantulum aucta, et illuſtrata: atque interrogavit nos, an agnoſceremus, eam eſſe confeſſionem, quam exhibuiſſemus Imperatoris Maieſtati, et ordinibus Imperii, in comitiis Auguſtanis anno 30. celebratis. Reſponſum eſt a nobis, nos eam agnoſcere. Ille rurſus: Num etiam reiiceremus ſcripta omnia, quae eſſent huic confeſſioni contraria. Reſponſum eſt, nos ea omnia reiicere.*

Igitur magnam Romanae eccleſiae iniuriam faciunt, qui ab ea Melanchthonis mutatam confeſſionem pro Auguſtana vnquam eſſe habitam comminiſcuntur.

II. Evangelicam eccleſiam, quae, vt a Calvini ſectatoribus ſeiungeretur Lutherana dici conſuevit, nunquam confeſſionem mutatam pro Auguſtana confeſſione Carolo V. exhibita, et iurium, quae huic ab imperio attributa ſint participe habuiſſe, in inſtructione, adverſus eccleſiaſticam Proteſtantium vnionem anno 1722. edita, ex actis publicis copioſe demonſtravi. Nunc duo tantum evidentiſſima argumenta proferemus. *Primum* eſt omnium in toto imperio Romano evangelicorum ſtatuum teſtimonium, qui in formulae concordiae praefatione ita aiunt: *Poſt ſinceram et immotam verbi Dei veritatem, iam primam illam Auguſtanam Confeſſionem, Imperatori Carolo V. anno 153[illegible] celebribus illis Comitiis Auguſtanis exhibitam, ſolam (dicimus) nec vllam a amplecti nos velle luculenter teſtamur: cuius exemplia in Archivis anteceſſ noſtrorum excellentis memoriae, qui ipſi Carolo V. in Comitiis illis eam exh runt, repoſita, per fide dignos homines, ne quid ad accuratiſſimas ratione gentiae in nobis deſideraretur, cum eo, quod Imperatori ipſi exhibitum eſt Sacri Romani Imperii archivo aſſervatur, conferri voluimus. Alterum* ei

Weſtphalicae teſtimonium, quae clariſſimis verbis ait articulo VII. numero primo: *proteſtantes duas partes conſtituunt.* Cum in illa pacis tractatione ſtatus variatae confeſſioni addicti, qui ſe reformatos vocant, pro Auguſtanae confeſſionis ſociis haberi vellent; nevtiquam id fieri paſſi ſunt principes evangelici: quod archivorum fide enarrat Tobias Pfannerus * hoc modo: *Ea* (verba initialia articuli VII.) *vtut primum Reformatis non omnino probabantur, vocabulis* INTER ILLOS *voculae* INTER HOS *ſubrogari flagitantibus, quibus, ad ſe quoque Auguſtanam confeſſionem pertinere, innueretur; conceſſere tamen Svecorum atque ordinum Lutheranorum conſtantiae, quorum illi lege regia Svecica ſe prohiberi affirmabant, quo minus Reformatos pro ſociis religionis haberent; iſti vero moleſtam ſibi iactantiam Reformatorum oſtendentes, de Auguſtanae confeſſionis conſortio gloriantium, cum cura verba iſta ſeſe vſurpaſſe indicabant, vt ſcilicet non inter Auguſtanae confeſſioni addictos, ſed ſtatuum imperii nomine, quorum prioribus verbis mentio fiebat, deſignarentur. Satis eſſe debere Reformatis, quod Proteſtantium appellatione honorati, in iura aſſumerentur, quondam ſolis pontificiis atque Auguſtanae confeſſionis ſociis propria.*

Mens humana tot morbis laborat, vt etiam ethnici dixerint: *putasne tu omnium vnam poſſe eſſe ſententiam? non eſt vnius vna.* Etſi igitur non negamus, quosdam theologos, ἀνθρωπαρέσκους, interdum etiam principes ſingulos, privatis vtilitatibus perinotos, iuſto benignius de mutata confeſſione iudicaſſe; tamen exploratiſſimum eſt, eccleſiae evangelicae vniverſitatem ſemper eam reieciſſe, & damnaſſe, hoc eſt, aſſumentis eius ac pigmentis fidem dogmaticam et hiſtoricam abiudicaſſe. Tantum abeſt, illam in conventu Naumburgenſi a coetu congregatorum principum approbatam fuiſſe, vt potius Ioannes Fridericus II. Vinarienſis, cuius avus & pater Carolo V. confeſſionem exhibuerant, ſocero ſuo, Friderico III. Palatino, palam exprobraverit, eſſe ipſum Calvinianum, et confeſſionis Auguſtanae deſertorem, vt narrat Palatius in geſtis pontificum Romanorum volumine IV. columna 268. Saepe fit, vt in eodem corpore vna pars regulam aliquam ſimpliciter ſequatur, altera quaedam ei adiiciat, aut demat. Ita Natalis Alexander, monachus Dominicanus, ac facultatis theologicae Pariſienſis doctor et profeſſor, ante paucos annos to. IIX. hiſtoriae eccleſiaſticae p. 696. ſcribebat: *Caput concilii Tridentini, quod incipit:* cauſae criminales, *in Galliis non eſt receptum.* Et p. 704: *Concilii Tridentini autoritati non derogat, quod nonnulla eius decreta diſciplinam ſpectantia in Galliis recepta non ſint.*

* *Hiſtoria pacis Weſtphalicae p. 628.*

Sed hic Alexandri ſermunculus parum dilucidus mihi videtur. Veriſſimum enim eſt, concilium Tridentinum nunquam a Galliarum regibus eſſe acceptatum: vnde, quod ipſe Antonius Charlas de libertatibus eccleſiae Gallicanae libro IV. capite VI. refert, Ioannes Gerbaſius, magni nominis in Gallia ſcriptor, aperte docuit, nullam concilii Tridentini legem Gallos ligare, defectu acceptationis. Etſi autem Charlas probare connititur, clerum Gallicanum anno 1615. approbaſſe illam ſynodum; tamen in opere, quod excitat, et cui editor, Petrus Puteanus, hunc titulum praeſcripſit: *Preuves des libertez de l'egliſe Gallicane*, capite 14. p. m. 256. diſerte dicunt epiſcopi, vt Charlas ipſe to. I. p. 163. verba Gallica vertit, obſervaturos ſe concilium, *quantum per functionem ſuam, et auctoritatem ſpiritualem et paſtoralem poſſent.* Quae eſt haec receptio, aut approbatio?

PARS

* *

PARS TERTIA,

QVA

IVLII PFLVGII,

ET

DIVERSORVM

MONVMENTA INEDITA

CONTINENTVR.

I.

Leo X. Pflugio.

Dat licentiam, horas canonicas ſolitarie recitandi.

LEO PP. Xs.

Dilecte fili ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Petitionibus tuis in hac parte fauorabiliter annuentes, tibi, vt ſolus, aut cum vno ſocio per te ad hoc pro tempore eligendo, horas canonicas diurnas pariter & nocturnas iuxta morem & conſuetudinem ſanctae Romanae Eccleſiae quoad vixe- praeterquam in choro eccleſiarum, in quibus pro tempore ieficiatus fueris, dicere & recitare libere & licite poſſis & va-, nec ad alium morem ſeu conſuetudinem ſuper hoc obſer- dum etiam ratione quorumcunque beneficiorum per te nunc ›ro tempore obtentorum tenearis, neque ad id a quoquam qua-

quauis auctoritate inuitus compelli valeas, apoſtolica auctoritate tenore praeſentium de ſpirituali gratia concedimus & indulgemus. Non obſtantibus apoſtolicis ac in prouincialibus & ſynodalibus conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, nec non eccleſiarum, in quibus beneficia obtines & forſan obtinebis in futurum, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romae apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris Die XXI. Iulii MDXIX. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo

Io. de Lerma.

Dilecto filio, Iulio Pflugk,
Canonico Eccleſiae Miſnenſis.

ANNOTATIO.

Iulius Pflug, cui haec diſpenſatio contigit, nunquam, quod meminerim, familiae ſuae nomini particulas *a*, *ab*, *de*, praepoſuit. Multae enim venerandae antiquitatis domus, illae inprimis, quae iam in ethniciſmo inclaruiſſe, & ſiue ab animalibus, ſiue ab animalium partibus, & artefactis, nomina mutuatae videntur, ab eiusmodi praepoſitionibus ſibi temperarunt, exempli gratia, *Geyer*, *Horn*, *Pflug*, *Oxenſtirna*. Nemo igitur exiſtimet, dictas adiectiones indubitatum nobilitatis indicium eſſe. Sunt enim, teſte quotidiana experientia, multae ignobiles familiae, quae praepoſitionibus iſtis, ab atauis in ſe derivatis, legitime vtuntur, cum notiſſimum ſit, in medio aevo plerosque omnes, etiam obſcuros monachos, non cognomina familiae ſuae geſſiſſe; ſed a prouincia patria, aut a loco nativitatis, ac domicilii, adſciviſſe appellationem. Quamobrem hodie non paucae familiae opulentae, ſine omni diplomate caeſareo, pro nobilibus idcirco habentur, quod maiores ipſorum bello, aut emtione, pagos, vel caſtra, acquiſiviſſent, ab iisque ſibi ac poſteris haereditaria cognomina indidiſſent.

Thuanus, qui nomina Gallorum & Germanorum propria Latinum in morem turpiter inflectere ſolet, Flug vocat. Eſt autem in lingua Germanica diſcrimen magnum inter *Pflug*, aratrum, & *Flug*, volatum.

Introivit in hanc vitam Iulius Pflug, magnum, ac prorſus ſingulare Germanicae nobilitatis decus, circiter anno 1503. in Miſnia, patre Caeſare Pflug, equite

equite aurato, viro, vt est in eius anno 1524. demortui epitaphio, quem a republica & patriae complexu vix ipsa tandem fatorum vis divellere potuit. Humaniores literas Iulius in Germania Lipsiae a Petro Mosellano, cui elegantissimum epicedium scripsit, a Seckendorffio libro I. Lutheranismi, sectione 26. paragrapho 62. additione 2. recitatum; in Italia vero a Lazaro Bonamico didicit. Ob praeclara naturae dona, & felicem institutionem Moguntiae, Misnae & Naumburgi mature canonicus, etiam Doctor, (iuris, an theologiae, non habeo dicere) factus est. Anno 1541. in locum Philippi, Palatini, qui hoc anno die 6. Ianuarii e vita decesserat, cum absentem canonici Naumburgenses episcopum suum eligebant, idque electori Saxoniae demum die 21. Februarii palam significabant. Qua in re iusto festinantius actum esse, nemo rerum harum intelligens diffitebitur. Idcirco elector, Ioannes Fridericus, episcopum Naumburgensem non nisi cum consensu principum eligi posse existimans, tanquam patronus et advocatus illius dioeceseos, improbavit electionem Iulii, ac, vt eius inaugurationem anteverteret, die 20. Ianuarii anni 1542. cum per integrum annum alius cuiusdam electionem a capitulo postulasset, spectatae probitatis virum coelibem, Nicolaum ab Ambsdorff, anno 1483. familia equestri in Misnia natum, pessimis consultoribus auscultans, per Lutherum, etiam in hac re aliquid humani passum, Naumburgi inaugurandum curavit: quod ab illustri Seckendorffio libro III. sectione 25. paragrapho 96. diligentissime enarratum est. Erat enim Iulius, vt Seckendorffius loquitur, *pertinacia in veteri religione (cum aliqua tamen reformatione) retinenda, & per sophismata excusanda, electori odiosissimus.* Sed Saxone anno 1547. a Carolo V. in captivitatem abducto, Iulius episcopatum suum adeptus est, rexitque vsque ad annum 1564. quo die 3. Septembris ex hac vita migravit annos natus fere LXI.

Cum Melanchthonem & Ioachimum Camerarium, iusto propemodum moderatiores in religionis negotio professores, antiquitus in suam recepisset amicitiam; ex illa consuetudine hanc sententiam suxit, vt ob magnos multosque abusus ecclesiam Romanam reformandam, non autem evertendam esse arbitraretur. Quamobrem imperatoribus Austriacis, quos iugi pontificii iampridem pertaesum erat, gratus fuit inprimis.

Anno 1534. decanus Misnensis a Georgio Saxone missus est Lipsiam, vbi in monasterio Paulino cum Melanchthone & aliis egit de componendis religionis controversiis, vt Seckendorffius tradit libro III. additione paragraphi 31.

Anno 1541. nondum episcopus deputatus est collocutor caesareus ad celebre illud colloquium Ratisbonae habitum, quo inter ipsum Gropperumque, & Ioannem Eckium, collegam suum, tanta dissensio orta est, vt Pflugius & Ioannes Gropperus (Susati (Soest) in Westphalia e domo ignobili natus, sed a Paulo IV.

lo IV. anno 1555. creatus cardinalis, vt refert Oldoinus to. III. col. 851.) ſupplicationem adverſus eum colloquii praeſidibus, Friderico Palatino, & Nicolao Granvello, exhiberent, quam Eckius in apologia adverſus calumnias Bucери, ſuper actis comitiorum Ratisbonae, Ingolſtadii anno 1542. edita, ſibi folio 152. ſumſit confutandam.

Anno 1546. caeſar literis Traiecti die tertio Februarii ſcriptis Pflugium colloquio ſecundo Ratisbonenſi tertium praeſidem ſuperaddidit, quas literas demum ſub colloquii finem, die 25. Februarii, Pflugium ipſum Ratisbonam attuliſſe arbitror. Cum evangelicorum collocutores die 20. Martii praeſidibus, Pflugio & Friderico, comiti de Furſtenberg, excuſationem miſiſſent, ſeque a principibus & magiſtratibus ſuis domum vocari ſignificaſſent, abiiſſentque ſine mora; nihil ferme in hoc conventu laude dignum a Pflugio fieri potuit.

Anno 1548. caeſar Romae poſtea reiectam doctrinae, caeremoniarum, rituum adiaphororum, & eccleſiaſticae emendationis formulam, quae *interim* valeret, donec concilium oecumenicum inſtauraretur, per Pflugium, Sidonium, & Agricolam conſcribi curabat. Hanc nonnihil limitatam cum eccleſiae Mauritii, nuper Saxoniae electoratu a Carolo V. ornati, in gratiam caeſaris, Melanchthone duce, reciperent; illae autem, quae in Saxonis captivi ditione erant, penitus execrarentur; inter ipſos evangelicos ſummam de adiaphoris diſcordiam peperit libellus hic dictus *interim*, vt et Thuano notatum libro V. ac Spondano anno 1548. n. 9.

In his motibus omnium conſiliorum Mauritii particeps Iulius, Erneſtinorum Saxonum oſor, etiam conventui interfuit Pegaviae anno 1548. die 23. Auguſti inter Mauritii theologos, & Miſenum ac Naumburgenſem epiſcopos de recipiendo libello *interim* inſtituto: quem Melanchthon litera Ll 4. deſcribit in opere anno 1559. edito, cui titulum fecit: *ex actis ſynodicis collecta expoſitio.*

Fuiſſe Iulium anno 1552. Tridenti, comprobant negotiorum eius geſtoris, Caſpari Hoyeri, Roma Tridentum ad eum ſcriptae, quas habemus, epiſtolae.

Denique Iulius anno 1557. praefuit collocutoribus totius imperii autoritate Wormatiam convocatis. Qua de re falſa pleraque Spondanus huius anni numero 15. veriora autem Thuanus libro XIX. retulit. In hoc conventu Iulius voluit omnes palam prius damnare Zwinglianam de euchariſtia doctrinam, vt ita inter Lutheranos tantum genuinos & pontificios concordia iniretur. Noluit autem Melanchthon Zwinglianos damnare. Lege Perizonii commentarium de rebus Europae ab anno 1500. ad mortem Caroli V. p. 638.

II.

Eraſmus Roterodamus Pflugio.

Tradidiſſe ſe typographo eccleſiaſten.

Pergratum eſt, Iuli clariſſime, quod lucubrationes meas grato acceperis animo. Videor mihi accepiſſe munus, non dediſſe. In titulo precatiuncularum erratum eſt in nomine. Danieli habet pro Dauidi. Occaſionem erroris praebuit Rupilius in epiſtola, qua recenſebat nomina liberorum Paungartneri: manu properante ſic erat ſcriptum Dauid, vt poſſet videri Daniel. Rogo, vt id calamo corrigas, alioſque, ſi detur oportunitas, vt idem faciant, admoneas. Pro chriſtiana admonitione tua plurimam habeo gratiam, tametſi quod mones, iamdudum ago ſedulo. Nulla ſpes mihi blanditur in hoc mundo. Nec aliud meditor, nec aliud in votis eſt, quam vt hinc feliciter exeam. Malim cruciatus aut mitiores, aut breuiores. Sed dominus eſt. Scribunt ad me amici, quod Ambroſius a Gumpenberg tradiderit tibi Sepuluedae libellum ad me perferendum. Quid argumenti ſit non indicant.

Egregius ille princeps Georgius exceſſit e viuis, ſi vera ſcribunt. Petri Curſii pro Italia defenſionem accepi Romae, excuſam. Qua de re mitto fragmentum cuiuſdam epiſtolae meae. Sunt qui inſtigent hominem, vt rideant. Idem finxerunt priuatam epiſtolam velut a me ſcriptam ad Petrum Curſium, in qua hoc ago, ne edat ſuam apologiam. Homines male feriatos! Quod autem non reſcripſi tuis litteris prioribus amantiſſime vt ſemper ſcriptis, tum prorſus eram ἄχειρ, & dictandis aliquot neceſſariis iam ſtomachum delaſſaram. Dominus res tuas omnes proſperet beneque fortunet. Eccleſiaſten noſtrum commiſi typographis, opus quatuor libris digeſtum, ſed rude etiamnum, ac ſummae manus indigens. Verum quum flagitaretur, reputaremque corpuſculi imbecillitatem, malui vel ἡμιτελὲς emittere,

quam committere, vt mihi poſthumus exiret partus, haut ignarus, quam parum bona fide tractentur defunctorum lucubrationes. Per hunc huc recurſurum reſcribas, licebit, ſi quid me ſcire voles. Vale. Friburgi poſtridie aſcenſionis 1535.

Erafmus Rot.
mea manu.

Iuuenis, qui has perfert, hic ſtrenuam operam nauauit Iuriſprudentiae duce Zaſio; itaque miſſionem magna cum laude promeruit, morum quoque nomine praedicatus ab omnibus. Sed a ſtudiorum militia dimiſſus, mox hic alligatus eſt, ſed grata compede. Duxit enim puellam & genere claram, & forma praeſtantem. Patria Mogontinenſis eſt. Quem tu dignaberis alloquio tuo, vir omnium humaniſſime.

III.

Carolus V. Pflugio et aliis.

Literae fiduciariae Veſalio datae.

CAROLVS diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus.

Magnifice ſyncere dilecte. Dedimus Venerabili Ioanni Electo Archiepiſcopo Lundenſi, Epiſcopo Conſtantienſi, & Roſchildenſi, Principi, Conſiliario, & Oratori noſtro generali ad Germaniam, Deuoto nobis dilecto, in mandatis, vt tibi aliqua noſtris verbis referat, quae ab illo intelliges. Hortamur itaque te, ſtudioſe petentes, vt eidem Principi, & Oratori noſtro, in iis, quae nomine noſtro dicturus eſt, fidem indubitatam velis habere, non ſecus ac ſi nos ipſos coram audires. Facturus rem nobis pergratam. Datum in oppido noſtro Madrito, Die XIIII. Men-

Mensis Octobris, Anno Domini M. D. XXXIX. Imperii noſtri XIX. & Regnorum noſtrorum XXIIII.

Carol.

Obernburger.

ANNOTATIO.

De Ioanne Wezio, qui inter primarios Caroli V. miniſtros fuit, illuſtris Seckendorffius cum alia multa, tum libro III. paragrapho LXV. haec habet: *Literae Caeſaris, menſe novembri ex Hiſpania miſſae ſupervenerunt, quibus Electorum mediationem offerentium ſtudium, et indictum Francofurthi in annum ſequentem conventum approbabat, et Legatum ad illum nominabat Iohannem, cui a patria, celebri Clivenſis Ducatus urbe,* (Weſel) *Veſalio cognomen fuit, titulo tenus archiepiſcopum Lundenſem et epiſcopum Rotſchildenſem in Dania, quas et dignitates Chriſtiernus Rex, cui a conſiliis fuerat, procuraverat, exilio utriusque amiſſas: adeptus autem poſtea erat Caeſaris gratia epiſcopatum Conſtantienſem.*

IV.

Paulus III. Pflugio.

Sex menſes largitur Pflugio ad deliberandum, velitne electionem ad epiſcopatum Naumburgenſem ratam habere, an ſecus?

PAVLVS PP. III.

Dilecte fili, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum, ſicut exponi nobis nuper feciſti, vacante ſuperioribus diebus eccleſia Numburgenſi, dilecti filii capitulum dictae eccleſiae Te ab eadem eccleſia abſentem in epiſcopum Numburgenſem canonice & concorditer elegerint dictamque electionem tibi per eorum literas ſignificaverint, Tuque electionis huiuſmodi tibi praeſentato decreto ei diſſenſum non praeſtiteris, ipſi tamen ob temporum conditiones, & quia mature id deliberare intendis, hactenus non aſſenſeris, nobiſque humiliter ſupplicari feceris, vt

tam ſuper hoc, quam etiam, ſi ipſi electioni conſenſeris, ſuper petitione confirmationis dictae electionis a nobis obtinendae oportune tibi prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur: Nos huiuſmodi tuis precibus inclinati, tempus ad conſentiendum dictae electioni, petendamque eiuſdem electionis a nobis & ſede apoſtolica confirmationem, a iure aut alias tibi conceſſum ad ſex menſes ab illius fine, quatenus nondum lapſum ſit, prorogamus, alias de nouo concedimus auctoritate praedicta per praeſentes, Decernentes dictam eccleſiam propterea non vacare, ſicque ab omnibus Iudicibus, etiam Rotae Auditoribus iudicari debere, ſublata eis quauis aliter iudicandi facultate & auctoritate, ac irritum & inane, quicquid ſecus a quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari. Ac mandantes eidem Capitulo ſub indignationis noſtrae paena, ne durante hac noſtra prorogatione aut noua conceſſione, etiam ſi dictum tempus iam lapſum ſit, ad aliquam aliam electionem procedere audeant. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ac dictae eccleſiae etiam Iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, caeteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romae apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XVI. Aprilis M. D. XXXXI. Pontificatus noſtri Anno Septimo

Blo. el. Fulgin.

Dilecto filio, Iulio Pflug,
Canonico Maguntin.

ANNOTATIO.

Hac pontificis indulgentia ac prohibitione capitulum prudenter arcebat Pflugius ab alterius epiſcopi electione, quam elector Saxo vrgebat.

V. Pau-

V.

Paulus III. Pflugio.

Concedit Pflugio deliberandi ſpatium, an ſuſcipere, vel repudiare velit inſulam Naumburgenſem.

PAVLVS PP. III.

Dilecte fili ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis feciſti, quod nuper eccleſia Numburgenſis, cui bonae memoriae Philippus Epiſcopus Numburgenſis dum viueret praeſidebat per obitum ipſius Philippi, qui extra Romanam curiam debitum naturae perſoluit, paſtoris ſolatio deſtituta, ne eccleſia ipſa diuturnae vacationis exponeretur incommodis, Dilecti filii, Capitulum dictae eccleſiae, ad quos electio, vt aſſeris, ſpectat & pertinet, de Catholico vtili & fructuoſo paſtore illi prouideri cupientes, more eorum ſolito, ſacrarum ſanctionum & eccleſiae huiuſmodi ſtatutorum & conſuetudinum ſeruata forma, ac rite & recte procedentes, Te tunc canonicum Maguntinum ad eccleſiam praedictam & illi in epiſcopum & paſtorem praeficiendum concorditer elegerunt, electionemque tibi per eorum literas, vt moris eſt nuntiarunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, tu electione praedicta intellecta ad eam acceptandam ex certis honeſtis rationibus & cauſis nobis relatis infra tempus a ſacris canonibus ſuper electione epiſcoporum acceptanda & illius confirmatione petenda & obtinenda diffinitum, commode deliberare minime poſſe ſperes, Nobis humiliter ſupplicari feciſti, vt tibi in praemiſſis de opportuno remedio prouidere dignaremur. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, tempus a ſacris canonibus ad electionem huiuſmodi acceptandam inſtitutum, quatinus lapſum non ſit ad ſex menſes, a fine dicti temporis extendimus & prorogamus, ac vltra tempus a iure communi ad electionem acceptandam huiuſmodi conceſ-

ſum

ſum tibi ſex menſes auctoritate apoſtolica tenore praeſentium concedimus & indulgemus. Ita quod dicto tempore durante ad ſuper electione praedicta deliberandum a capitulo praefatis vel quibuſuis aliis inuitus minime cogi & compelli valeas, ac electionem praedictam eo, quod tu illam non acceptaueris, irritam, & inanem, ac ad nos & ſedem apoſtolicam deuolutam, eſſe cenſeri, dictumque capitulum eodem tempore durante alium eligere non poſſe neque debere, quin immo onus regiminis & adminiſtrationis dictae eccleſiae ac iuris epiſcopalis in ſpiritualibus & temporalibus ſufferre poſſe ac debere, & teneri, auctoritate & tenore praemiſſis decernimus & declaramus. Non obſtantibus apoſtolicis ac in prouincialibus & ſynodalibus conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, nec non eccleſiae praedictae iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, caeteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Marini Albanenſis dioeceſeos ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Iunii MDXXXXI. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

Blo. el. Fulgin.

Dilecto filio, Iulio Pflug,
Canonico Maguntino.

VI.

Cochleus Pflugio.

Laudat Conradi Bruni adverſus evangelicos adornata opera.

S. & deuota obſequia mea.

Quae Reuerendiſſima Dominatio tua ad paruitatem meam ſcribere dignata eſt, multa cum gratiarum actione & animi

ni hilaritate accepi. Non enim modica tenuit me de Reueren-
liſſimae D. t. ſtatu & rerum ſucceſſu ſollicitudo. Doleo equidem
ulcherrimas illas terras veſtras tam grauiter affligi ac deuaſtari.
ed non dubito, ex iuſtiſſimo Dei iudicio haec omnia continge-
e. Et ſpero, Reuerendiſſimam D. t. breui reſtitutum iri. Ma-
na tamen tenet me perpetuo ſollicitudo de conquirendis ido-
eis ad paſtoralem curam perſonis. Quarum paucitate labora-
ir vbique per Germaniam. Caeterum omnes Domini & con-
atres mei, quos Reuerendiſſima D. t. ſalutat, bene valent; ma-
ima eorum pars heri mecum fuit apud R. Patrem Priorem Reb-
orfenſem, qui iucundum nobis exhibuit carnis priuium tota
ie; & hoc mane miſi Paſquillum nouum (quem heri a Cancel-
rio miſſum in Rebdorff multa cum animi recreatione & hilari-
te recepimus, cuius exemplum nunc mitto ad Reuerendiſſi-
num Dominum Miſnenſem, vt Reuerendiſſimae D. tuae com-
unicet, vna cum hiſtoria Germanica, qua me gratioſe donauit
euerendiſſima D. t. ad R. D. Decanum Eyſtetenſem cum ſaluta-
one tua. Caeterum eximiae eruditionis vir, D. Con. Brunus,
uper e Landshuta miſit ad me duo eximia opera ſua, quorum
num ſex libros de haereticis, alterum vnum duntaxat librum
e caeremoniis, ſed bene prolixum continet, quibus multo tem-
ore nihil ſolidius, ordinatius aut eruditius legiſſe me arbitror.
os eius iuſſu perlegi totos, & per proprium nuncium ad eum
emiſi, vt in commune conſultemus, quomodo poſſent commo-
e in publicum aedi. Recepi eodem heſterno veſpere literas a
. P. Ioanne Hofmeyſtero, datas Colmariae 4 Ianuarii. Cum
ſdem tamen recepi alias literas, e quibus intellexi, eum nunc
lmae multo cum fauore & plauſu in ampla ibi praedicare Ec-
leſia. Dominus Io. a Schamberg ante 4. aut 5. dies hinc equi-
uit verſus Auguſtam, quo Card. Auguſtenſem nomine Caeſ
ſaieſtatis venturum eſſe per ſcripta acceperat. Et hoc mane
diit ex Auguſta nuncius quidam, qui ait, praecipuum Caeſaris
ommiſſarium eſſe nunc Auguſtae. Mitto ad Reuerendiſſimam
. t. raptim exſcriptas nouitates, quas nobis dictus D. Io. a

Schamberg communicauit. Non auſim tamen affirmare, omnia ita habere vt ſcriptum eſt. Rogo autem, vt Reuerendiſſima D. t. communicet hanc ſchedam Reuerendiſſimo Domino Miſnenſi. Bene valeat Reuerendiſſima D. t. inclyte Praeſul & Princeps, meoque nomine reuerenter ſalutet Magnif. D. Georgium a Karlwitz, & D. Cancellarium, ac D. Petrum cum ſecretario Reuerendiſſimae D. t. Ex Eyſtet Die 21 Februarii 1547.

E. R. D. t.

ſacellanus deuote addictus

Io. Cochleus.

Saluta item reuerenter & amanter Clariſſ. virum D. Kommerſtaedium compatrem meum, & Magiſtrum Ioachimum Myricianum ſecretarium.

Prouincialis Praed. rediit ex Auſtria, vbi plures reperit Apoſtatas quam fratres ſui Ordinis. D. Hotfilder Roma 14. Ianuarii literas ad me ſcripſit, quas pariter heſterno veſpere recepi.

ANNOTATIO.

Cochleus natus eſt in pago Wendelſtein prope Norimbergam. Neglecto iuxta ſeculi conſuetudinem cognomine ſuo Dobneck, a patria ſibi appellationem Cochleus impoſuit. Dicitur enim ſtructura tortilis in domibus, cuius ſcalas cochlides vocamus, cochlea, ob tortilem rotunditatem, per quam aſcendimus. Ita D. Ioannes Eck, magnum in hiſtoria reformationis nomen, &, perinde vt Cochleus, Lutheri pernicioſiſſimus hoſtis, de ſe ſcribit folio 52. replicae adverſus ſcripta ſecunda Buceri, anno 1543. Ingolſtadii editae: *Natus ſum 1486. in pago Eck, ex parentibus cultura terrae victum quaerentibus.* Cochleus initio Georgii, Saxoniae Ducis, ſacriſtanus, canonicatum, & alia eccleſiaſtica munia, Dreſdae, Francofurthi, Moguntiae, ac Vradislaviae ſuſtinuit, pugnavitque contra evangelicos anno 1530. in comitiis Auguſtanis, & in variis colloquutionibus publica autoritate habitis. Obiit Vradislaviae die 10. Ianuarii, anno Chriſti 1552. aetatis 73. vt Bucholzerus refert in chronologico indice. Seckendorffius libro III. hiſtoriae Lutheraniſmi, ſectione 35. p. m. 620. ita de eo iudicat:

iudicat: *Encomio Cochlaei abſtinere potuiſſet Maimburgius, hominis profecto, qui, ſi quam habuit eruditionem & lectionem, erroris tamen tuendi pertinacia, & linguae protervia corrupit, obtuſi praeterea iudicii, et, vt Lutherus haud male iudicabat, ſtupidi, ſcribacis interim, & qui chartis mox perituris mundum obruere volebat. Acta profecto Lutheri, quae edidit, non niſi inſulſae ſunt ſatyrae, dignae, quas exſcripſerint Maimburgus & ſimiles.*

VII.

Paulus III. Carolo V.

Ambsdorfium, quem in contemtum caeſaris Naumburgenſi cathedrae obtruſum ait, de epiſcopatu deturbatum, Pflugium autem introductum cupit.

PAVLVS PP. III.

Chariſſime in Chriſto fili, noſtram ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum ſicut nuper accepimus, licet, alias Eccleſia Numburgenſi Prouinciae Magdeburgenſis, quam bonae memoriae Philippus Epiſcopus Friſingenſis ex conceſſione & diſpenſatione apoſtolica in adminiſtrationem ſeu commendam, dum viueret obtinebat, adminiſtratione ſeu commenda huiuſmodi per obitum dicti Philippi Epiſcopi, extra Romanam curiam defuncti ceſſante, certo modo vacante, dilecti filii Decanus & capitulum ipſius Eccleſiae pro futuri Epiſcopi Numburgenſis electione celebranda, vocatis omnibus, qui voluerant, potuerant & debuerant electioni huiuſmodi commode intereſſe, die ad eligendum praefixa, vt moris erat, conuenientes in vnum, dilectum filium Iulium Pflug orthodoxum tunc ipſius eccleſiae canonicum de nobili & militari genere procreatum, in Epiſcopum Numburgenſem concorditer elegerint, ipſeque Iulius electioni praedictae, illius ſibi praeſentato decreto, conſenſerit & deinde negocio huiuſmodi in conſiſtorio noſtro coram nobis propoſito, Nos

examinatis electione huiuſmodi, & idoneitate ac meritis perſonae ipſius Iulii electi, electionem ipſam vtpote canonice celebratam de fratrum noſtrorum conſilio apoſtolica authoritate approbauerimus & confirmauerimus, ipſumque Iulium eidem eccleſiae in Epiſcopum praefecerimus & paſtorem, curam & adminiſtrationem eiuſdem Eccleſiae ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo. Nihilominus, ſicut accepimus, iniquitatis filius, Nicolaus Anſdorfinus, Lutheranae hereſis ſectator, fauore & praeſidio quorundam in partibus illis potentium laicorum capta vt dicitur occaſione, quod dictus Iulius electus, elapſis Ratisbonenſibus comitiis, pro nonnullis religionis chriſtianae componendis differentiis, Maieſtati tuae ſe fidelem & deuotum exhibuerit, ac multorum eiuſdem religionis emulorum odium conceperit, nullo titulo aut iure ſibi ad hoc ſuffragante in dicta eccleſia Numburgenſi, illiuſque Dominii caſtris, bonis, & iuribus de Maieſtatis tuae in temporalibus feudo exiſtentibus, ne dum in dictae electionis verum etiam in totius nationis Germanicae cum ſede apoſtolica concordatorum praeiudicium, ſe intruſerit, ac iuramenta & fidelitatis homagia a ſubditis extorſerit, regimenque & adminiſtrationem dictae Eccleſiae de facto occupauerit, & adhuc detineat indebite occupata, hocque non ſolum in noſtri & dictae ſedis vilipendium, verum etiam in tuae Maieſtatis contemptum, ac religionis chriſtianae perniciem, & totalem ipſius Eccleſiae Numburgenſis deſolationem cedat, pro debito noſtri paſtoralis officii, cenſuimus te tanquam Eccleſiae catholicae Aduocatum, ac illius & fidei, nec non religionis chriſtianae Defenſorem de praemiſſis omnibus certiorem reddendum teque ſincere in Domino exhortandum, vt eundem Iulium Electum benigni fauoris auxilio proſequens, non permittas eum per dictum Nicolaum intruſum, quo minus poſſeſſionem, ſeu quaſi regiminis & adminiſtrationis dictae eccleſiae omniumque illius Dominiorum, caſtrorum, oppidorum, villarum, poſſeſſionum iuriumque & obuentionum huiuſmodi cum ſubiectione, homagio & fidelitate omnium ſubditorum ſuorum pacifice aſſequatur.

quatur, quoquo modo de facto impediri, quinimmo illi in hoc iuſtitia id ſuadente Maieſtatis tuae potentiam & authoritatem benigne impartiaris, praefatoſque laicos ac alios tuos ſubditos eidem Nicolao in praemiſſis conſilium auxilium vel fauorem praeſtantes, vt a praeſtatione huiuſmodi penitus & omnino deſiſtant, ac regimen & adminiſtrationem dictae eccleſiae eidem Iulio Electo libere, quantum in eis fuerit, relaxari faciant, moneas & requiras. In hoc enim te pium & fidelem praeſtabis ac priuilegia nationis Germanicae conſeruabis, nobiſque qui hoc pro religionis chriſtianae conſeruatione ſummopere cupimus, rem gratiſſimam facies, ac hominem de Republica chriſtiana bene meritum adiuuabis. Datum Romae apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris Die XXX. Ianuarii MDXXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno Nono

Blo. el. Fulgin.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro,
Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto.

VIII.

Cochleus Pflugio.

Mittit concilii Tridentini determinationem de iuſtificatione.

Reuerendiſſime Princeps ac Domine. Nuncius Reuerendiſſimae D. t. longe diutius moratus eſt in his terris, quam futurum eſſe putabamus. Nam currendum ei fuit Vlmam, quo e Ratiſpona venerat Reuerendiſſimus D. Hildesheymenſis, quod oportune accepimus, antequam nuncius Ratiſponam hinc abiret. Nam dictus D. Hildesheymenſis proprium ad me huc ex Vlma

miſerat nuncium, qui huc venit, & cum eo miſi nuncium Reuerendiſſimae D. t. qui ex Vlma rediens abiit Ingolſtadium, & inde Ratiſponam, vbi vltra 10. dies manſit, cui vehementer timebam, ne periiſſet.

Reuerendiſſimus Dominus meus Epiſcopus Eyſtetenſis nondum eſt huc reuerſus, fuit aliquot diebus Herbipoli, & ibi concordiam iniit cum ſuo aduerſario Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo Magdeburgenſi, ſuper Praepoſitura Herbipolenſi, quam retinet Dominus meus, & illi certam perſoluit penſionem, ſed quanta ea ſit, neſcio. Ille expulſus e duobus Epiſcopatibus nunc vt Canonicus reſidet Herbipoli, emancipatus more antiquo. Reuerendiſſimus Dominus meus iuſſit ſe excuſari literis meis, quod nunc ad literas Reuerendiſſimae D. t. reſpondere non poteſt. Quam primum reuerſus domum fuerit, curabo vt reſpondeat. Eſt nunc occupatiſſimus & curis innumeris obrutus, quia ex Norling tranſit Caeſar cum exercitu verſus Nurenbergam, qui & hodie aut cras illuc venturus eſt. Itaque proſpiciendum eſt Domino meo, vt hic tranſitus per aliquot terrulas ſuas quam minimo fiat cum ſubditorum incommodo. Petiit dux de Alba 200. currus a Domino meo, ad vehendum commeatum; ſed non eſt poſſibile, tot nunc mittere. Hinc tamen heri & nudius tertius multi ſunt miſſi, quidam panibus, quidam auena onuſti, verſus Swabach. Vereor equidem, ne forte hoſtes Caeſ. Maieſtat. Banniti occurrant ad Nurenbergam, ſicut fecerunt anno ſuperiore ad Ingolſtadium, Eſt hic publica fama Marchionem Albertum ab hoſtibus captum eſſe, quod equidem dolentiſſime accipio. Ex Tridento interim multas recepi epiſtolas, & determinationem de Iuſtificatione, cuius ſummam mitto nunc Reuerendiſſimo Domino Miſnenſi, vt R. D. t. communicet. Dubito enim, an R. D. tua Dreſdae diutius conſiſtat. Celebrata eſt ea ſeſſio 13. Ianuarii, & indicta eſt alia ad 3. diem Martii, in qua de ſacramentis & multis aliis articulis contra errores ſectarum determinabitur; ſed nihil adhuc de ea recepi. Doctiſſimus vir Ambr. Catharinus factus eſt Epiſcopus Minorcenſis,

censis, quae ciuitas vnius diei itinere distat a Neapoli, vt scribit, Claudius Iaius, Orator in concilio. Cardinalis & Episcopus Augustensis ter aut quater oblatum sibi Episcopatum Tergestinum acceptare noluit. Ipse Dominus Card. Augustensis hisce diebus ex Tillinga proprium ad me nuncium misit, fuit infirmus. Expecto in horas alium ab eo nuncium. Scripsit pro me (me ignorante) ad Regiam Maiestatem, vt promoueret me ad Episcopatum Tergestinum, sed instantissime rogaui, ne faciat, quia nullo modo acceptare ausim aut velim. Episcopus Patauiensis descendit in Austriam. Bobadilla reuertetur ad Curiam Caes. Maiest. Mortui sunt Romae insignes viri, supremus Poenitentiarius Card. Puccius & Card. Bembus, vt e Tridento scripsit mihi Archiepiscopus Vpsalensis Gothus. D. Hotsilter factus est familiaris domesticus & Camerarius Papae, qui e Roma 14. Ianuarii ad me scripsit. Bene valeat Reuerendissima D. t. Inclyte Praesul & Princeps. Die 17. Martii, ex Eystet.

Idem qui semper,

Io. Cochleus.

Multis iam diebus occupatus sum in vertendis ex Germanico in latinum libellis meis, quos anno 1529. & anno 1533. scripsi aduersus iniurias & calumnias Lutheri, quibus nequissime ac petulantissime traduxerat piissimum Principem nostrum sanctae memoriae Ducem Sax. Georgium, ex quibus lector videre queat, quam malicioſus vir fuerit nouus iste Germaniae Euangelista. Non est hic labor adeo paruus, vt cito possit absolui, quia clarius & ordinatius magisque distincte in latinum verto quam in Teuthonico scripsi. Adolescens, quem probe nouit Reuerendissima D. t. Magister Ioannes Guntherus, e Louanio scripsit ad me 25. Ianuarii; dat ibi operam Theologiae. Hermannus a Wida comes, cessit tandem Archiepiscopatum Colonienſem suo Coadiutori, permanet autem in sua pertinacia. De obitu Regis Angliae credo Reuerendissimam D. t. certiora habere, quam ipse

ſe habeo. Vpſalenſis ſcripſit mihi e Tridento, Cardinalem Scotiae Archiepiſcopum S. Andreae eſſe interfectum. - - noſter - - Archiepiſcopus e Tridento propere abiit Romam, vt rediret ad 3. Martii propter ſeſſionem.

IX.

Pflugius Sidonio.

Populum magno odio proſequi libelli interim autores, Pflugium, Sidonium et Agricolam.

Reuerende Domine S.

Poſtquam domum redii, incidi in grauiſſimam tempeſtatem, quam excitarant aduerſarii noſtri, qui vt abhorrent a quietis atque ſalutaribus conſiliis, ita non deſinunt, quae Caeſarea Maieſtas de Religione conſtituit, exagitare & acerbiſſime calumniari, hoc agunt modo pro contione, modo ſcriptis aeditis. Quibus ita concitant & inflammant populum, vt res ad motum & ſeditionem ſpectare videatur. Cuiuſmodi autem ea ſint, potes e libro, quem hic habes, cognoſcere. Mauritius ipſe elector Hallae Saxonum conuitio certorum Nebulonum male fuit acceptus, & parum abfuit, quin Magiſter Ioannes Agricola in quodam Turingiae oppido lapidibus obrutus fuerit. Caeperant etiam quidam in ditione mea commouere multitudinem, ſed hos ego quoque repreſſi. Elector ſuos Concionatores ad moderationem quandam reuocare inſtituit. Et quamquam vicini fremunt, vnde nobis periculum impendet, conſolatur tamen me benignitas & miſericordia Dei, qui, procul dubio reſpiciet Eccleſiam ſuam, quam Chriſtus Ieſus Dominus noſter pretioſo ſanguine ſuo acquiſiuit, nec patietur conſilia Caeſaris noſtri bona ac pia ad nihilum recidere. Accedit eodem, quod Concionatores huius regionis

gionis non omnes alieni ſunt a declaratione Caeſaris * & dogmate catholico. Qui nobis contra aliorum furores plus quam tribunitios vtilem ſane operam nauare poſſent. Sed quamdiu deſunt nobis facultates, quas noſti, eorum opera non poſſumus commode vti. Rogo igitur, vt de hac re cum reuerendiſſimis Dominis, Nuncio Apoſtolico, & Confeſſore Caeſareae Maieſtatis, communices, meque eiſdem commendes. In explicatione Canonis, quam habeo, deſunt, quae ad locum Memento noſtri, & reliqua pertinent. Si per hunc Tabellarium miſeris mihi, magno me beneficio tuo affeceris. Nihil aeque turbat conſilia noſtra, quam ea, quae facta eſt, animorum alienatio a Miſſa. Quam rationem eccleſiarum reſtituendarum ineat Palatinus, ſcire ſane velim. Vale. Ex arce noſtra Cicenſi 4. Cal. Septemb. Anno 1548.

ANNOTATIO.

Hic Michael Helding, in Sueviae vico, Langenenslingen, humilis ſortis parentibus natus eſt. Poſt varia officia eccleſiaſtica anno 1537. cardinalis, et Moguntinus archiepiſcopus, Albertus Brandenburgicus, eum vicarium ſuum in pontificalibus generalem fecit. Diu Sidonienſis ab vrbe Sidon dictus eſt, quoniam chorepiſcopi in partibus infidelium, vt loquuntur, certarum dioeceſium titulos habent a pontifice Romano ſibi tributos. Heldingus hicce etiam iudex camerae imperialis Spirenſis, epiſcopus Merſeburgenſis in Saxonia, et Viennae conſilii ſanctioris caeſarei praeſes conſtitutus eſt: qua in dignitate anno 1561. vitam poſuit Viennae, ibidem in templo D. Stephani honorificentiſſime ſepultus. Vita eius habetur tomo II. p. 45. rerum Moguntiacarum, a Georgio Chriſtiano Ioannis accuratarum.

* *A libello interim.*

X.

Pflugius Vicelio.

Libellum interim improbari.

S. P. D. Quanto facilius ſit perturbare eccleſiam, quam conſtituere perturbatam, hoc tempore ſatis intelligimus. Quod

cum tibi ſatis cognitum ſit, non iniuria de conditione temporum mala in literis, quas abs te proxime accepi, conqueri videris: ac calamitas haec eo eſt maior, quod quae caeſar noſter remedia excogitauit, ea non ſolum repudient multi, ſed etiam per ſummam ingratitudinem calumnientur. Quae calumniae inſtitutum Maieſtatis eius in ſummum odium vocarunt. Sed Deus procul dubio reſpiciet eccleſiam ſuam, nec patietur caeſaris conſilia pia atque ſalutaria ad nihilum recidere. Ac dies & res ipſa acres illos animorum motus ſedare atque lenire videtur, vt ſperem, breui meliorem fore Eccleſiarum noſtrarum ſtatum; & quod ad meam hanc priuatim attinet, ad eam conſtituendam mihi potiſſimum idonei concionatores deſunt. Feceris igitur rem mihi gratiſſimam, ſi indicaris, ſicubi inuenire, & vnde euocare poſſim tales. Vale, & ſi quando opportunum fuerit tibi, huc veni, vt inter nos ius hoſpitii contrahere poſſimus: & Reuerendum Dominum Fuldenſem meis verbis ſaluta. Ex arce noſtra 5. Cal. Sept. Anno MDXLVIII.

ANNOTATIO.

Wicelius, ſi Raynaudo to. XVII. operum p. 49. fides habenda eſt, monachus, ad evangelicos tranſierat, ductaque vxore toto decennio eorum ſe partibus miſcuerat, Lutheri commendatione in Saxoniae pago Nimeck ſacerdotium adeptus.

Sed cum antitrinitarius, Campanus, in eius domo hoſpitaretur; venit ipſe in ſuſpicionem haereſeos, iuſſuque electoris Saxoniae capitur. Scripſerat iam anno 1530. die 24. Februarii Nimeciae: * *Quod Campanus ſit trinitarius, nuſpiam legi, nec a quoquam audivi, niſi ab vno Luthero, communi vtriusque hoſte.* E captivitate dimiſſus anno 1531. rediit ad eccleſiam Romanam, Fachae, Fuldae, & Moguntiaci, vbi anno 1572. aut 1573. ſenex fatis conceſſit, vitam haud ſplendidam tolerans, ac ad reformandam eccleſiam, cuius morbos vbique obſervatos deplorabat, conſilia varia conferens. Vocat ſe conſiliarium Ferdinandi I. caeſaris, cui ſanandae eccleſiae methodum miſit *viae regiae* nomine ſuperbientem, ac ſaepe typis excuſam. Libro IV. epiſtolarum litera Rr. I. anno 1534. ait: *Nemo me magis odit papiſtica, hoc eſt, eam eccleſiae partem, quae dedecori eſt euan-*

* *Libro I. epiſtolarum, anno 1537. Lipſiae apud Vuolrabum editarum, lit. E II. & libro IV. C III.*

euangelio, praeterea noua quaedam dogmata, veteribus theologis ignorata, & ipſam adeo ſophiſticen, & totum chaos errorum ſuperſtitionum fabularum. Si Eccleſia, mater noſtra, foedata eſt, id quod neque negari, neque diſſimulari poteſt, hoc magis illi dandus erat labor, haec opera, vt priſtino decori reſtitueretur. Sectas, quibus cum Rom. Eccleſia bellum eſt, in hoc huius ignominiam retegunt atque traducunt, vt funditus eradicent. Ipſe vero eam vt diligo, ita colo. Nolim deſtructum aedificium, ruinas ſarctas opto. Quod non conuenit, reſecetur, CHRISTO paſtorum principe preſidente.

XI.

Pflugius Theodorico Artopoeio.

Eccleſiam libello interim reformari.

S. P. D. Videntur quidem hoc tempore authoritate Caeſaris noſtri talia pacis fundamenta iacta eſſe, qualia ante hac optare facilius quam ſperare poſſemus. Nam quae initio cauſam dederunt hominibus certis, vt ſtatum Eccleſiae, qui tum erat, reprehenderent, ea mutari nunc & corrigi commode poſſunt: ac quoniam iidem illi ſub ſpecie Reformationis longius progreſſi ſunt, quam ferat recta ratio, & quam meliorem facere deberent Eccleſiam, eandem afflixerunt; excogitata eſt conſilii ratio, qua huic etiam languori medicinam facere poſſimus, ſi modo ipſi velimus. Nec me mouent quorundam Tribunitii furores, qui a quietis atque ſalutaribus conſiliis abhorrent. Hos enim vel dies mitigabit, vel authoritas iuſta reprimet, vt periculum non ſit, ne populus ad aequitatem non flecti poſſit. Egemus non alia re magis, quam bonis Concionatoribus, qui populum docendo ſalubriter paſcere poſſint. Quod cum futurum praeuiderem, facile adductus ſum, vt tibi munus docendi in hac Eccleſia mea aſſignare vellem. Quod ipſum ſi obiiſſes, non ſolum a me, quocum tibi vetus amicitia eſt, ſed etiam a Deo optimo Maximo magnam procul dubio gratiam iniuiſſes. Quod vero

ad emolumenta tua attinet, ducentos aureos in ſingulos annos numeraſſem tibi, & victum item tibi atque famulo tuo ſuppeditaſſem. Quodſi victum noluiſſes, additurus eram centum. Nec tibi pericula erant pertimeſcenda, quae multos mouent, & a regione hac, quam putant turbulentiorem eſſe, deterrent. Sedantur enim motus animorum nunc in dies magis ac magis, & ſpero Deum perbenigne pro ſua miſericordia facturum eſſe, vt Eccleſia mea ſanari, & ad beatam ac ſalutarem tranquillitatem reuocari poſſit. Quod ſi hac in re te habere ſotium atque cooperarium poſſem, procul dubio magnum breui officii mei fructum capturus eſſem. Iubet caeſarea Maieſtas per literas, quas proxime ab ea accepi, vt ex eccleſiis aliis vndecunque poſſim, operarios, quos mittam in meſſem fidei meae commiſſam, euocem. Non multis tecum agam. Nolo ego tua erga me beneuolentia abuti. Non vrgeo, vt facias quicquam, quod vel alienum ſit a rationibus tuis, vel eos, quorum in poteſtate eſſe debes, iure offendere poſſit. Si integrum eſſet tibi, conditionem, quam hoc tempore habes, mutare, peterem abs te, vt quam ego tuli ſuperioribus diebus, non repudies. Sin minus, vt doctum aliquem, pium ac diſertum mihi mittas, ſi aliunde euocari poſſit, concionatorem. Ac ſi tibi non moleſtum fuerit peregrinari, peto abs te, vt me ante tempus Vindemiae in hac ſede mea inuiſas, vt tecum hic coram de omnibus rebus communicare poſſim. Cuius quidem peregrinationis tuae ne te paeniteat, opera a nobis dabitur, nec eſt cur periculum vllum timeas. Si veneris Fuldam, poteris ſalutare Vicelium noſtrum: hic adiungere tibi poterit homines viarum peritos, qui te Erphurdiam, quae abeſt iter vnius diei a Numburga mea, deducant. Numburga tribus tantum miliaribus ab hac ſede mea abeſt: nec diutius, quam voles, te hic detinebo. Hoc beneficium ſi dederis mihi, ad cumulum eorum, quibus amicitia noſtra conſtituta eſt, officiorum multum ſane acceſſurum eſt. Vale. Ex arce noſtra Cicenſi 5. Cal. Septembris Anno 1548.

XII.

XII.

Pflugius Iacobo Breitenbachio.

Vocat Breitenbachium Cizam.

S. P. D. Cum ego vndique viros bonos & doctos, quorum opera in conſtituenda Eccleſia mea vti poſſim, conquiram, peropportune cecidit, quod Ioannes Fuchs, ſacerdos Collegii Scotorum eccleſiae Miſnenſis, huc venerit, ac indicarit te iſtic viuere, & quamuis conditionem habeas ſatis commodam, tamen, ſi hic munus aliquod tibi aſſignarem, te id non repudiaturum eſſe. Ex qua re magnam animo voluptatem caepi: primo quod te diligo vnice, deinde quod induſtria tua mihi in magnis rebus vſui eſſe poteſt. Quare abs te peto, vt huc venias quam primum, & conſtituas mecum, qua in re & te ego ſubleuare poſſim, & tu viciſſim eccleſiam meam iuuare queas. Cuius quidem rei ne te paeniteat, opera a nobis dabitur. Vale 3. Id. ſept. anno MDXLVIII.

XIII.

Pflugius Welſero et Scheibio.

Donum mittit Germanicae nationi in academia Bononienſi.

Magnificis viris, Dominis, Antonio Welſer & Wolfgango Scheib, nobiliſſimae Germanicae nationis Bononiae procuratoribus, Amicis ſuis Chariſſimis.

S. P. D. Accepimus literas veſtras, Magnifici viri, quibus ita gratulamini nobis, vt beneuolentiae in nos veſtrae il-

luſtria ſigna dare videamini. Et quamquam laudes, quibus nos ornatis, maiores ſunt, quam vt eas agnoſcere poſſimus, eſt tamen pergratum nobis a laudatis Viris laudari. Gratulatio autem veſtra eo iucundior eſt nobis, quod ſimul etiam precamini a Deo immortali, vt munus, quo fungimur in eccleſia Dei, ouibus fidei noſtrae commiſſis ſit ſalutare. Nam idem nos quoque facimus, & ad eum finem referimus conſilia noſtra, vt cum ea quae ad gloriam Dei pertinent, quantum in nobis eſt, procurauerimus, tum ſaluti populi atque Eccleſiae, quam moderamur, conſulamus; Quod autem nobis Vniuerſitatem iſtam nationis noſtrae inclytam commendatis, magnum beneficium dare videmini, dum officii noſtri nos commonefacitis. Nam ſi vlli, certe iſti veſtrae Vniuerſitati, cuius alumni quodam modo ſumus, fauemus, & cum vobis omnibus ac ſingulis fraternam neceſſitudinem conſtitutam habemus. Quo minus committere poſſumus, vt non munere aliquo ſignificationem faciamus noſtrae erga vos voluntatis. Mittimus igitur vobis viginti aureos Rhenenſes, quos Vniuerſitati iſti ac nationi nobiliſſimae donamus. Et quamquam munus hoc per ſe tenue eſt, tamen vt id aequi bonique faciatis & non tam ſui magnitudine, quam voluntate noſtra metiamini, rogamus. Nam ſi voluntati noſtrae facultates, quas tempora nobis inimica valde extenuarunt, & tantum non exhauſerunt, reſponderent, vberius quiddam miſiſſemus. Cui autem munuſculum illud noſtrum & has literas ad vos dedimus, Erico Volckmaro de Perlebiſch, iuuenis eſt nobilis ſane, ac bene moratus, & qui iam eos habet progreſſus in literis bonis atque iure ciuili, vt ſperemus eum iſtic, quo rectorum ſtudiorum cauſa profectus eſt, magnum induſtriae ſuae fructum capturum, & virtutis ornamenta acquiſiturum eſſe. Itaque hunc ita commendamus vobis, vt, cum eum ſponte veſtra, & pro ea, quae inter nos Germanos eſt coniunctione procul dubio amanter excepturi ſitis atque complexuri, intelligere tamen aliquando poſſit, noſtra etiam cauſa vos eidem beneuolos fuiſſe. Quo beneficio veſtro vobis imperpetuum obſtringemur & cum Vniuerſam nationem

iſtam

lam noſtram, tum vos, qui eidem cum procuratoria dignitate raeeſtis, diligimus vnice, nec vllum erga vos officium noſtrum mus praetermiſſuri. Valete 18. Cal. Octob. anno 1548.

XIV.

Pflugius Bonamico.

Poſt exilium ſe a Carolo V. reductum eſſe in patriam.

Doctiſſimo & Clariſſimo Viro, Lazaro Bonamico, amico de ſe optime merito.

S. P. D. Cum qui iſtuc profecturi ſunt iuuenes noſtri, tanquam ad mercaturam bonarum literarum atque artium, me onueniant, ac rogent, vt ſe commendem iis, quos iſtic habeo, micis, duplicem ex ea re fructum capio; alterum, vt hos beneicio mihi deuincire queam, alterum vero, quod tibi, quem & acio plurimi, & vnice amo, commendare eos, & tecum quam veluti ſocietatem bene merendi de bonis coire poſſim. Ad uam eandem rem mirifica ſe offert occaſio hoc tempore, cum ſtuc ſe conferat Ericus Volckmarus de Perlebiſch, iuuenis nobiloco natus, ingenioſus, bene moratus, & qui in literis bonis ic iure ciuili tantos habet progreſſus, vt in eo ſpem magnam irtutis ſingularis atque dignitatis verae collocemus. Qui ſi, uem inſtituit ſtudiorum ſuorum curſum, iſtic bene confecerit, peramus eum non ſibi ſolum, ſed etiam Patriae huic noſtrae um vtilitati, tum ornamento futurum eſſe. Quare hunc ita tibi ommendo, vt ſi conſilio, quo abundas, atque authoritate tua um adiuueris, id beneficium & mihi & patriae huic meae abs e datum eſſe ſim exiſtimaturus. Quod reliquum eſt, quo loco nt res meae, ex eodem Erico Volckmaro coram commodiſſie cognoſces. Quamquam enim ego poſt exilium meum, & illam

illam veluti iactationem diuturnam beneficio Caeſaris noſtri r
ductus ſum in patriam, nec dum tamen mihi ipſi ſum reſtitut
vt nunc aetas mea ingraueſcens in ſtudiis illis noſtris, quae r
mirifice delectant, conquieſcere poſſit. Nam in nullius mini
quam in mea ipſius ſum poteſtate, cum modo res familiar
quam tempora nobis inimica extenuarunt nimis, & prope eue
terunt, ſibi vendicet totum, modo ciuilis adminiſtratio popul
rum, quibus ego ius dico; modo Eccleſia, quam Deus fidei me
commiſiſſe videtur, nec ſine graui ſalutis periculo deſerere poſſu
hoc eius calamitoſiſſimo tempore me in curam ſui, ac procurati
nem neceſſariam totum defigat. Quamquam igitur munera hae
quae meis quaſi humeris ſuſtineo, tam grauia ſunt, vt me pe
opprimant: tamen ſpes miſericordiae diuinae, quae tum adiuu
mirabiliter, cum maxime laboramus, animum meum magnit
dine negotiorum non ſinit frangi, ſed potius expectatione e
rum, quae nobis in caelo propoſita ſunt, bonorum aeternoru
me conſolatur. Longior eſſe in praeſentia non poſſum. Va
& me, vt ſoles, ama. Datae ex arce mea 18. Cal. Octob. A
no 1548.

XV.

Mauritii, Saxoniae electoris, teſtimonium Pflugio datu
de geſtis in conventu Pegavienſi, ſupra in vita Iulii
memorato p. 522.

Von gots gnaden Wier Moritz Hertzog zu Sachſſenn, des Heylig
Rœmiſchen Reichs Ertzmarſchalch vnnd Churfurſte, Landtgrafe
Dhuringen, Marggrafe zu Meyſſen etc. thuen kunth hiemit keg
mennigklich, Nachdeme der Erwirdige In Goth vnnſer beſonder lieb
freundt Her Iulius Biſchoff zur Naumburg an vnns hat gelangen laſſen
Wie eynn Schmehebüchlein im Nahmen Chriſtian Lauterwahr durch e
ſentlichen Druck außgangen, darinnen ſeine Lieb etlicher Worth v
Artickell, die zw Pegaw ſollen fuergefallen ſeyn, beſchwerth vnd ang
griff

griffen werde. vnd derhalben bey vnns emſsig angehalten, das wier vnſere Rethe, die vns von ſeiner Lieb Namhaftig gemacht, vnd bey der Handlung zu Pegaw, da ſ. L. ſolche Worth, ſo derſelben in gemeltem Buchlein zugemeſſen werden geredt ſolle habenn, geweſt, bey Iren Pflichten vf nachfolgende Artickell befragen woltenn laſſen, vnd dan ſeyner Liebe ſolcher außage ſchrifftliche Vrkunde zu kommen laſſen, dieſelb zu ſ. L. notdurfft zu gebrauchenn etc.

Als haben Wier ſeiner Lieb Bith vor billich geacht, vnd demnach hienach verzeichente vnſere Rethe vf ſolche ſ. L. angeben vnd fuergeſtelte Artickell, der Warheit zu ſtewer befragen laſſen, welche vnterſchiedlich vnd ein Ider inſonderheit, vnd alleyne, vermittels Irer Pflicht, nachfolgende außage gethaen.

Vnd ſeindt die Artickell dieſe:

Zu fragen, ob in berurter Handlung zw Pegaw die Ding, dauon man gehandellt, dermaſſen, vnd ſo diſputirlich fuergenohmmen worden, das der Biſchoff zur Naumburg dadurch vermœge ermelts Lautterwahrs Schmehbüchlein etlicher grober Artickell vber wieſsenn?

Item: ob der Biſchoff zur Naumburg bekanth, das noch viell falſches vnnd abgœttiſchs Inn Interim ſtünde, vnd wan mans annehme beſtettiget würde.

Item: Ob der Biſchoff zur Naumbrug geſagt, das ehr deſſen keyne vrſache were, dan ein Hiſpaniſcher Münch Dominicus de Sota genanth, hette das Interim gefelſcht.

Daruf vnſere Rethe außgeſagt wie volget

Georg von Karlowitz vf Kriebeſtein, Sagt vf die vorgehende Artickell.

Das keyne Diſputation aldo fuergenohmmen wurden, Sie haben ſich alleine freundtlichen miteynander vnterredt.

Vf den andern Artickell ſagt ehr, ſolche Worth; der Bube leuget, das Inen die Drüſse beſtehe, es iſt mit keynem worte gedacht wordenn.

Vf den dritten. Das alles erlogen ſey, vnd ſeynes wiſſenns nye gedacht wurdenn.

Rudolff von Bunaw der Elter zu Droßigk, Sagt vf den Erſtenn Artickell, das er nicht gehort, das der Biſchoff zur Naumburg etlicher Artickell vberwunden were worden, vnd ob ſie woll Lateyn durch eynander geredt, das ehr nicht alles verſtanden, So hat ehr doch ſolchs von den Theologen nicht vernergkt, vnd auch nicht gehort, das ſie heftig mitteynander diſputirt, ſondern ſie haben ſich freuntlichen vnterredet.

Des andern Artickels, weyß ehr ſich nicht zu erinnern, ſey auch bey Ime nicht vermutlich, das der Biſchoff ſolchs geredt.

Vom dritten weyß er auch nichts, hats auch nicht gehort, wie woll ehr doch ſtets beym Handell geweſt, do ehrs doch ſonder zweyfel ſo woll als ein ander gehœrt haben ſolte.

Ludovicus Fochs Doctor vnd Ordinarius zu Leyptzk. Sagt vf alle drey Artickell, Ehr ſey bey der Handelung geweſt, Aber die Worth aber Meynunge, dauon die Artickell alle drey melden, hab er von dem Hernn Biſchofe nicht gehort. Iſt auch do keyne ſonderliche diſputation fuergefallen.

Chriſtof von Karlowitz vf Zœrbick. Sagt vf den Erſten Artickell, das er von keyner ſonderlichen Diſputation wiſſe, ſondern man hat aldo guetlichen von ſachen geredt. Das aber der Biſchof von der Naumburgk etlicher grober Artickell ſoll vberwunden ſein worden, dauonn wiſſe ehr nichts. Das ſey aber nicht ahne. Do Melanthon de fide *geredt, vnd geſagt, das im Interim dye letzten Worth (do ſtehet:* Et eſt nihilominus vera fides*) das erſte, ſo Im Interim geſatzt, wider aufhuben. Das der Biſchoff von der Naumburg geantworth, Solchs were* de fide notitiae, & non de fide iuſtificante, *geredt. Als aber Melanthon vrgirt, das beſſer geweſt, ſolche Worth auſſenzulaſſenn, hat der Biſchoff gelacht, vnnd geſagt, ehr wüſte woll, wie ſolche Worth hineyn werenn kommen.*

Das aber der Biſchoff dadurch etlicher grober Artickell vberwieſen ſolte ſeyn, das habe ehr nicht gehort.

Gleicher geſtalt habe ehr vor den andern Artickell auch nicht gehort, das der Biſchoff von der Naumburg Iemals bekanth, das noch viell falſchs vnd abgœttiſchs Im Interim ſtehenn ſolte.

Vf

Vf den letzten Artickell ſagt ehr, Ehr habe ſolche Worth, Biſchoff deſſen eyn Vrſach, vnd das ein Münch Dominicus de S. Interim gefelſcht ſolte haben, nicht gehort. Sonſt habe ehr wol des Dominici de Sota von Ime gedencken hœren, aber nicht derge wie der Artickell meldet.

Des zu warhafter Vrkunde haben wier vnnſer Secret hiruf wiſſ lich drucken laſſen. Geſcheen zu Dreſßdenn, den zwœlften tag des Mo nadts Decembris, Nach Chriſti geburth Tauſent Funfhundert vnnd Im Neun vnd virtzigſtenn Iare.

(L. S.)

Hrridig. n. pb. sſt.
(i. e. *notarius publicus ſubſcripſit.*)

XVI.

Stephanus Agricola Pflugio.

Laudat novum pontificem, et de ſua coniuge ac familia quaedam nota facit ac rogat.

S. Reuerendiſſime in Chriſto pater princeps ac Domine clementiſſime. Non potuit mea familia T. R. C. tam moleſta eſſe, vt fuit certe plurimum, quam fuit mihi graue, eandem tot antea ac tantis beneficiis de me optime meritam ita meorum tam diutina manſione debere onerari. Sed nouit Deus, me rebus meis aliter commode proſpicere non potuiſſe; quod etiam, vt puto, ex Cardinalis literis intelliget, qui me ac meos in ſuam tutelam ſuſcepit nunc primum, poſtquam me huc vocatum de meis ac meorum rebus audiuit. Sperauerat quidem, id & citius & commodius futurum, ſed ita Domino placuit. Oportuit me Romam, non alia fere ratione magis, quam T. R. C. ſermonibus

notam, hactenus videre prius, non citra maximum animi gaudium & fructus ſpirituales, qui regum omnium Gazis mihi ſunt acceptiores: vtinam illis & perpetuo frui liceat & dignam pro illis Deo exhibere gratitudinem. Iuſſit Reuerendiſſimus Cardinalis, etiamſi me a ſe dimittere nondum velit, vt meam coniugem ne diutius T. R. C. ſit moleſta, Auguſtam vocem. Cum autem me abſente illa omnium praeſidio, auxilio & conſilio deſtituta, ad iter tam longum pluribus rebus deſtituatur, ex illa hactenus mihi exhibita paterna cura T. R. C. hanc quoque ſpem concipio, quod illam non ſit deſertura iam quoque, ſed curaturam, vt a ſuis conſilio & auxilio in rebus neceſſariis iuuetur, id quod etiam humillime a T. R. C. peto. Ne autem T. R. C. nimis grauetur, promiſit Cardinalis ad omnia ſumptus Auguſtae expendendos. Ego quoque de iis quae meae coniugi a tempore meae dimiſſionis tradita ſunt vel a T. R. C. vel a Capitulo bona fide promitto me ſatisfacturum. Huc veniens deprehendi Doctorem Bartholomeum piae memoriae, vt pleraque alia, ita T. R. C. V. D. Decani negotium non tam diligenter, quam fortaſſis ſperauit T. R. C. ob negotiorum multitudinem & perplexitatem egiſſe. Non deſtiti autem ego, quam primum huc veni, Reuerendiſſimo Cardinali, quantum mihi de illo notum eſt, exponere. Affirmabat ille, pleraque ſe non ita intellexiſſe, & dolebat, ſe non fuiſſe vigilantiorem ea in re; mihi quoque iniunxit, vt T. R. C. promitterem, ſe fideliter & maiori diligentia omnia exequuturum, ſi rurſus admoneatur literis: negotiorum enim multitudine plane obrutus non ſatis ea, quae ſibi antea ſcripta fuere, meminit. Ego certe, ſi, vt ſpero, diutius fortaſſis hic manſurus ſum, ſollicitator & hortator ero vigilans & fidelis. Si quid T. R. C. huc ſcribere voluerit, commodiſſime poterunt literae tranſmitti per Doctorem Caniſium noſtrum Auguſtae iam verſantem. Noua quae hic ſunt, omnia fortaſſis, priuſquam hae litterae ad T. R. C. peruenient, iam intellexit ex S. Sedis Apoſtolicae Legato, vel certe breui intelliget. Sunt hic ſpe bona plena omnia. Pontificis ea eſt dexteritas & felicitas Dei gratia, vt

non

non posset vel expeti maior. Regum etiam praecipuorum Christianitatis quotidie ea ostenditur erga illum obseruantia, vt concilium non citra fructum perfici feliciter posse videatur. Deus opt. max. vel tandem miseram Ecclesiae his temporibus faciem respiciat & pristinam aliqua saltem ex parte restituat integritatem, & hereticorum pestilentiss. conatus reprimat; quem etiam oro, vt T. R. C. ad Ecclesiae & Reipublicae vtilitatem quam diutissime incolumem conseruet & tribuat, vt, quemadmodum ipsius opera etiam Concilium Tridenti antehac feliciter fuit inchoatum, nunc quoque felicius perficiatur, eiusdemque ibi pedes exosculari liceat. Ex vrbe die S. Thomae Apostoli summa festinatione

T. R. C.

humilis seruus

Stephanus Agricola.

Cum haec scripsissem, vocauit me Reuerendissimus Cardinalis de negotio T. R. C. promittens omnia, quae potest ipse facere, iniunxitque, vt ipse etiam scriberem T. R. C. ne differret negotium, sed quam primum curaret se fieri certiorem, quid de suis rebus agi cuperet. Plenius autem omnia T. R. C. & ex Cardinalis literis & ex Decano intelliget cuius literis schedulam secretariorum Reuerendissimi inclusi &c.

ANNOTATIO.

Stephanus Agricola pater, &, qui hanc epistolam ad Pflugium dedit, Stephanus Agricola filius, per errorem confuse habentur pro vno eodemque.

Stephanus senior, natione Bavarus, etiam Castenbauer dictus, monachus fuit, ac in Viudobonensi academia theologicae facultatis decanus, nec non reginae Annae, Ferdinandi I. caesaris maritae, confessionarius. Ex Italia, vbi theologiae doctor creatus est, redux incidit in libros Lutheri, quorum doctrinae cum assensisset; ab archiepiscopo Salisburgensi in molestissimum carcerem coniicitur Muhldorffii, e quo tandem anno 1524. liberatus est. Augustae ac alibi

evangelium publice docuit, ac poſtea eccleſiae Islebienſis in Mansfeldenſi comitatu paſtor anno 1547. placide exſpiravit.

Stephanus Agricola, iunior, ſcriptor huius epiſtolae, non ſolum in caſtris evangelicorum dogmata Romanae eccleſiae impugnavit apud Mansfeldenſes, et aliis locis, vbi paſtoris officio functus eſt; ſed etiam libros eorum in linguam vernaculam tranſtulit. Verum enim vero cum a comitibus Mansfeldenſibus anno 1553. ob errores a publico munere remotus, Merſeburgi in Sidonii, & Naumburgi in Pflugii familiaritatem ſe inſinuaſſet, in his autem civitatibus, quamvis paſtoris dignitate auctus, ambitionum ſuarum metam, quod vxoratus eſſet, impetrare nequiviſſet; tandem mutata palam religione Romam, ad Cardinalem Truchſeſſium, ſe contulit, a quo vxori ac liberis eius Auguſtae Vindelicorum proviſum eſt. Cyriacus Spangenbergius, qui eum ſe, vt fratrem, ex animo dilexiſſe dicit, multa de hoc Stephano annotat in libro Germanico, cui titulum fecit: *contra ſeptem mala*, litera p. ſqq.

XVII.

Auguſtanus Pflugio.

De Agricolae Romam adventu, et de coadiutore Pflugii.

Venit ad me Romam accerſitu meo Magiſter Stephanus Agricola, cuius religionem & ſummiſſionem animi plane chriſtianam, cum multorum grauium virorum teſtimoniis commendatam, tum a me ipſo cognitam habeo. Hunc, quia ſic intelligo poſtulare eius rerum ſtatum, apud me magna eiusdem voluntate eſſe volui. Qui quoniam Reuerendiſſimae D. V. eſt obſeruantiſſimus, ſeque ei multum debere profitetur: ego, qui illum amo merito ſuo, maximam quoque eidem D. V. Reuerendiſſimae habeo gratiam, optoque, & id ab ea vehementer peto, vt cetera ſua in Agricolam merita noua hac acceſſione cumulari velit, vt eius familiam per ſuos & adduci in eam ſententiam, ſi forte ab ea ratione circumuenta Hereticorum artificiis, & conſiliis,

ſiliis, abhorreat, vt Auguſtam ſe conferat, & eodem deduci iubeat, iuuetque, ſi opus fuerit viatico, dum eo peruenire poſſit. Quidquid enim in illam contulerit, id ei bona fide Auguſtae reddetur. Vbi ego eandem familiam recte & excipiendam, & collocandam curaui, eam curam & cogitationem ſuſcipiente R. P. Caniſio. Hoc facto D. V. Reuerendiſſima ſibi iam antea obligatum Agricolam maxime obſtringet, me ſui ſtudioſiſſimum magis etiam deuinctum habebit, a Deo certe ſummam gratiam inibit. Quoniam vero ab eodem Agricola multo vberius, & melius cognoui conſilium Reuerendiſſimae D.V. que antea feceram, eam rogo, vt rem omnem, reique cauſam veriſſime, pleniſſimeque expoſitam & explicatam huc perferendam curet. Nam etſi noua pene eſt iſta ratio Coadiutoris, proptereaque ſummam per ſe habet difficultatem, tamen propter eam cautionem, ne epiſcopatus ab hereticis occupetur, fortaſſe aliquid fieri poſſit: ego certe omnem operam, diligentiam, ac ſtudium meum adhibebo & in ea re, & in omnibus, quas ad eiusdem vtilitatem, dignitatemque pertinere intelligam quam Deus ſeruet incolumem. Romae duodecimo Calend. Ianuarii M. D. L. X.

XVIII.

Caniſius Pflugio.

Agricolae familiam cum aëre religionem mutare velle: de praeſidibus concilii Tridentini, et conventu Naumburgenſi.
Conf. ſupra p. 137.

Stephanus Agricola noſter, cuius gratia nunc iſthuc mittitur tabellarius, eſt Romae pergratus Cardinalibus, ſed precipue amatur ab Auguſtano, qui non ſolum illi, ſed etiam Vxori recte conſultum cupit. Cum vero ita conſtitutum videam, vt Vxor, frater

frater & proles eiusdem Agricolae huc proficiſcantur, nec ſolum aërem ſed etiam Religionem hac occaſione mutent, etiam atque etiam pietatem tuam precor, vt huic praeclaro Cardinalis inſtituto faueat, illisque abeuntibus ſuam declaret beneuolentiam atque charitatem.

Eſſet mihi certe non iniucundum, cum dignitate tua ſaepius literis agere, ac de rebus Germaniae noſtrae conferre familiariter, ſed non ſatis conſtituere poſſum, quid deceat, & qua ratione liceat huic meo voto facere ſatis. Offendit catholicos haud parum Principum iſte conuentus, qui Numburgae futurus dicitur, ad cauſam indicti concilii malis artibus, ſi non apertis viribus, labefactandam. Qui in ſynodo praeſides futuri ſint e Cardinalibus, Romae conſtitutum non eſt. Moronus, Puteus & Mantuanus delatum hoc ſibi munus recuſarunt. Varmienſem inter alios vnum fore putant, ſimulque galerum illi promittunt. Orandus Deus, vt confirmet, quod coepit in hoc vere pio Pontifice, qui cum Germaniae noſtrae tum Eccleſiae vniuerſae cupit optime. Caeſaris & Regum voluntates declarabit euentus. Mihi nullum eſſet dubium, quin Romae magis curarent Germaniam, ſi Germani nonnulli de ſtatu rerum ſubinde monerent & ſana impertirent conſilia, vt reliquias iſtas Iſraelis rectius conſeruaremus. Vtinam Amplitudo tua tum ſcriptis, tum nunciis Cardinalem noſtrum ſaepe & aperte compellaret, deque Saxonia & reliquo ſeptentrione iuuando ſuis inſtrueret conſiliis, quae ſcio haud parum ponderis in Vrbe habitura. Mitto quaedam ad concilii cauſam ſpectantia. Diploma Pontificis, quo publicae ſupplicationes decernuntur, Auguſtae publicauimus, & admirabili quidem ſucceſſu: adeo frequens hominum ad ſacram confeſſionem & ſynaxin accedentium turba fuit. Deo gratia, qui rem catholicam hic maiorem in modum auget. Illa eſt vna, vt mihi videtur, ſumme in his Eccleſiis deploranda calamitas, quod probis & idoneis miniſtris paſſim deſtituantur Epiſcopi. Poſtremo vehementer oro, vt ſi noui de religione libri prodierint in Saxonia, qui alicuius eſſe momenti videantur, eorum huc

mit-

mittatur exemplum. Hic quod sciam, nihil extat nouorum scriptorum, nisi quod Cromerus iam tertium edit colloquium Dilingae. Illiricum opinamur adhuc cum Witenbergensibus belligerare. Archiepiscopi Treuirensis & Moguntinus adiecerunt animos ad collegia ex nostris hominibus constituenda, vt habeant theologos simul & praeceptores atque professores Dominus in gloriam sui nominis vertat nostros conatus, diuque conseruet in Ecclesiae commodum tuam dignitatem, Augustae 20. Ianuarii MDLX.

XIX.

Pflugius Pio IV.

Gratulatur ei pontificatum.

Sanctissime in Christo Pater, ac Domine Clementissime. Post beatorum S. V. pedum oscula in ista summa Ecclesiarum nostrarum calamitate, non parum recreatus sum, postea quam audiui S. V. in pontificatus maximi Romani sedem cunctis sacri collegii Cardinalium suffragiis collocatam esse. Nam quia excellens S. V. cum sapientia, tum vero etiam pietas omnium bonorum vno ore celebratur: in rebus prope desperatis bene sperare incipio, nec dubito, quin S. V. rebus nostris languentibus salubrem medicinam factura sit.

Itaque pro mea humillima obseruantia gratulor eidem vt debeo, quod ipsa in tali dignitatis gradu collocata sit, vt vberes virtutis suae fructus capere, & immarcessibilem gloriae coronam consequi aliquando possit. Nobis autem gaudeo, quod in authoritate ac bona S. V. voluntate tantum praesidii repositum habeamus. Etsi enim grauissimum est, in quo versamur, periculum, tamen si confugerimus ad Deum, & non quae nostra, sed quae Christi sunt, quaesierimus, non minus facile poterimus con-

ſtituere Eccleſias noſtras labefactatas, quam procliue fuit aduerſariis noſtris eaſdem labefactare, & quodammodo diſiicere. Ego vero, quod ad me attinet, obſeruantiam meam & quicquid eſt officii S. V. defero, atque ipſe in poteſtate eiuſdem eſſe plane volo: Cui me atque Eccleſiam meam miſeram & calamitoſam humillime commendo. Et ſpero fore, vt in hac mea affecta aetate a tantis adverſis atque periculis vndique imminentibus ſub Pontificatu S. V. meliorem Eccleſiarum noſtrarum ſtatum tandem videre, in eoque a tantis aduerſis atque periculis vndique imminentibus reſpirare ac conquieſcere, & quicquid reliquum erit aetatis meae beatius conſumere poſſim. Bene valeat S. V. Quam Deus pro benignitate ſua nobis atque Eccleſiae ſuae ſanctae ſaluam atque incolumem diu conſeruet. Datae Citii VIII. Id. Aprilis. Anno poſt Chriſtum natum MDLX.

Eiuſdem ſanctitatis veſtrae

Humillimus Sacellanus

Iulius confirmatus Numburgenſis.

Sanctiſſimo in Chriſto patri ac Domino Domino Pio quarto ſanctae Romanae atque vniuerſalis Eccleſiae Pontifici maximo, Domino meo clementiſſimo.

XX.

Cromerus Pflugio.

Mittit copiam epiſtolae ad Puteum.

Studium & obſequium meum tibi reuerenter inprimis defero. In perlegendo opere tuo pio & erudito lubens tibi nauaui operam, non ſine voluptate & vtilitate mea, quod ſi rigidior cen-

cenſor tibi fuiſſe videor, imputabis id ſtudio erga te meo. Equidem in amicorum ſcriptis iudicandis re integra in hanc, quam in alteram partem peccare malo. Expectabam tamen abs te cenſurae cenſuram, vel, ſi mauis, rationem & ſatisfactionem, cur quicque abs te ſcriptum ſit.

De ratione concilii futuri fuit mihi gratum noſſe, te in eadem mecum eſſe ſententia. Romani quidem proceres in diuerſa adhuc videntur eſſe. Qua de re quid modo *ad Cardinalem Puteum ſcripſerim, ex adiuncto exemplo literarum mearum recte cognoſces.* Quid autem futurum ſit, breui ſpero intelligemus. Videntur quidem certis hominibus res pacatae in Galliis multum detracturae eſſe de ſtudio maturandi concilii. Sed noſtrum eſt optare optima quaeque ferre autem quicquid ſors tulerit. Colloquia mea vix tandem domo pedem proferunt: prodibunt fortaſſis ad proximas Francofordienſes nundinas: vbi ſpero Religionem tuam ſalutabunt. Tu vide ne ſpem noſtram fallas. Noui hic nunc nihil eſt: Caeſar cum liberis ſuis venationibus multum indulget: nos ocioſi ſumus; & ſententiam pontificis max. de concilio expectamus: poſt initium noui anni Poſonium fortaſſis ad Vngarica comitia excurremus. Vale. Vienna 23. Nouemb. 1560.

Reuerendiſſimae D. t.

addictiſſimus

Mart. Cromerus.
Orator Pol. apud Caeſ.

XXI.

Puteo Cardinali Cromerus.

Mitiſſimis conſiliis in concilio Tridentino opus eſſe: proteſtantes tractandos eſſe, quemadmodum parentes liberis, medici aegrotis conſulunt.

Feci fortaſſis incogitanter, ne dicam arroganter, quod cum inter ſummos orbis terrarum rectores, de concilio conſul-

taretur, ſcripſi nuper D. V. Reuerendiſſimae & Illuſtriſſimae, quid mihi videretur, immemor ciuilis illius & vulgati praecepti, quo non vocati ad conſilium accedere vetamur. Feci autem id fiducia gratiae beneuolentiaeque ipſius erga me ſingularis: Non quod non abundare vos iſtic conſilio, aut me plus videre exiſtimarem, ſed quod ad commune & iam fere omnia depaſcens incendium reſtinguendum quemuis accurrere, non nefas eſſe arbitrarer. A quo incendio quanto propius nos hic abſumus, tanto minus mirum videri cuiquam debet, ſi omnia auxilia tardiora eſſe & minus quam vellemus efficacia nobis videntur. Fit hoc etiam in tempeſtate, vt non modo remiges, verum etiam vectores & ἐπιβάται eos, quorum conſilio nauis regitur, quid facto opus ſit, aut non ſit, admoneant. Rectene, an ſecus, non quaeritur, non intempeſtiue quidem certe, nimirum in communi periculo. Gubernator autem & nautae indicant, quodnam ſalutare ſit conſilium, quod non ſit. Equidem conſilii mei rationem reddidi: Nec video reprehendi id a Reuerendiſſima & Illuſtriſſima D. V. Niſi quod non iudicat ea, infrequentiam epiſcoporum ſatis valere ad infirmanda acta ac decreta concilii Tridentini. Quaſi vero ego aliter ſentiam. Non ſum neſcius, non minus pondus habere ea, quae in Epheſino concilio a ducentis, aut in Conſtantinopolitano a centum quinquaginta, quam quae in Chalcedonenſi a ſexcentis triginta patribus conſtituta ſunt. Num autem infirmari aut induci decreta Tridentina in gratiam praefractorum haereticorum ego volo? Minime gentium. Quin ea eiuſmodi eſſe iudico, vt omnia nobis prius perferenda, quam vel latum vnguem ab eis diſcedendum eſſe cenſeam. Quorſum igitur pertinet illud, quod ſcripſi de epiſcoporum infrequentia? Dicam. Si inſtitui debet concilium, non noſtra, qui in antiqua eccleſiae catholicae doctrina firmi per Dei gratiam permanemus, ſed eorum, qui partim ab ea deſciuerunt, partim nutant adhuc & vacillant, cauſa inſtitui debet, vt iis vtriſque medicina ſalutaris, non tanquam ab inimicis vel mercenariis, ſed tanquam a parentibus medicis afferatur. Quid igitur faciunt medici, ſi vis

morbi

morbi ſit vehementior, aut natura aegrotus a pharmacis abhorreat? Omnia tentant & excogitant, fallunt neſcientem, eduliis pharmaca miſcentes, indulgent etiam ei nonnihil praeter certas curandi cuiuſque morbi rationes atque canones, nec deſinunt laboranti fomenta admouere, quoad aliquis in eo ſupereſt vitalis halitus, vt vel inuitum quodammodo ſeruent. Annon idem autem propoſitum eſſe debet medicis iisdem patribus animarum, quarum longe periculoſior eſt morbus, & grauior interitus? Remittere eos nonnihil de ſuo iure, ac de rigore canonum, moribusque & inſtitutis maiorum par eſt, ſi aliter ſalus aegroti repraeſentari nequeat. Suadet hoc diuinus charitatis canon, quo ſaluo, ſalua ſunt omnia, quamuis in ſpeciem labefieri videantur. Haec ego ſic adhuc ſcribo, quaſi mihi placeat, tantum indulgeri iis, quibus conſultum cupimus, * in dubium ſuperioris concilii decreta renocentur. Sed non id tamen ego volui: Verum illud, vt audirentur modo ii, qui iniquum eſſe quiritantur, damnari ſe indicta cauſa. Quod eo facilius eis concedi poſſe videtur, quo certiora, & cum recepto eccleſiae catholicae ſenſui, tum verbo Dei conuenientiora ſunt ea decreta: Quae conuelli quidem ab illis nullo modo poſſunt, fieri autem poteſt, vt explicata accuratius, refutatis diuerſum ſentientium rationibus, cum quadam ſuauitate ſanent eos, qui obfirmatis animis perire malunt, quam vllam aliam medicinam admittere. Hic certe, niſi ego fallor, nihil detrahetur decretorum firmitati, & authoritati concilii. Ne moribus quidem maiorum fortaſſe: Charitati vero & pietati chriſtianae multum accedet, ac vacillantibus duntaxat conſuletur, ſi forte ii qui penitus peruerſi ſunt, erunt pertinaciores. Hoc ego ſpectaui, hoc ſenſi in priore illa epiſtola mea. Id autem quo minore difficultate fieri videretur, aliqua mihi, vel in ſpeciem duntaxat probabilis, cauſa proferenda fuit. Nec veniebat in mentem alia, quam infrequentia epiſcoporum, & quod ea decreta confirmata a pontifice max. non eſſent. Nunc aliam & quidem non iam probabilem, ſed neceſſariam prorſus, vt quidem iudico, ex adiuncto

* vt.

iuncto literarum episcopi Numburgensis ad me exemplo d. v. Reuerendissima & Illustrissima cognoscet. Nempe promissum ipsius concilii Tridentini, quod falli aequum non est. Simulque sententiam eiusdem episcopi a mea non dissentientem intelliget. Est autem is vir in primis elegans, nobilis, doctus & pius, & cum inter haereticos habitet, sensum eorum, rationesque curandi eos non callere non potest. Haec nos tamen ita sentimus & scribimus, vt saluum sit vobis per nos vestrum iudicium, & tota hac de re statuendi potestas. In quo cauebitis procul dubio, vt ex animo concilium cogi velle existimemini. Neque enim ignorare debetis, quae sint in his regionibus de vobis hominum quorundam opiniones. Sed ego longius prouehor, fretus aequitate d. v. Reuerendissimae & Illustrissimae.

XXII.

Pius IV. Pflugio.

Literae fiduciariae Commendono, nuntio pontificis, datae ad Pflugium.

PIVS PP. IIII^{s}.

Dilecte fili, salutem & apostolicam benedictionem. Cum ad tollendas de religione controuersias, & sedanda scandala, & alia quae correctione indigent emendanda, nuper indixerimus Concilium Oecumenicum, & generale, Deo annuente in ciuitate Tridentina celebrandum, sicut cognosces ex Bullae nostrae exemplo: misimus huius rei causa in Germaniam venerabilem fratrem Ioannem Franciscum, Episcopum Zacynthium, Nuncium nostrum datis ei nonnullis ad tuam quoque deuotionem mandatis. Petimus igitur, vt eius orationi, seu literis, si te commode coram alloqui non potuerit, fidem habeas. Datum Romae

Romae apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die primo Decembris MDLX. Pontificatus Noſtri Anno Primo

Ant. Florebellus Lauellinus.

Dilecto filio Iulio Electo Numburgenſi.

XXIII.

Delphinus Pflugio.

De praeſidibus et aliis concilii Tridentini rebus.

Reuerendiſſime in Chriſto Pater D. & amice plurimum honorande, cum praeterito menſe Iulii Legationem meam ad ſuperiores Germaniae Principes abſoluiſſem, Secretarium meum Simeonem Fata, hominem diligentiſſimum ad ſanctitatem ſ. ablegaui, vt ei coram multa exponeret, nonnullorumque Praelatorum varias ſupplicationes offerret, inter eas vero praecipue fuit illi comendata reſignatio facta ab Amplitudine T. Reuerendiſſima in fauorem Domini Petri Decani, quem ſane vnice diligo. Speraui ſ. ſanctitatem eundem Simeonem, cuius quidem praeſentia mihi eſt neceſſaria, breui confectis ad vota negotiis dimiſſurum eſſe, ſed Romae ille adhuc detinetur. In cauſa illud eſt praecipue: petiit nonnullis Germaniae Praelatis multa concedi, atque omnia gratis: id autem licet pro maiore parte obtinuerit a ſummo Pontifice, fieri tamen nequit, vt officiales iura ſua facile condonare velint. Etenim mandante PP. gratis omnia expediri, vt illi verbo contradicere non audent, ita factis expreſſe contradicunt, prorogant enim expeditiones, cauſamque emergentibus de nouo negotiis aſcribunt. Sed veniet ſpero ille infra menſem, ac tunc de omnibus quae fecerit, Amplitudinem Tuam per Nuncium proprium edocere non praetermittam. De concilio, quae ſcri-

ſcribam, non deſunt, illaque valde bona. Ex adiunctis catha-logis videbit Amplitudo T. octoginta & amplius epiſcopos Tridenti iam conueniſſe; ſed poſſum ipſe illud addere, quod mihi conſtat, ante Kalendas Februarii futuros illos ibidem vltra ducentos: Principes omnes catholici ſuos ablegarunt oratores, & qui a Luſitaniae Rege mittitur, iam Vlisbonam peruenit; Rex Poloniae ſuos quam primum eſt ablegaturus, ipſique Poloniae Praelati Praelatos tres nomine omnium Epiſcoporum Poloniae delegerunt. Celebrabitur meo iuditio ſeſſio prima, prima vel altera Dominica proximae quadrageſimae, Cardinales Legati eodem in concilio Apoſtolicae ſedis nomine praeſidentes quinque ſunt, Mantuanus, Seripandus, Warmienſis, Simoneta, & de Alta Emps, qui nuper electus eſt Conſtantienſis epiſcopus. Reſtat, Germaniae epiſcopos vel de perſonali eorum praeſentia transferenda, vel de compromiſſariis & procuratoribus ſine mora Tridentum ablegandis cogitationem ſuſcipere: ſecus enim fieri non poſſe, non niſi absque Dei offenſa, gregis eis crediti iactura, & exiſtimationis eorum cuiuſcunque detractatione, ne dicam, amiſſione, bonus quiſque non negabit. Et quoniam ſatis mihi perſpecta eſt pietas Amplitudinis Tuae, probeque noui Principes Electores eccleſiaſticos te & merito magni facere, orandam Pietatem t. R. duxi obſecrandamque, eoſdem vt ſuis literis libere commonefacere non deſiſtat. Erit id opprime Deo gratum, & pietati Dominationis T. Reuerendiſſimae maxime conſentaneum. De me ipſo quid Amplitudini T. ſcribam, non habeo, praeter hoc, ſuſceptam me beneuolentiam & obſeruantiam erga T. Amplitudinem nullo vnquam tempore eſſe depoſiturum, & quia maxime vellem cum ea multa, quae cauſam tangunt publicam, communicare, dummodo tantum otii nanciſci poſſem, libentiſſime eam conuenirem; quod quidem futurum eſſe non deſpero, ſi tamen fieret, eſſet omnino id futurum ſine ſtrepitu. Nam Caeſare tantum ea de re admonito, adſcitis mecum ſex vel ſeptem ex meis ad eam tacite aduolarem. Cum Caeſarea Maieſtas Commiſſarios ſuos Mersburgum dimitteret, egi ipſe, tunc temporis, vt debui,

bui, amice pro D. Petro Decano, Caeſareamque Maieſtatem erga illius perſonam comperi bene animatam, atque vt diu ſperauit Maieſtas S. catholiciſſimo defuncto Epiſcopo catholicum aliquem eſſe ſucceſſurum, ita illa abieciſſe nunc ſpem prae ſe fert, (dicitur enim Saxonicis practicis fratrem quemdam Comitis a Suatzberg vel electum vel eligendum eſſe.) Quo id tendat probe noui, ipſeque caeſar ſatis intelligit, ſed remedia ſibi deeſſe profitetur.

Fertur Regem Daniae Hamburgenſibus bellum breui illaturum eſſe; id ſi fiet ardebit non modo Germania ſed Europa vniuerſa bello ingenti & periculoſo. Tu vt Illuſtriſſimum Ducem & Electorem Saxoniae eiuſque Conſiliarios ad pacis & vnitatis Eccleſiae ſtudia quantum in te eſt, horteris, & comonefacias, etiam atque etiam rogo, extremumque illud peto, ne ad me aliquando ſcribere graueris. Vale diu felix, Religioſiſſime Praeſul, Petroque Decano id polliceare, nullo me vnquam loco neque tempore exiſtimationi, & commodis eius tam retinendis quam augendis, eſſe defuturum. Datum Pragae die XIII. Menſis Decembris MDLXL

Dominationi Tuae Reuerendiſſimae

ſtudioſiſſimus

Zacharias, Epiſc.
Pharenſis, Nuncius.

Reuerendiſſimo in Chriſto Patri & Domino Domino Iulio Epiſcopo Numburgenſi Domino & amico plurimum honorando.

XXIV.

Delphinus Pflugio.

Transmittit facultatem, ordines extra definita tempora conferendi.

Reuerendiſſime in Chriſto Pater D. & amice plurimum honorande. Quemadmodum D. V. Reuerendiſſima petiit

diſpenſationem ad ſacros ordines extra tempora ſuſcipiendum, his adiunctam tranſmitto, amiceque ſignifico Sereniſſimum Imperatorem Maximilianum ita ſe gerere, vt Catholici omnes letari merito poſſint. Deus aeternus Amplitudinem Veſtram Reuerendiſſimam cui ex animo me commendo, diu foelicem conſeruet. Ex Vienna XXIII. Auguſti MDLXIIII.

Zacharias Delphinus,
Epiſc. Pharenſis. Nuncius.

Delphinus natus Venetiis 1527. fit cardinalis 1565. moritur Romae 1583.

XXV.

Card. Tridentinus Pflugio.

Commendat Georgium a Carlwiz.

Reuerendiſſime Domine, amice nobis Dil.

Fuit hactenus in aula noſtra nobilis vir Georgius a Carolobitz, qui nobis ob ſingularem probitatem, virtutemque ſuam carus ſemper extitit, & quem non modo noſtra, ſed bonorum etiam omnium commendatione dignum cenſemus. Is cum in Italia mores iam, conſuetudineſque omnes nobili viro apprime vtiles didicerit, ſtatuit ſe Spiram conferre, Imperii Camerae muneribus, negotiiſque operam daturus. Cuius optimum conſilium cum non poſſimus non vehementer probare, noſtroque fauore, ac beneuolentia proſequi, eum Dilectioni veſtrae meliore de nota commendamus ipſamque rogamus, vt quacunque in re poterit, ſtudio, gratia, auctoritate ſua ita Georgio praeſto ſit, vt ille intelligat, noſtram hanc commendationem magnum apud Dilectionem veſtram pondus habuiſſe. Quod ſi fiet, vt confidimus, & ipſa hominem honeſtum, prudentem, minime ingratum, nobiſque cariſſimum ſibi in perpetuum deuinciet,

&

& nos id tam nobis gratum fore, quam quod gratiſſimum pollicemur. Romae die XVII. Aprilis. Anno Sal. M. D. LXIII.

D. V. R.

Ex animo vti frater

C. Cardinalis Tridentinus.

XXVI.

Pflugius Caniſio.

Faiglii reditum ad eccleſiam Romanam ſignificat.

Reuerende Domine S. Quia Chriſtiani hominis eſt, iuuare Chriſtianos homines, vt errores peruerſos vitare poſſint, non potui Georgii Faiglii, qui has tibi litteras reddidit, voluntati deeſſe. Oſtendit hic, vt ſacrae Theologiae operam dare poſſet, ſe de ſententia amicorum in hanc regionem migraſſe, & veniſſe Ihenam Thuringiae, atque ibi conſediſſe. Sed cum animaduerteret, Doctores illius loci variis haereſibus inquinatos eſſe, coepiſſe ab eorum conſuetudine abhorrere. Statuit igitur iſtuc redire, & ſe veſtris hominibus, qui ſunt de ſocietate Ieſu, adiungere: vt poſſit ſine periculo animae cum eis philoſophari, & vt in eam rem a me commendaretur tibi, mecum egit. Ego vero, quia conſilium hominis probabam, parendum putaui honeſtae eius voluntati. Commendo igitur eum ita, vt poſſit Ingolſtadii aut alibi cum iis, qui ſunt ſocietatis Ieſu, aliquamdiu viuere, & quae ad cognitionem Theologiae pertinent, haurire. Ac cum ſit ſodalis collegii Canonicorum regularium ad S. crucem Auguſtae, peto, vt cum Praepoſito illius collegii agas, quo per eum liceat, huic ſtudiorum cauſa aliquamdiu a coenobio abeſſe. Quo ipſo & de Georgio bene omnino merebere, & mihi

rem longe gratiſſimam feceris. Vale. Citii Idib. Iunii Anno MDLXIIII.

XXVII.

Io. Starmius Pflugio.

Rogat, vt in aula Caeſaris pro ſe intercederet.

Poſteaquam Deus Caeſareae Maieſtati victoriam, quam dederat, confirmatam eſſe voluit: inter caetera remedia, etiam inde medicinam, ad conſolandum multi viri boni, qui antea timebant, aſſumpſerunt: quod ſperarent diſturbata per Germaniam litterarum Gymnaſia reſtitui poſſe: & ocia rurſus litteratis concedi hominibus, ad recolendum ea ſtudia quae alii remiſerant, alii intermiſerant, nonnulli etiam occupationibus preſſi deſperata pace, omnino ſtatuerant abiicere. Ego etiam poſtquam conſtitutam pacem cum maxima parte eorum qui aduerſabantur, videbam: & noſtra Reſpublica veniam impetraſſet, gaudebam cum omnium nomine, tum etiam ſtudiorum meorum cauſſa: ſi conceſſo ocio ea recolere poſſem. Sed vt audio, metuendum mihi adhuc eſt a Caeſariae Maieſtatis offenſione: id quod accidiſſe iniquorum meorum calumniis exiſtimo. Dum enim bellum gerebatur: quicquid in Gallia ter miſſus egi: id toto egi mandato & iuſſu Ordinum, in quo negocio ſi verſatus ſum ſumma cum diligentia & fide: feci, quod quiſque a ſuis fieri expetit. Et quanquam diligentiam confiteri cogor: tamen exiſtimo paucos mitti potuiſſe, qui minori cum Caeſaris periculo, propter ingenii mei ſimplicitatem, vſumque in huiuſmodi negociis nullum, talia mandata recepiſſent. Sed intelligo impetrari veniam poſſe; ſi patroni inueniantur, & conſequi poſſem deprecatores. Ego certe magnam ſpem habeo, vacare mihi in tua amplitudine locum patrocinii: cuius autoritatem tantam eſſe ſcio, vt facile mihi Atrebatenſem Epiſcopum conciliet: cuius huma-

humanitas laudatur, & doctrina praedicatur, autoritas etiam certa est: quae quoniam multis saluti fuit, spero, non patietur me opprimi: qui veniam peto & precor, qui fidem promitto, eamque cum primum postulabitur, dabo. Scriberem pluribus verbis de hac peticione; & iisdem vterer argumentis, quibus ad Ciceronem in simili periculo A. Cecinna: nisi scirem, haec non ignorari: & si aliquid in me esset, quod iis esset aut par aut etiam simile, quae in Cecinna fuerunt. Itaque indicanda solum ista duxi: rogo & obsecro primum vt veniam mihi det tua amplitudo, si petam inuerecundius: deinde vt meam causam suscipiat, & me studiis meis, & studia mea mihi restituat: & hoc beneficio meam fidem sibi & obseruantiam perpetuo obstringat & obliget. Caetera quae ad meam defensionem pertinent, & quae cognosci & impetrari pro me cupio, amplitudo tua ex Doctore nostro Ludouico Gremp, qui has reddidit, cognoscet: cui eo libentius hanc causam commisi: quod sciam tuae ipsum amplitudinis semper studiosissimum fuisse, Vale. Argentorati Nonis May.

Amplitudinis Vestrae

studiosissimus

Ioannes Sturmius.

Amplissimo Principi & Domino,
Domino Iulio, Episcopo Neunburgensi &c. clementi suo Domino.

ANNOTATIO.

Ioannes Sturmius, scholae Argentoratensis rector, qui hanc epistolam anno 1547. capto Saxone, periculum sibi a Carolo V. metuens, ad Pflugium dedit, in lucem editus est Sleidae, non ignobili inter Vbios oppido, anno 1507. Pubertate egressus Leodium, inde anno 1524. vberioris ingenii culturae causa Lovanium, ac tandem 1529. Lutetiam Parisiorum se contulit, vbi contracto cum Ioanna Pisonia matrimonio, impetratoque doctoris medici titulo, linguam Latinam atque Graecam in celebritate docuit. Anno 1537. a senatu Argentoratensi ex Gallia evocatus est ad scholam in civitate sua aperiendam ac regen-

dam. Ibi autem non literis tantum docendis, ſed etiam conſiliis politicis ſuggerendis profuturus, multas turbas fecit, vtpote electori Palatino, Friderico III. Hugonotisque, ac toti calvinianae ſcholae addictiſſimus. Quamobrem Lutheranorum formulam concordiae anno 1580. publicatam continuis clamoribus lapidavit vſque ad annum 1589. quo fato conceſſit. Sed haec omnia lectores copioſius intelligent ex opuſculo 1590. Argentorati publicato, quod hunc titulum prae ſe fert: *manes Sturmiani.* Leguntur ibi in diatypoſi vitae Io. Sturmii lit. A. 4. ſequentia: *Saepe diverſis graviſſimisque periculis Evangelicorum Legationes demandatas habuit, in Galliam partim, partim in Angliam, partim in Daniam: in caſtra Proteſtantium: ad colloquium Vormatienſe: ad complures alios Principes atque Ordines S. Imperii.* De eius ſecretis cum Delphino, nuntio apoſtolico, colloquiis lege Pallavicinum libro XV. capite 10.

XXIIX.

Eraſmus Langio.

Iudicium de adverſariis ſuis, Leo et Zunega, perſcribit.

Ex avtographo.

S. P. Vir optime. Lei me miſereſceret, ni tam virulente rem geſſiſſet: Ita tractatur etiam a ſuis Anglis. Habet & Hiſpania Leum alterum. Zunega quidam edidit librum, vt audio, ſatis virulentum aduerſus Fabrum & me. Vetuerat Card. Toletanus defunctus. Eo mortuo prodidit ſua venena. Opus nondum vidi. Id cauent, ne libri veniant in manus meas. Neſcio, quem finem hic tumultus ſit habiturus. Nam omnino vis ad ſeditionem ſpectat, a qua ſemper abhorrui. Si neceſſe eſt, vt oriantur ſcandala, caueo a me proficiſci. Deuotis animis conſpirant iſti; ac ſummorum regum aulas oppugnant, ac vereor, ne expugnent. De Philippo, Oecolampadioque iam cognoueram ex aliorum litteris. Vtranque epiſtolam tuam recepi. Bene vale, vir in Domino mihi colende. Louanii, poſtrid. Cal. Aug.

Eraſmus ex animo tuus.

Eximio Theologo, Io. Langio.

ANNO-

ANNOTATIO.

De Eduardo Leo & Stunica agit Eraſmus epiſtola anno 1524. ad Io. Botzhemum Abſtemium ſcripta, ac operibus eius anno etiam 1703. Lugduni Batavorum editis praefixa. In hac operum Eraſmi editione habetur apologia adverſus Leum tomo IX. col. 123. et illa adverſus Stunicam col. 283. Cardinalis Toletanus, cuius heic meminit Eraſmus, magnus ille Ximenius eſt, anno 1517. vita functus. Ioannes Langius, ad quem hanc epiſtolam Eraſmus dedit, erat tum Erfurthi in Thuringia Auguſtinianorum monachorum prior, de quo multa leguntur in Seckendorffii Lutheraniſmo.

XXIX.

Emmanuel, Portugalliae rex, Friderico III. ſeu, ſapienti, Saxoniae electori. Ex avthentico exemplo indemni et recte ſigillato.

Inflammat electoris animum in Lutheri perniciem.

Illuſtriſſimo Principi, Amico Cariſſimo, Emanuel eadem gratia Rex Portugalliae & Algarbiorum citra vltraque mare, in Africa Dominus Guineae & Expeditionis nauigationis, ac commercii Aethiopiae Arabiae, Perſidis atque Indiae, S. D. Cum ex multorum literis, certiſque nunciis, & conſtanti fama cognouerimus, chriſtianae fidei hoſtem ac perditionis filium, Martinum Luterium, non modo plures iam populos & ciuitates ſuis concionibus falſiſque commentis in Germania decepiſſe; ſed impios etiam iniqui erroris libros publicaſſe, quibus & Germaniam ipſam, & quas poſſet Chriſtianas nationes, a veris S. R. Eccleſiae ſanctionibus & Chriſti vicarii dicione in ſuam reprobam opinionem ſeduceret: Nos pro ea obligatione ac fide, qua omnes Chriſtiani Principes Deo & S. matri Eccleſiae obſtringimur, pro noſtro erga caeſaream Maieſtatem ſpeciali quodam debito fraternoque more, & arctiſſimo neceſſitudinis vinculo, cum ad

ad eam potiſſimum huius tam atrocis ſceleris vindicta, plurimis de cauſis ſpectet, tum literas ſuper hac re, tum & certum nuncium in praeſentia deſtinauimus: ſuam Maieſtatem ſummo ſtudio orantes atque etiam exhortantes: vt ſui auguſtiſſimi ſceptri memor, atque eminentiſſimi ſolii, in quo a Deo merito eſt collocata, vt inde, velut e ſpecula proſpiciens, non ſolum ſaecularium legum, verum etiam Sacrae Romanae Eccleſiae chriſtianaeque fidei patrocinium ſumere & ab haereticorum iniuriis vindicare deberet: non oblitus ſuae Maiorumque ſuorum gloriae, quae inter omnes orthodoxos Principes ſemper emicuit: Memor etiam Germanae, cui praeeſt, nationis: quae tam armis, quam religione, caeteris ſemper exemplum extitit: atque extirpandis prauarum haereſum ſectis, proprium ſanguinem pro fide catholica toties effudit. Nunc in tanto chriſtianae rei periculo tam atroci facinori, tamque inſigni ſceleri totis viribus vigilique ſtudio occurrere, ac ſollicite, Dei Eccleſiae Petrique nauiculae ſubſidium & opem quamprimum ferre, recenſque adhuc vulnus reſecare, atque in ipſum tanti ſceleris autorem criminiſque ſocios pro facti atrocitate animaduertere, eiuſque pernicioſas machinationes & commenta ſub grauiſſimis poenis exterminare ne differat, ne huiusmodi peſtis contagio, cui nunc obuiam iri facile poteſt, Caeſareae Maieſtatis, in cuius ſolo hoc flagitium perpetratum eſt, ſaeua atque inexpiabili negligentia in maxima malorum incrementa & ſimplicium animarum perniciem coaleſcat. Quare Nos ſcientes quantum momenti veſtra autoritas & voluntas ad iuuandam hanc cauſam afferre poſſint: quantumque Illuſtriſſima Dominatio veſtra natura ipſa ad fidem & religionem fouendam ſit propenſa: Eam ſummopere rogamus, atque etiam per Dei miſericordiam obteſtamur, vt eius cauſae adeſſe, fideique noſtrae, quae in tanto iam periculo verſatur, fluctuantiſque Eccleſiae patrocinium ſumere, ac tanto malo occurrere velit. Nullatenus enim noſtris temporibus, praeſertim ſub Caeſareae Maieſtatis imperio, ferendum eſt, in Catholica Dei Eccleſia, tot ſacris conciliis, tot patrum decretis, tot Illuſtriſſimis probatiſſimorum

viro-

virorum ingeniis, tot etiam miraculis iam recepta, vnum hominem, ſeu potius iniquitatis alumnum, nullo conſilio, nulla prorſus ratione, propria autoritate, ſibi tantum contra diuina praecepta confidentem, paſſim & impune inſanire, atque ita inſanire vt ſynceram & candidam Chriſti fidem ſathanae ſuggeſtionibus maculare & ſanctae Eccleſiae concordiam malignis interpretationibus conturbare auſus ſit. Quod cum ad Dei Optimi Maximi cultum eiuſque S. Eccleſiae vnitatem & tutelam, ad fidei noſtrae chriſtianaeque religionis conſeruationem, ad Caeſareae Maieſtatis & omnium Catholicorum Principum curam & ſollicitudinem ſpectet, certiſſima ſpe confidimus, (quae veſtra eſt apud Caeſaream Maieſtatem & apud omnes auctoritas) tanto malo opportuna remedia, prout facti atrocitas exigit, quam celerrime adhibitum iri: ſed quoniam tam multa circa hoc occurrunt, quae exemplaris anguſtia capere non poſſet: ob id Laurentium Carcerem ſeruitorem noſtrum ad Caeſaream Maieſtatem & ad vos mittimus: Cui ſuper hac re integram fidem habeat Illuſtriſſima Dominatio Veſtra, quae diu feliciterque valeat. Dat. Oliſiponae XI. Kal. Maii anno Natalis Dominici M. D. XXI.

(*L. S.*) *El Rey.*

Illuſtriſſimo Principi, Dei gratia Saxoniae Duci, Sacri Romani Imperii Electori, Amico Cariſſimo.

ANNOTATIO.

Cum omnes eccleſiae Romanae reges in Luthero extirpando palmam laureamque ferre niterentur; etiam Luſitaniae rector has literas in Saxoniam mittendas eſſe exiſtimauit. Elementorum ductus in regis ſubſcriptione intricatiores ſunt. Omnes tamen bene oculati legunt: *El Rey*, quomodo ea aetate et Hiſpaniae reges epiſtolas ſuas ſubſcripſiſſe, videre eſt apud Oldoinum to. III vit. pontif. col. 288. Notat Spenerus operis heraldici parte ſpeciali L. I. cap. 72. p. 282 Luſitaniae

ſitaniae reges, cum olim diplomata ſubſcribebant, ſemper addidiſſe quinque puncta decuſſatim locata, quae vulnera appellarentur, in memoriam vulnerum Chriſti. Igitur Philippus II. Portugalliam poſt cardinalis infantis obitum ſubacturus diplomati in Luſitaniam miſſo tantum ſubſcripſit: Rex:: Sed in Emanuelis hac epiſtola vulnera non reperiuntur.

XXX.

Epiſcopus Cracovienſis Culmenſi.

Hoſium magnopere laudat, eique peregrino oportere aditum ad honores patere, evincit.

Reuerendiſſime in Chriſto pater & domine, frater & amice chariſſime ac obſeruandiſſime,

Plurimam ſalutem reuerendiſſimae dominationi veſtrae ex animo precor, eique me commendo.

Gratulor reuerendiſſimae dominationi veſtrae epiſcopatum Varmienſem conſecutae: nec minus profecto Eccleſiae Varmienſi gratulor, quae eiuſmodi virum paſtorem adepta eſt, quo in tota Pruſſia non alius vel vigilantior, vel regendi gregis domini peritior inueniri poterat. Deum precor, vt reuerendiſſimam dominationem veſtram in illius Eccleſiae, quae vndiquaque haereticorum agminibus circumuallata eſt, praeſidio diu ſeruet, gubernet, ac tueatur.

Litterae conſcriptae ſunt ex ſententia reuerendiſſimae dominationis veſtrae ad ſummum pontificem, vt & celeriter literae apoſtolicae expediantur, & vt taxae aliqua moderatio fiat, Maieſtas regia a ſummo pontifice petit, facturamque eius Sanctitatem ſpero aliquid in gratiam ſuae Maieſtatis, quae non mediocri ſtudio & contentione pro reuerendiſſima dominatione veſtra conſcribi litteras iuſſit, ita vti conſcriptae ſunt: & quamuis in papyro ſcripſerimus, nihil intereſſe arbitror: chartae enim pergame-

gameneae tunc iam cum caetera Cancellariae ſuppellectili Cracouiam auectae erant, cum haec expeditio ſcribenda nobis fuit. Nam & hac in re ſcribendi conſuetudinem ac diligentiam non praetermiſiſſemus. Succedit in epiſcopatum Culmenſem reuerendiſſimae dominationi veſtrae dominus Stanislaus Hoſius, vir doctus, pius, grauis, cuius fides, integritas, innocentia pene iam hominibus noſtris in prouerbium abiit: vt ſi quem inſigni aliqua virtute praeditum videant, Hoſium appellare ſolent. Dubium non eſt, quin paterna pietate reuerendiſſima dominatio veſtra in eam, cui tot annis praefuit, Culmenſem Eccleſiam, propendeat: quin ei ſua deſtitutae praeſentia optime conſultum velit: quin ne deteriore conditione, deſerta a reuerendiſſima dominatione veſtra fiat, ſit non minus quam de Varmienſi ſollicita. Hanc omnem ſollicitudinem adimet hic talis ſucceſſor: qui non minore fide, diligentia, cura, in Epiſcopatus illius adminiſtratione verſabitur, quam qua reuerendiſſimam dominationem veſtram illi praefuiſſe notum teſtatumque nobis omnibus eſt. Nam ſi forte hoc reuerendiſſimam dominationem veſtram offendit, quod indigena Pruſſiae non ſit dominus Doctor Hoſius, hanc offenſam facile charitas patriae mitigabit: ego profecto neutiquam reuerendiſſimam dominationem veſtram ex iis eſſe exiſtimo, qui odioſe verba legis amplecti potius quam ſententiam ſolent: quamuis non temere in quemlibet ſenſum verba quoque deflectenda & ipſe cenſeo: tamen ſi quid rectius, vtilius, veritati magis conſentaneum videmus, quam leges vel priuilegia, vel conſuetudines praeſcribere verbis videntur: ibi moderata interpretatio interdum adhibenda eſt. Nam quod indigenas epiſcopos, leges, priuilegia, conſuetudineſque patriae veſtrae requirunt, vix adduci poſſum vt credam reuerendiſſimae dominationi veſtrae id per omnia probari, quae nec Evangelicis, nec canonicis litteris vſquam hanc grauiſſimam in Eccleſia functionem vlli patriae eſſe alligatam, non ignorat: vocantur ſine diſcrimine omnes, Hebraei, Graeci, barbari, modo ii ſint, quos Paulus apoſtolus eſſe vult. Si quae tamen cauſae extant,

propter quas electio Epiſcoporum in prouinciis ad indigenas reſtringi debeat, id vt ſedis Romanae authoritate approbetur oportet. Sunt enim & apud nos perſonarum delectus, lege & conſuetudine introducti, quos ſummorum Pontificum authoritas iam confirmauit, a quibus tamen ſi quando ex reipublicae vſu eſſe arbitramur, diſcedimus non inuiti: exempla recenſerem multa, niſi notiora eſſent, quam vt referri ea opus ſit. Quamuis quid laboro? non video certe, cur dominum Hoſium indigenam veſtrum eſſe negetis, qui linguae veſtrae magis quam noſtrae eſt: quique magnum iamdudum amicitiae vſum cum Pruthenis habet, vt mihi certe natus illhic eſſe ſemper videretur: eſt Pruthenicae nationis amantiſſimus, cuius rei teſtis ipſe ſum. Nullas enim cauſas, nulla negotia, maiore diligentia, cura, ſollicitudine, in aula dum mecum fuit, quam Pruthenorum tuebatur vnquam: idque multo iam anteacto tempore, vt a fato prorſus eum Pruthenis deſtinatum eſſe Epiſcopum iudicem. Nam & Diuus ille rex, veluti Deorum voluntatis interpres, Sereniſſimo filio ſuo id praecepit, vt ſi ita accidiſſet, vt in Pruſſia Epiſcopus, vt ſunt omnia caduca, deſideraretur, ne quem D. Hoſio anteferri ſineret. Gaudebit itaque potius reuerendiſſima dominatio veſtra, hoc tali ab ipſo Deo ſibi collega dato, quam moerebit. In me enim recipio futurum, vt Prutheni nihil ſint in eo, quam in ciue, indigenaque ſuo requirerent, charitatis beneuolentiaeque deſideraturi. Atque vtinam nobis tales duo contigiſſent in tota Polonia, quales vos iſthic duo eritis, Epiſcopi: de quibus ego mihi plus certe perſuadeo: bona cum venia collegarum meorum id ſcriptum eſſe volo: quam de nobis hic omnibus. Multa poſſem in laudes D. Hoſii ſcribere, niſi eius mores, religionem, fidem, doctrinam & reuerendiſſimae dominationi veſtrae & omnibus fere hominibus perſpicuam eſſe & illuſtrem exiſtimarem. In veſtram certe reuerendiſſimam dominationem ſumma eius eſt obſeruantia: quod cum antea ſemper, tum certe hoc tempore perſpexi, cum pro reuerendiſſima dominatione veſtra, vt inter nominatos referretur,

retur, ita laborauit, vt maiore ſtudio, fide, contentione poſſit nemo.

Proinde peto maiorem in modum, ne facto hoc quicquam in patriae leges commiſſum reuerendiſſima dominatio veſtra putet: ſequatur Dei voluntatem, ſequatur Evangelica ac Canonica praeſcripta, ſequatur mirificum Principum pro D. Hoſio ſtudium: ſequatur denique commoda, quae ad patriam reuerendiſſimae dominationis veſtrae vberrima ſunt hoc Epiſcopo redundatura. Excipiat illum fraterno amore, talemque illi Epiſcopatum, tam expeditum, tam integrum relinquat, quam erat ei relictura, quem chariſſimum habet, quamque ipſa Varmienſem accipiet. Ea re, & ſacrae maieſtati regiae & mihi rem pergratam faciet: & quanti conſenſum hunc prope publicum in D. Hoſii electionem inclinatum faciet, declarabit. Quod ſupereſt, reuerendiſſimam dominationem veſtram diutiſſime felicem & incolumem eſſe cupio. Datum Piotrcoviae III. Februarii anno domini M° D° XLIX°.

Nacti ſumus aegre chartam pargameneam, in qua ſcribi literas ad ſanctiſſimum dominum noſtrum pro more iuſſi. Mitto literas iuramenti dominorum Pruſſiae Conſiliariorum. Formula iuramenti ad comitia correcta mittetur.

Veſtrae reuerendiſſimae dominationis

frater obſequens

Samuel, Epiſcopus Cracovienſis & R. P.

Reuerendiſſimo in Chriſto Patri domino Tidemanno, Dei gratia epiſcopo Culmenſi, & poſtulato Varmienſi, Fratri & amico chariſſimo ac obſeruandiſſimo.

ANNOTATIO.

Tidemanno cum Hoſio parum convenit de quibusdam religionis capitibus. Sed, vt rerum humanarum ſaepe fert ratio, tamen ſucceſſorem Tidemannus naſtus eſt Hoſium. In Treteri epiſcopis Varmienſibus p. 110. haec de bono Tidemanno memorantur: *Non interrupta ſerie, tres Praeſules, Dantiſcani Municipes, hanc* (Varmienſem) *rexere Cathedram. Ex iis Tidemannus Giſe in Aula Sigismundi Primi et Auguſti meruit, negotiis gravioribus expediendis, Literis ſcribendis in Cancellaria, operam commodabat, ea, qua pollebat, doctrinae, ſtyli, promptitudine, merito illorum temporum, limatis ſcriptoribus adnumerare Giſſium non veretur Reinholdus Heidenſtenius, magni olim Ioannis Zamoyſcii familiaris. Prima illius fuere Sacerdotia Cuſtodia Canonicatus Varmienſis, & Gedanenſis Parochia. Ad Epiſcopatum Culmenſem Regia evectus nominatione, Fidem Catholicam remiſſe, languideque, non eo, quem tantus exigit gradus, promovit zelo. Cum Eraſmo Rotherodamo, qui elegantioris literaturae venditabat ſe reſtauratorem, amicam familiaritatem, ſcriptis ad invicem literis fovit retinuitque. Conſtans habet traditio, aliqua eum compoſuiſſe, quae fidei Orthodoxae iniuria aliqua deprehenſa, neque tamen in lucem prodiere, rectaque ad aeternas damnata tenebras. Non toto biennio gubernavit Epiſcopatum. Moritur ſeptuagenarius, anno 1550. 14. Octobr. et in Eccleſia Cathedrali ſepulturae traditur. In Arce Lubavienſi Epiſcopatus Culmenſis ſupra portas camerarum ab antiquo ſuperius ſtructarum viſitur bina eius effigies, ſculpta, et picta, facies oblongior, genae barba raſae, oculi vivaces, naſus aquilinus, vultus, ad gravitatem compoſitus germanicam.*

XXXI.

Epiſcopus Cracovienſis Tidemanno, epiſcopo Varmienſi.

Lenit dolorem ex calumniis ortum.

Reuerendiſſime in Chriſto Pater & domine, frater & amice chariſſime ac obſeruandiſſime.

Commendo animi mei propenſionem Reuerendiſſimae Dominatio veſtrae, atque eidem plurimam precor ſalutem.

Quod

Quod ſe indigne vna cum domino Ioanne a Werden in ſuſpitionem adductam Reuerendiſſima Dominatio veſtra dolet, & confictum id, cuius nomine notatur, ad ſe inuidia opprimendum ab inimicis putat, & ego profecto ex animo doleo. Siquidem graue eſſe & moleſtum exiſtimo, innocentem virum calumniis opprimi, grauius tamen eſſe puto, ſi quis ſibi male conſcius eſt. Ipſa itaque Reuerendiſſima Dominatio veſtra conſcientia ſua facile hunc dolorem moderabitur.

De iis technis, quas Romae contra ſe ſtrui Reuerendiſſima Dominatio veſtra ſcribit, nihil audiui, nec eſt cur ſit ſolicita, omnia enim illhic conficientur ex illius ſententia. Rediit Roma nuper Domini Caſtellani Gandecenſis nuper defuncti tabellarius: is nunciauit veniſſe iam illhuc Canonicum illum Warmienſem, qui expeditionem Reuerendiſſimae Dominationis veſtrae curaturus eſt: quam tamen eſſe impeditam morte Aduocati cuiuſdam, qui repentino oppreſſus eſſe ex inſidiis fratris filii dicitur.

Regia Maieſtas donat hanc expoſtulationem, qua vſa eſt Reuerendiſſima Dominatio veſtra, iuſto eius dolori, nec quicquam eſt offenſa, bonoque animo illam eſſe iubet, non modo enim nihil ſe vnquam mandaſſe, quod cum indignitate Reuerendiſſimae Dominationis veſtrae putaret coniunctum; verum etiam vt dignitatem authoritatemque ſenatoriam illa perpetuo, vti meretur, retineat, ſibi curae futurum pollicetur. Commendo iterum animi mei propenſionem Reuerendiſſimae Dominationi veſtrae, quae vt bene valeat cupio. Datum Cracoviae IIII. Iunii Anno Domini MDXLIX.

V. D. Reuerendiſſimae

frater Samuel
epiſcopus Cracovienſis & R. P.

XXXII.

XXXII.

Caniſius Cromero.

Ad Loiolam ſcribendum eſſe de Ieſuitis in Pruſſiam mittendis: Fricii de emendanda republica opus ſibi minime probari.

Gratiam Domini Ieſu nobiſcum ſempiternam.

Pergratae mihi fuerunt litterae tuae, Reuerende Domine, quas ego poſt abitum a nobis tuum vnicas accepi, neque praeterea in hunc vſque diem quicquam intellexi de colonia ſodalicii noſtri, ſicuti ambo cupiebamus, in Pruſſiam deducenda. Mirantur & noſtri, quos Romae admonendos de hoc inſtituto curaueram, merum & diuturnum intercedere ſilentium, veluti vana iuuandae in Chriſto Pruſſiae ſpe lactarentur. Quare a noſtris nihil neglectum vides, qui ſi adhuc venturi ſunt, non ſolum ad Mafaeum quem nominas archiepiſcopum, verum etiam ad pontificem maximum & ad praepoſitum noſtrum D. Ignacium ſerias mitti litteras & preces D. Varmienſis optarim. Ac praterea mihi conſultum fore videbitur, ſi Romae conſtituatur aliquis, qui neceſſario viatico inſtruat profecturos: niſi forte dum Vienna tranſibunt, hic denuo vt ſumptus neceſſarios accipiant, veſtra quoque liberalitas efficiet. Rex breui aliam mittet coloniam e noſtris Pragam, ac fortaſſis etiam, vt audio, Oenipontum. Dominus Ieſus eccleſiae ſuae ſalutares faciat noſtros conatus. De Andrea Fricio, regio ſecretario, cuius opus de emendanda republica nunc excuſum typis dedit Oporinus, hoc vnum addam, vereri me admodum, ne & authori, & regi, regnoque veſtro futurum ſit dedecori, quod ille cum tot apologiis adfert de eccleſia. Elegantiam & libertatem illi concedo: in ſacris, doctrinam, quae ſobrietatem ſapiat, non tribuo. Et quid opus erat, pontificem, epiſcopos, ſynodumque Tridentinam ſic traducere, ſectariis fauere, damnatis iam olim erroribus patrocinari, hoc praeſertim tempore tam exulcerato,

quam

quam maligno, vbi ſcandalorum abunde ſat eſt, licet iſtiuſmodi homines frigidam non ſuffundant, & igni, vt dicimus, addant oleum. Sed haec ego Polonicae eccleſiae amans dixerim, non quod cenſor eſſe velim: tantoque iuſtiorem hinc moerorem accipio, quo triſtiora huc nuncia perferuntur de tumultuantibus iſtic in religionis cauſa vulgaribus animis. Nec probo, quod Cracouiae Lutheranos authores excuſos Vienna nunc videat, catholicos autem fere nullos accipiat. Caniſium quaeſo commendatum habeat ſibi dignitas tua, quam ſeruet Deus optimus maximus. Viennae 6. Nouembr. 1554.

Seruus in Chriſto
Petrus Caniſius, de ſocietate Ieſu
theologus minimus.

Reuerendo domino Martino Cromero, Secretario Regio, patronoque ſumme colendo.

XXXIII.

Lipomannus Cromero.

Laudat Cromerum ac eius conſilium approbat.

Gratae mihi ſemper vel potius periucundae erunt literae tuae, mi Cromere doctiſſime, cumque elegans & idem purus in iis ſermonis ornatus, nec non ſingularis amor ille in me tuus eluceat, haud facile ſcio, vtrum me magis oblectet: nam ſiue ad amorem tuum, ſiue literarum elegantiam me refero, totus tu mihi aeque iucundus occurris. Euenit tamen, vt cum alterum plerunque magis admiror, in altero animus meus quam maxime requieſcat. Ita vero tuae me literae delectant, vt eas velim ad me

 ſae-

ſaepius dari. Laudo conſilium tuum, tuamque in eo prudentiam agnoſco. Nam ſi in eo dignitas eſt, quod bene ſentias, id libera oratione defendere, quid te amabo in iſtis locis contineas, vbi ne veſtigium quidem vllum dignitatis exiſtat, nihilque ob oculos verſetur, quod aſpicere ſine ſuſpirio poſſis? Iſtorum certe hominum celebritatem, haud mirum eſt, ſi abhorret animus a natura bene informatus. At tibi ea in re gloriandum eſt, quod in omni loco, vel ſi deſertiſſimam in ſolitudinem te contuleris, eum maxima dignitate eſſe potes. Bene vale, tibique perſuade, me in te amando nemini vnquam conceſſurum. Ex arce Louicii IIII. Id. April. LVI.

Reuerendae Dominationis tuae

amantiſſimus

A. Lipomanus, indignus epiſcopus
Veronenſis, nuncius apoſtolicus.

Reuerendo Doctiſſimoque viro Domino
Martino Cromero, Canonico Cracovienſi, &
Regio Secretario digniſſimo, Domino meo obſeruandiſſimo
Vilnae.

XXXIV.

Weigelius Rotundo.

Lindani et Surii libros contra haereticos editos ſe non ſine fructu legiſſe.

Salutem, gratiam & pacem in Chriſto Ieſu,
Generoſe & clariſſime vir, Domine Patrone
& amice colende,

Nactus Riga vtrumque librum iam compactum diligenter perlegi non ſine fructu, idque profeci, vt a ſectariorum no-

nominibus magis abhorream, vel certe minus, quam antehac, tribuam. Episcopus Ruraemundensis grandiloquentiam amat, ideoque nonnihil interdum obscurior. Vterque profecto Surius & episcopus omnium calamitatum causas euidenter ostendunt, & Lutherum ἔξαρχον καὶ κορυφαῖον, postea Caluinum Zuinglii aemulum docent. Vtinam vero id serio persuaderi possit multis iam nationibus, Lutherano & Zuingliano spiritu fascinatis, ideoque in omnem licentiam & turpitudinem sub larua evangelii prolapsis. Qui per omnia pontificios excusant, ciuiliter quidem & sapienter faciunt, an vbique sincere & vere, dubito. Vnus Erasmus sapienter & erudite naeuos quosdam attigit, nec tamen vnquam ab ecclesia discessit. Iam proh dolor! effectus noui, vt sic dicam, evangelii apparet. Passim omnia ardent bellicis tumultibus & dissidiis. Libertas Lutherana pessundabit Germaniam. Omnia sacra sunt profanata, & ad rudis plebeculae nutum atque voluntatem detorta, vt omnibus omnia liceant. Caluinus praeeunte Zuinglio plus Luthero nocuit. Nam tota eius doctrina & ecclesiastica politia (quantumuis non reiicienda per omnia) aditum patefacit Epicureis atheis & anabaptistis fucatis. Iam non amplius sustineo Caluinianus dici, etsi nec ante per omnia illi sectae addictus fui: tamen paulo melius de ea sensi, quam iam, vbi video omnia plane sacra & humana violari & conuelli. In hunc finem semper collimarunt aliqui Gastoldici Vilnenses, religionis alioquin contemptores. Propterea Christum cum omnibus sacris abolere & profligare tentarunt, & forte etiamnum tentant, licet aliud simulent. His furiosis & impiis idiotis optarim omnes sapientes gubernatores resistere, alioquin Sarmatia eandem cum Germanis & Gallis tragoediam experietur. Nobilitas Germanica rebellat principibus: principes aliquot Lutherani & Zuingliani rebellant Caesari & Pontificiis, sic omnia sursum & deorsum voluuntur. Rex Galliae cum matre dicitur a Caluinianis captus. Noui si quid amplius tua D. habet, dignetur communicare. Haec gratitudinis & amoris ergo scri-

bo & candide accipi peto. Tua G. T. feliciter valeat, & ſi quid eiuſmodi libellorum amplius fuerit, Weigelio ſuo, lectori non eſcitanti, communicet & faueat. Wendae die 28. Ianuarii anno Chriſti 1568.

Tuae G. D.

amantiſſimus

Georgius Weigelius.

Generoſo & clariſſimo viro Domino
Auguſtino Rotundo I. V. Doctori & Aduocato Vilnenſi, item S. R. Maieſtatis Secretario, Domino & amico plurimum colendo.

XXXV.

Reſcius Cromero.

Hoſium Romae aegrotare.

Reuerende Domine patrone obſeruandiſſime

Plane nos maxima tenet eius rei admiratio, quod cum iam tertium curſor publicus Venetias iſſet & rediiſſet, a R. D. V. nullas litteras attulit, niſi quod ex aula ſignificatum nobis eſt, datam eſſe R. D. V. prouintiam Roſtochium proficiſcendi. Quam certe cauſam ſubeſſe putamus ſilentii huius diuturnioris. Abſit enim, vt vel morbo vel alio aliquo caſu impedita ſit ab hoc ſcribendi officio D. veſtra. Qua de re primo quoque tempore cognoſcere

noſcere vehementer cuperemus. Ill. quoque Cardinalis hic in aedibus Card. Auguſtani decumbit, ex febricula quadam, non moleſta illa quidem, neque ardenti, ſed quae tamen maioris alicuius mali metu nos tenet ſuſpenſos. Duo medici viſitant ipſum D. Stephanus & alius Cardinalis Auguſtani. Medicinam nullam porrigunt. Nam ipſa natura bene operatur, multaſque ſuperfluitates eiicit, ſed ſaepius tamen remittit febricula, ſaepiuſque redit. Viſum erat medicis, aërem illum, cui noſtra domus in - - expoſita eſt, minus eſſe ſanum. Quamobrem in vrbem potius commigrandum cenſent Cardinali, illud autem in - - - Palatium relinquendum, in quam etiam eorum ſententiam iuit Cardinalis, ſumuſque de inquirendo palatio ſoliciti. Vtinam autem cito poſſit ad illud commigrare bene confirmata roborataque valetudine. Non deſunt hic piorum hominum preces, quin & apud Ieſuitas publicae ſunt pro eo ſupplicationes indictae, ſpeſque certa nobis eſt in Deo repoſita, quod erit illi melius. Pontificem poſt publicum illud Conſiſtorium non vidi, ſed & cardinales ad viſitationem non admittuntur, ita volentibus medicis, quorum poteſtati ne ſe tradat, admonetur a nobis omnibus ſaepius, ſed conſuetam potius victus rationem conſeruet. Periculoſa eſt enim illi omnis nouatio. Recens eius rei documentum domi noſtrae habemus. Martinus Razeck grauiſſima febre multos dies conflictabatur, multaſque ac varias potiones ebibit, quae omnes augere malum potius, quam prohibere viſae ſunt. Nam ex illa perpetua febris conflictatione, medicamentorumque varietate ita fuit exhauſtus, vt morti quam vitae vicinior eſſet: triduoque animam agere videbatur, niſi quod bis vinum inclamauit, quod illi nos inuitis medicis porrigi mandauimus. Bibit is alacriter, & melius loqui, ſpirareque coepit liberius, cibum quoque appetere auidius, ita vt iam in certa vitae longioris ſpe ſimus collocati. Quae res certe medicos iſtos confudit, vt vix nunc adduci poſſint, vt ipſum viſitent: quos etiam ipſe Razek ridere videtur, quod tantam vini Graeci potentiam virtutemque

ignorent homines Itali viniſugaeque. Sit nomen Domini benedictum. Orandus eſt Deus, vt cito quoque Cardinalem valetudini reſtitutum videamus. Noui nihil eſt in vrbe, vel potius ego nihil habeo. Nam & domo egredi facultatem non habeo. Nec etiam egredi libet in hac dubia Cardinalis mei valetudine. Pontifex bene valet, noſtrique dicitur eſſe cupidus Cardinalis. Et admonuit ipſe diligenter Auguſtanum, vt valetudinis Cardinalis mei curam gerat. Opto R. D. V. bene valere, meque gratiae ipſius etiam atque etiam diligenter commendo. Datum Romae 4. Decembr. 1569.

D. V. R.

ſeruitor addictiſſimus

Stanislaus Reſcius.

Reuerendo Domino Martino Cromero I. D. Cantori & Vicario Varmienſi, Canonico Cracovienſi & S. R. Maieſtatis Secretario, Domino meo obſeruandiſſimo.

ANNOTATIO.

D. Stanislaus Reſcius, abbas Andreievienſis, canonicus Varmienſis, Decanus Varſavienſis, ſignaturae in curia Romana referendarius, Hoſiique per complures annos, etiam Tridenti, ſecretarius, ab hoc ſuo patrono executor teſtamenti ſcriptus eſt, cui & Romae epitaphium poſuit anno 1579. Multis legationibus adminiſtratis obdormivit circa annum 1606. Lege Papadopolum in hiſtoria gymnaſii Patavini to. II. p. 267.

XXXVI.

Coſtka Cromero.

Queritur de cubicularijs regiis, et conventibus regni turbulenter actis.

Reuerendiſsime in Chriſto Pater, & Domine,
Domine fautor obſeruandiſſime.

Reuerſo mihi Lubauiam reddidit litteras Reuerendiſſimae D. V. Cieeiorſcius, ſubſequutuſque etiam eſt oratione ſua humanitatem litterarum Reuerendiſſimae D. Veſtrae. Illuſtriſſimi appellationem cur ego non vſurpem, cum eam praeſertim Reuerendiſſimae D. V. tribuat Illuſtriſſimus D. Cardinalis Legatus? Etſi enim ſcio minime ambitioſam eſſe Reuerendiſſimam D. V. minimeque ſimilium epithetorum appetentem; tamen cum id mereatur & virtus, & dignitas ipſius, non video, cur quod ipſi a ſummis principibuſque viris aſſcribitur, quiſquam iure poſſit, aut ſine reprehenſione inuidere. Mire non noſtra tantum ſed & Regis negotia perturbant cubicularii non tempeſtiua litterarum miſſione. Cogimur denuo conuentus agere, nouoſque & ſumptus & labores ſuſcipere. A me autem iam cubicularii impetrare non poſſunt, vt ego litteras Regias, quas ipſi afferunt, ad Reuerendiſſimam D. V. perferendas curem. Itaque homines quoſdam conquirunt, per quos eas Reuerendiſſimae D. V. mittant, quo etiam fit, vt eo ſerius tardiuſque ad Reuerendiſſimam D. v. perferantur. Marchio in vicinia mea conuentum quoque agit, in quo, vt mihi narratum eſt, etiam de nouo Calendario propoſita eſt deliberatio; ita ille non Regis decreto, ſed ſuorum aut ſuo potius arbitrio figit refigitque, contra totius regni ſcitum, ſacras leges. De Sperlingo nihil vnquam antea tale audiueram, & per totum triennium, quo mecum vixit, honeſtiſſime

ſe

ſe & fideliſſime omnibus in rebus geſſit. Expoſtulaui autem ea de re, de qua mihi Reuerendiſſima D. V. ſcripſit, cum eo accurate, ſed is ſe purgat, ac paratus eſt etiam Reuerendiſſimae D. V. innocentiam ſuam oſtendere. De - - - mihi per tabellarium meum miſſo Reuerendiſſimae Dominationi veſtrae gratias maximas ago. Eſt enim manuſculum, hoc praeſertim tempore non vulgare, & eo nomine cumprimis gratum, quod ſit a Reuerendiſſima Dominatione V. profectum. De nauibus & militibus externis ſparſam famam, vanam plane iudicaram, idque ita eſſe, litteris etiam Reuerendiſſimae D. v. confirmatur. Quoniam conuentus regni turbulenter acti ſunt, metuendum ſane eſt, ne quae in ipſis maximis comitiis etiam turbae dentur, ſed occurret fortaſſe imminenti alicui periculo atque motui ſapientiſſimus rex. Reuerendiſſimam D. v. diu beneque valere opto, Deumque max. opt. quaeſo, ac vna me obſequiaque mea Reuerendiſſimae D. v. ſtudioſe commendo. Datum Lubauia 5. Decembr. 1584.

Reuerendiſſimae D. V.

obſequentiſſimus et addictiſſimus Seruitor,

Petrus Coſtka,
Epiſcopus Culmenſis.

Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino Domino Martino Cromero, Dei gratia Epiſcopo Varmienſi Domino meo obſeruandiſſimo.

INDEX
PERSONARVM ET RERVM.

A.

A. *ab*, *de*, non ſunt indubia ſigna nobilitatis genitivae 520.
Academia Duisbergenſis 152.
Albanus eccleſiae Ro. patronus 463.
Albertus, Bavarus, vrget vſum calicis 8. 299. ſaevit in Lutheranos. 35. eius ſententia de concilio. 79. averſatur Lutheranos 199. non patitur pontificis conceſſionem calicis publicari. 337. 376.
Alcina vngula 412. 418. 431.
Aliſanus 223.
Anabaptiſmus ab haereticis baptizatorum impugnatur. 443. 496. ſqq.
Articuli in calicis vſu obſervandi. 15. ſqq.
Auguſtae Vind. Caniſii labores 191. 208. 223.
Auguſtana confeſſio a Gallis accerſita. 188. ei favet card. Lotharingus 465. eius ſocii non ſunt reformati 517.
Auguſtus Saxo occupat epiſcopatum Naumburgenſem 36. hoſtis eccl. Ro. 466.

B.

Barenſe (Barienſe) negotium. 79. 206. 497.
Baronius refutat Bellarminum 6.
Bellaii cardinalis iudicium de concilio Tr. 141.
Biblia Complutenſia et Ariae Montani 479.
Birretum rubrum cardinalibus monachis negatum. 411
Bohemi arte reducendi 200.
Brunſvicenſis dux catholicos concionatores quaerit 199. 220. 221.
Bulla coenae non recepta in Gallia 47

C.

Caeſares
Ferdinandus I. laborat pro calicis reſtitutione 8. eius conceſſionem publicari curat 9. moritur 9. mittit breve ep. Naumburgenſi 12. 15. reformationem ſtrenue vrget 27. ſqq. expetitur eius de concilio habendo ſententia 97. poſtulat reformationem monaſteriorum 127. artificium pontificis in ea re 138. 143. colitur ab aula R. 140. conſiliarios eius derogare concilii autoritati 238. durante concilio cum Principum legatis de religione deliberat 318. ſq. 326.
Fridericus III. ſub vna 7.
Henricus V. ſub vtraque 7.
Maximilianus II. ſub vna 74. lucrifaciendus ab Hoſio 76. 97. timet Roma, ne ſe penitus Lutheranum profiteatur 96. comiter tractandus ib. Aug. confeſſionis exercitium indulget 98. eius durities moleſta Pio IV. 99. de eo bene ſperare incipit

cipit Roma 128. 129. haereticis reſiſtit 432. 485.
Sigismundus ſub vna 48.
CARDINALIVM vitae.
Alexandrinus ſ. Bonellus 409. 435.
Alciatus 397
Ara coeli, ſ. Dolera 202
Borromeus. Oſor corruptionum 77. vivit ſplendore fere regio 82. doctor iuris *ib.* canonizatur *ib.* gratus erga praeceptores 454
Caſtaneus, ſ. Vrbanus VII. 411. 413
Commendonus 128. 487
Delphinus 107. 120. 128 562.
S. Georgii 390
Henricus, cardinalis infans 183
Hoſius 57. eius caſtigatio quotidiana 58. notatur a nuntio 67. eius dialogi 70. vocatur Romam 73. penſio menſtrua 75. 97. confeſſio 55. 175. ſq. 195. 196. monetur a Puteo 59. 87. 120. habet inimicos 83. 110. augetur penſio 86. 140. 149. licentiam obtinet legendi libros haereticos 100. aegre fert, nuntios Viennae multiplicari, et nihil de publicis adſe ſcribi 106. 108. lenius ei agendum eſſe cum Maximiliano B. R. 112. multa in proteſtantes ſcribit 113. ſqq. ſibi non conſtat in quaeſtione: concilium indicendum, an continuandum ſit 119. 139. in Delphino quaedam requirit 120. et in aula Ro. 121. proteſtantium legatos mitti Viennam cupit ante concilium 124. diſſentit a Delphino 144. eius cardinalatus in Polonia improbatur 156. 167. 176. Hoſii adventus et abitus Trid. 180. faſtus ei obiectus 233. monetur de ſententia de calice mutata 256. arcanum Romae mandatum accipit erga Hiſpaniae legatum, comitem de luna, obſervandum 317. dignus pontificatu max. 400. queritur de aula Ro. 457
Lotharingus 465
Madruccius ſenior 123
Madruccius iunior 244
Mendoza 298.
Moronus 145
Navagerius 306
Palaeotus 396
Puteus 59
Seripandus 176
Simoneta 146
Pſeudoſimoneta ſuſpenſus 147
Sirletus 454
Sorbonellus 390
Scottus, ſ. Tranenſis 179
Truchſeſſ, cardinalis Auguſtanus, inflammat Hoſium in haereticos 89. indulgentias publicat 91. indigne fert principum de morum reformatione poſtulata 108. improbat conventum Gallicani cleri 188. lavat Caniſii pedes 33. iudicium de rebus Romanis 189. mitia conſilia commendat 234. arceri ſe Romae a rebus concilii 239. 251. calicis conceſſionem diſſuadet 241. 246. 251. timet Gallorum ad concilium adventum 251. bene ſperat de turbis concilii 265. concilii miſeram faciem deplorat 202. non vult ſtatim morem gerere pontificis indulgentiae caleis 379. gaudet, Polonum aqua et igni

igni interdixiſſe haereticis 379. redit ex Hiſpania 357.
Calix evchariſticus a Chriſto inſtitutus. 4. laicis vsque ad 12. ſeculum datus. 5. malo dolo non ademtus. 6. eius ademtio ſacrilegium. 6. in nomine SS. Trinitatis ablatus laicis 7. redditus 8. calix Remigii 5. Bohemis conceſſus 8. clericis non conſecrantibus ademtus 7. iterum ablatus laicis. 11. eius deſiderium Huſo mortem eccelerat 46. nolunt Germani ſub conditionibus 69.
Calixtini. 46.
Calviniſtae in Belgio 429. tumultus Antwerpiae 430.
Calvinus in Gallia et Germ. opprimit Lutheranos 191. per Gallicam induſtriam cum Lutheranis vnitur 213. beſtiam vocat Balduinum 369.
Calvini miſera mors, ſi vera refert Caniſius 36.
Calviniſmus Brehmae per vim introductus. 155. 228. recipitur in Germaniam 228.
Canobius nuntius 159.
Capitulum inter et epiſcopum negotia contentioſa quomodo tractanda 415.
Centuriae Magdeburgenſes 216. 399.
Cerronius frigide in *Ciceronius* mutatum 183.
Cifrae. 139.
Colloquia theologica, Wormatienſe an. 1541. p. 515. Ratisbonenſe an. 1546. p. 515. conf. vitam Pflugii 520. ſqq.
Communio ſub vnica ſanguinis ſpecie. 6.
Conventus Naumburgenſis, ad eum Pius IV. nuntium mittet 131. mittit duos 136. Pii epiſtolas remittunt proteſtantes auditis nuntiis 137. nuntii diverſa de conventu nuntiant. 158. nuntii indigne tractati. 201. in eo non eſt recepta confeſſio variata 517. in eo Io. Frid. Vinarienſis ſocerum ſuum Calvinianum vocat 517.
Conventus proteſtantium Brunſuicenſis 145. Vlmenſis 220.
Concilium Tridentinum non publicatum in Germania 34. eius hiſtoria 80. ad id conſenſus regum neceſſarius. 77. revocatio ſuſpenſionis eius. 78. admaturatur ob Gallorum concilium nationale. 84. oecumenici neceſſitas. 101. ſqq. differtur ob Hiſpanos 163. aperitur 212. concilii continuati prima ſeſſio 214. Anno 1562. menſe Aprili nondum viſum, rem ſerio aggredi. 228. nec prolatum, nec ſuſpenſum iri 234. ſq. diſceptatur in concilio de ſacrificio Chriſti 242. diſſident patres 260. interveniunt alii 261. Hiſpani quidam in concilio ſeditioſi 264. motas in concilio perplexas quaeſtiones ſedatum iri. 266. miſera facies concilii 302. 310. de praeſidibus concilii 306. et diſcordia eorum 328. 332. concilii decretum de matrimonio clandeſtino 328. diſſidium ingens de formula: *proponentibus legatis* 331. concilii exitum initium nationalis fore putant quidam. 334. feſtinatur in eo finiendo 338. 345. decretum de eligendis epiſcopis in Polonia moderandum 393.

pugna de oblatione dominica 398. 242. decreta quaedam obſcuriora 427. frigidius recipiunt Germani. 449. non eſt receptum in Gallia 518.
Conciliorum editio Colonienſis 192.
Concilii Epheſini codex 194.
Cryptocalviniſmi hiſtoria 116.

D.

Diabolus cauponem abripit 220
DOCTORVM *virorum vitae.*
Agricolae pater et filius 549
Ambsdorffius 521
Andradius 421
Antonius, archiep. Pragenſis 25
Balduinus 369
Bilia 468
Caniſius 32. vult cum epiſcopis errare 32. ſententia eius de calice conceſſo 36. abituriens in Pruſſiam 37. cardinalis eius pedes lavat 33. catechiſmum ſuum a concilio approbari vult 224. optat cleri reformationem 248. calicem credit eccleſiam diſſoluturum 257. ſq. 307. ſqq. de falſis fratribus queritur 311. calicem offenſionis lapidem factum eſſe dicit 386.
Cithardus 30. eius epiſtola magni momenti 27. eius merces 104. 108. 125. 126. 373. 448.
Cochleus 530
Cromerus 204
Ferrantius 342
Forerus ſ. Forierus 184
Gropperus cardinalis 521
Homburgus R. B. conſiliarius 49
Laynez 362. 376
Lipomanus 63
Lismaninus 368
Lombardus 344
Maldonatus 426
Olaus et Io. Magni 52
Ochinus 371
Olivus 384
Olomucenſis ep. 432
Patricius 368
Pflugius ep. Naumb. 520. ſqq. ſuadet reformationem 313
Polancus 405
Poſtellus 441
Pſalmaeus 180
Reſcius 582
Rockyczana 49
Rotundus 447
Sanderus 371
Sidonius 537
Soto 245. 246. 250
Staphylus 33. 199. 227. 351
Sturmius 565
Tidemannus, ep. Culmenſis 574
Turrianus ſ. Torrenſis 219. 356. 484
Veſalius 525
Vicelius 538
Vrbanus Gurcenſis ep. 26. 318
Wiczkowiz 433

E.

Eccleſiae Ro. doctrina de calice 4. praxis antiqua 5. eccleſia Romana A. confeſſionem a Melanchthone mutatam nunquam habuit pro Auguſtana 515
Eccleſia evangelica variatam confeſſionem nunqua recepit pro Auguſtana 517

Eliſabethae, A. R. matrimonium cum archiduce 78. non miſit ea ad pontificem *ibidem* pontifex, vult ei nuntium mittere 78. affligit catholicos 319. retinuit vexillum crucis 375
Emanuel, Luſ. rex, perſequitor Lutherum 569

G.

Galli Romae formidabiles 86. eorum conſilium de ſynodo nationali promovet concilium Trid. 34. 96. eorum patriarcha 86. eorum legatus 118. C. Tr. indictionis bullam improbant 193. nihil vtilitatis ſibi inde promittunt 141. convocant ſuum clerum 170
Gallus cantat 465
Georgius B. r. excomm. 47. efflagitat calicem 48
Gratiae praeventivae improbantur 68

H.

Hardenbergius Brehmenſis concionator, 154. 214.
Hugonotae pax turpis cum illis inita 466

I.

Ieſuitarum collegium Dilingae 34. alibi 576. Vilnae 455.
Io. Friderici II. Ducis Saxoniae, teſtimonium de ſoceri ſui, electoris Palatini, calviniſmo. 517.
Itali ad nocendum artifices 202.

L.

Luſcinia eccleſiae. 5.
Luſitanorum regum vulnera in ſubſcriptionibus 570.

M.

Martiniſtae, i. e. Lutherani 430.
Martyrologium Germanicum 224.
Matrimoniorum clandeſtinorum decretum concilii Tr. delendum. 328. 354.
Menſes pontificii in capitulis. Cardinales in iis beneficia conferrunt. 418.
Methodii martyris, et Cyrilli patr. mſs. 454.

N.

Noctes Vaticanae 454.
Nuntius mittendus in Sueciam 173. et Moſcoviam ib.

O.

Officiales curiae Ro. nihil gratis dant 338. 559.
Orechovius 233. 325.

P.

Paulus II. non communicat Caeſari calicem. 7. excommunicat regem B. 39. 47. ſq.
Paulus III. an conceſſerit B. calicem 69.
Paulus IV. concilium congregare vult Romae. 70.
Phauſerus, concionator Luth. 199. 220.
Philippus, Hiſp. rex, meſſias. 425. condit epiſcopatus in Belgio 217.
Pius II. negat calicem Boh. 48.
Pius IV. concedit calicem. 1. 8.
Pii V. initia laudata 402. ſq. clerici electum nollent ib. non favet calici et coniugio ſacerdotum 405. laudatur a card. Aug. 407. reformat mores 423. 426.
Podagra. remedium efficax 431. ſq.
Polonica eccleſiaſtica 55. 444. ſqq. 451. 482. 489. 492.
Poloni magnopere indigent reformatione. 67. 205. diſcordia epiſcoporum 353.

Proponentibus legatis . . 331.
Pruſſiae dux invitatur ad concilium 165. 253.

R.

Rex Galli ſub vtraque communicat 7. 47. 67.
Roſa aurea Boh. reginae miſſa 156.

S.

Sigismundus II. Pol. rex notatus 67.

T.

Transſubſtationis dogma ortum. 6.

V.

Victorinus B. r. filius 49.
Vitae cardinalium. v. *Cardinales.*
Vitae doctorum. v. *doctorum.*
Vngula alcina. 412. ſq.
Vulnera Luſitanorum 570.

ERRATA TYPORVM.

pag. 157. lin. 23. pro ſereniſſimus lege *ſanctiſſimus.*
172. l. 17. *ſanctitatis.*
179. l. 21. *ſperatum.*
211. l. 22. pro ſereniſſimo lege *ſanctiſſimo.*
260. l. 2. Tridentinus Hoſio.
346. l. 25. dele Hoſio et lege *Commendono.*
436. l. 20. pridie id. Iulii 1568.